



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Lu 4695



UNIVERSITEITSBIBLIOTHEK



90000168755



IOANNIS GEORGII WAGNERI

V. I. D.

ET IN ALMA FRIDERICIANA ERLANGENSI

. IVR. PROF. P. O. DESIGNATI

RESOLUTIONES

PANDECTARVM,

METHODO DEMONSTRATIVA

ADORNATAE.

LIBER PRIMVS.



LIGNITII,

APVD DAVID. SIEGERT.

M·DCCXXXIIII



S I N G V L A R I A.

- Boni et aequi distinctio. Tit. 1. §. 5.
Ius naturae externae non obligat. §. 14.
Datur ius naturae. §. 22.
Bruta habent ius naturae. §. 25. 86.
Cur defensio sit iuris gentium. §. 91. 97.
Fundamentum naturale prohibitionis graduum. §. 147.
Distinctio iuris naturae et gentium. §. 174.
Ratio consensus gentium in dominia rerum. §. 182.
Fundamentum obligationis ex consensu. §. 195.
 quasi contractuum. §. 250.
 Contractuum b. f. et stricti iuris. §. 261.
 Contr. nomin. et innominatorum. §. 264.
 Seruitutis. §. 275. sequ.
Explicatio L. 9. ff. De I. et I. §. 331.
 L. 10. eod. §. 334.
 Iustitiae distributivae et commut. §. 338. f.
Conciliatio L. 14. ff. De S. H. eum Pauli Sent. c. 9. L. 4. Tit. 5. §. 40.
 L. 26. eod. et L. 10. §. 2. ff. De Vfurp. et Vsuc. §. 73.
Emancipatio non est actus legitimus. Tit. 7. §. 116.
Defensa lectio L. 5. pr. ff. De D. Rer. Tit. 8. §. 31.
Conciliatio L. 6. §. 5. et L. 7. ff. De Diu. R. §. 66.
Ratio L. 3. ff. De Senat. Tit. 9. §. 18.
Conciliatio L. 7. §. 2. ff. De Senator. cum L. 11. C. De Quaest. Tit. 9. §. 31.
Defensio textus in L. 1. §. 2. ff. De Off. Conf. Tit. 11. §. 11.
Conciliatio L. 2. §. 1. ff. De Off. Praef. et L. 17. ff. De man. vid. Tit. 16. §. 6.
Intellectus L. 2. ff. Quis et a quo app. Tit. 16. §. 31.
 L. 14. ff. De Off. Praef. Tit. 18. §. 20.
 L. 4. ff. De Off. Adfess. Tit. 22. §. 10.





PRAEFATIO.



Qui libris nouis compositis seculi sui laudes venantur, operaeque pretium facere auent, omnino genium seculi hominumque studia explorata habere, quid appetatur, quid fastidiatur, nosse debent. Veruntamen, quotusquisque est, qui saltem laudes famamque sibi coeuiam exoptet: qui non superstitem post funera gloriam expetat? Hominum omnium et futurae progeniei indoles rimanda est scriptoribus, qui sibi nomen mansurum parare cupiunt. In hoc autem diuersa diuersorum videas tentamina. Equidem sine negotio quibusdam res processit, quibus communi hominum natura datum fuit, vt ad dissentiendum faciliores essent. Sunt isti, qui supra seculum sapere gestiunt, quibus trita sordent: qui consensum cum aliis satellitium abiectum putant. Horum ingenio non male conuenit cum hominum omnium indole, quae nouarum rerum cupida singularibus opinionibus delectatur, imo superbit, seque adeo a contentioris luti praecordiis segregat. Sed diu placere non possunt, qui sola nouitate placent. Nouitatis gratia fluxa et transitoria est, cui quodlibet temporis momentum detrahit. Aliam semitam ingressi sunt, qui sua meditata facilitate et perspicuitate commendant. Non falluntur, dum sibi sectam frequentem et diuturniorem promittunt. Pauci enim laborem in lucro, otium in damno habent: ad desidiam maior pars mortalium procliuior est. Amplectuntur ergo cateruatim doctrinas adeo faciles mitesque, in quibus nihil asperum, nihil horridum, sed omne planum, simplex et peruium. Ecce; quam secundum horum sententiam operose nugaces sunt, qui cum Aristarcho, Copernico, Keplero, Planetarum dissimiles incessus non nisi per figurarum et linearum captatoria quasi

retia et tendiculas adumbrant: cum motuum horum ratio facillime reddatur, si genios. siue deos, Saturnum, Iouem, Venerem, stellas illas erraticas facias ascendere, vti auriga carrum, hasque pro lubitu vorsum et iterum retrorsum agere. Huiusmodi philosophia grata, minus molesta et futoribus fullonibusque palpanda, taedio omni meditationis liberat. At ista mihi videtur picta facilitas, veluti mappa regionum geographica, in qua nullus mons praeruptus, nullum vallum decliue, nullum mare profundum est: vbi vero in viam ipsam te dederis, innumera impedimenta iter morabuntur. Ea caussa est cum multorum systemata, quantiuis dum viuebant pretii visa, cum ipsis auctoribus demortua et sepulta videmus: nam et permulti ideo inclauerunt, quia multa scripserunt, vel aliorum scripta ediderunt, vel alienis praefatione et interdum praefationis praefatiuncula nominis sui celebritatem commodarunt, vt venaliores prodirent, et ne propria fama vnquam remitteret. Horum scripta dolia rimosa videntur, quae nisi circulo iugi successione contineantur, soluuntur et effluunt. Quod ad praesentem laborem attinet, contrariam prorsus viam ingressus sum horum, quos memoravi: noui nihil molior, antiqua tracto: recenter inuenta nulla diuulgo, vetera extollo: tum etiam euidentiam doctrinarum non ex similitudinibus peto, sed argumentorum stricta serie et demonstrationum parum adblandiente seueritate persequor. Ita videlicet condignum erat Iurisprudentiae vindicias exequi, vt ea scientia certa, demonstrabilis et methodi mathematicae capax sistatur. Dolendae sunt vices praestantissimae artis, cuius compagem procul dubio absolutissimam frustulatim laceravit Iustinianus. Romani Graecorum disciplina instituti sunt: sed his mathematicum studia praecipua fuerunt, quibus artem ordinemque cogitandi et ratiocinandi animis insinuarunt, qua in iurisprudentia et omni philosophia perpetuo vterentur. Vulgata est, Platonis lex auditoribus suis posita: Nemo sit non geometricus. Iureconsulti Romani maximam partem Stoicae scholae addicti fuerunt, quod hodie nemo in dubium vocat: At Stoicos methodo mathematica philosophatos esse, Cicero non sine admiratione testatur, cuius verba statim sub initium tractationis ipsius refero. Si qua ergo alia scientia, certe quam maxime Iurisprudentia geometricae sapit, argumentatur et philosophatur. Testantur hoc reliquae ex tanta fabrica particulae, quae quantumuis dissolutae, tamen cohaerent, sibi respondent, et compagis pristinae argumenta in ruina quoque ostendunt. Quare nemo miretur, quod grex ille Accursianorum

rum

rum philosophiae et methodi Iureconsultorum ignorantissimus, horum doctrinas capere non potuerit: saepissime enim, ne ignorare aliquid viderentur Glossatores, falsa et ficta proferre maluerunt, quam nihil dicere. Postquam tamen elegantioribus literis ab exilio reuocatis laetiore conditione frui Iurisprudencia coepit, in maiori tamen luce constituta non fuit, quam Ciceronis, Plinii aliorumque scripta, quorum voces vel sermones obscuri, ex antiquitate et auctorum locis illustrati fuerunt, vt iam probe intelligantur. Hæc ciuilis prudentiae dignitas praeclara quidem, verumtamen grammatica tantum est. Ex hac pompa satis beata habita fuit, dum alia solidiorque eius maiestas negligebatur. Multi enim fuerunt, qui, quod primo intuitu non statim planum adparuit, hoc absurdum iudicarunt: rationem, quam reperire non valuerunt, nullam esse adseuerarunt. Hinc subtilitates inanes iuris Romani increpant, imo Iurisconsultos interdum data opera insanire, vociferantur. Caeteroquin tamen fatentur, ex innumeris eorum responsis vel decisionibus iustitiam, aequitatem, prudentiam et sapientiam elucere. At eiusmodi iurisprudentes prudentiae quam profitentur, renunciant, contra regulas artis impingunt: nam docent et praecipiant: ordinarium praesumi debere: ordinarie Iureconsultos prudentes esse dicunt, tamen ibi desipere perhibent, vbi eos non intelligunt. Tantum neglecta iuris philosophia potuit! At vero, in ea fertilitate et aemulatione scriptorum iuris naturae iuris philosophiam neglectam esse, iniuria forte conqueror. Tantum autem abesse opinor, vt iniuriam faciam, vt etiam ius naturae et gentium Iurisconsultis ab ethicis doctoribus ereptum querar. Vi nominis ius naturae Iureconsultorum est: quidquid lex est, ad forum iuris pertinet: quidquid legibus inueniendis vel enucleandis repertum est, Iureconsultorum proprium esse debet. Vsurpationis occasionem praebuit ignorata iuris naturae ab ethica differentia: quandoquidem nec hodieum distinctio vtriusque disciplinae tanti fieri consuevit, vt curatius inuestigetur. Noui recentissime demum vtriusque discrimen datum esse, quod ius naturae theoricam mere cognitio bonorum malorumque sit, quae hac via cognita per ethicam praecipiantur facienda et omittenda. Hac sane distinctione quasi per cuniculos subuertuntur limites Ethices et Iurisprudenciae, atque huic actione finium regundorum experiendum erit contra disciplinam moralem. Videlicet, nullo pacto nomen iuris, id est, legis, tueretur ius naturae, si nudis notionibus occuparetur: si Ethica iubet et vetat, ipsa lex dici meretur. Non autem meretur,

quia multa moralem disciplinam ingrediuntur, quae non praecipuntur, consilii et prudentiae multa sunt, non naturae. Nemo per naturam obligatur ut animo forti sit, dolorum tolerans, et magnanimus, ut iniuriam contemnat, aduersis non moueatur, gloriam et auram popularem despectui habeat: ne poeniteat ipsum alicuius facti: ut sit abstinent, beneuolus, liberalis, comis, placidus, mitis, humilis concors, mansuetus, verecundus, modestus, frugalis, diuitiarum contemptor. Horum omnino nihil a natura originem trahit: quin potius quorundam contraria e natura deriuantur, ut vindictae cupido, delictatio ex praerogatiua prae aliis hominibus, pusillanimitas ob aduersitates, et alia. Pufendorffii schola obiiciet, ista a natura sociali hominis imponi. Sed horum principium, etiam nondum natum, Diogenes ille Cynicus explosit, qui sine Alexandro Magno beator vixerat: dum nemo ipsi radios solares excludebat. Breui futurum est, ut dictae Scholae sectatores principio suo renuncient, dum grauioribus malis societatis ciuili indies se affligi sentiunt, quam commodis frui licet. Si ius naturae saltem instrumentum ethices esset, Iureconsulti veteres ingenue, quod saepe faciunt, ad Aristotelem prouocassent. Verum naturale ius sibi sumunt, e bonis suis esse aiunt. Proinde alia eius ab Ethica inquirenda est distinctio: nisi et hic sanos homines insanire dicas. Viderunt nimirum Icti aliam esse constitutionem iuris et legis, quam Medicinae: in hac separatim cognoscere datur medicamentorum salubritas, separatim autem et ex diuersissimo principio illorum vsus imperatur. Ast iustum et faciendum nomine tantum differre nouerunt. Profecto, ita se res habet: ipsa boni et aequi cognitione praerudicium fit ei quod facere conuenit: quid ergo Ethicae relictum est, quod ex cognito iudicet; quaenam ei partes reliquae sunt, quas ius naturae non praeoccupauerit? Lege ciuili tibi publicata, an de ethica quadam sollicitus es, quae tibi dicat, seruandam esse? quoniam ipsa publicatio et scientia legis praerudicium creat obedienciae, opus non est, ut eius praecepta secutura expectes. Iam quidem ethici reconuentionis quadam specie me ipsum de termino moto grauius accusabunt, qui Ethicam ipsis eripere velim, parique iniuria totam naturae iuri deuorandam et consumendam praebeam. Absit autem a me tanta voracitas: conuenit iuri et ius profitentibus suum cuique tribuere. Teneat Ethica per me portionem sibi debitam. Quid ergo cuiusque sit, iuris naturalis et disciplinae moralis, me quidem arbitro vel finitore sic statuendum foret. Dantur

tur iusti et boni gradus, incrementum et excellentia quaedam. Iustum est, neminem laedere, et ita quidem iustum, ut ei nequidquam detrahere nihil abrogare valeas: haec positio ius est et basis, et quae per naturam indispensabiliter exigitur: sed augmenti capax est, et ornari potest vsque ad virtutis praestantiam: nam subuenire potes aliorum necessitatibus, ulterius amicorum rebus prodesse, imo etiam inimicorum commoda prouehere. Proinde lex immutabilis est, neminem laedere: incrementa et ornatus et quod ex abundantia fit, quasi opus supererogationis virtus est: legis et iuris rigor Iureconsultorum ditio esto: virtutis omnis adparatus doctoribus moralium concedatur: exceptis tamen iis, quorum ita ambigua est satisfactio, ut non adpareat, vtrum legi ex animo obtemperetur, an potius ex impotentia peccandi: cuius rei exemplum in ipsis Resolutionibus dedi: (L. I. tit. I. §. 152) in his enim gradus virtutis legi proximus obligationem legalem induit. Natura principium iuris naturalis fit, ius naturae iterum terminus a quo ethica orditur, sicut a puncto linea progreditur. Regat etiam Ethica honestum et decorum. Nota est schola quaedam, quae duo haec inter principia iuris naturae refert, ex ea sola ratione, quia nihil recte agitur quod iusti, honesti et decori genere non comprehendatur. Putarim tamen, multa recte agi, quae iuris naturae non sunt, quod de virtute affirmo. Iustitia legis obseruatio est, honestas virtutis supra legem et necessitatem cultura, vnde voluntas legi sponte obsequiosa colligitur. Iustitia exigitur, sed honestas laudatur, eiusque meritum aliquod est, cum iustitia sine merito debeat et expleatur. Aeris alieni debitor sine laude reddit quod debet, quoniam tantum iuste agit: laudatur autem si creditori suo iterum mutuo dat, quando opus habet: nam virtutis argumentum citra obligationis necessitatem edit. Decorum autem hominem nec iustum nec honestum arguit, sed argutum et circumspectum saltem, qui sciat, quid pro dignitate negotii vel agentis conueniens sit. Haec honesta et decora iuris naturae non sunt, et si in huius scrinia vel maxime intrudantur, praecepta naturalia non fiunt: haud magis quam Galeni opera iuridica efficiuntur, si cum corpore iuris in vnum volumen compingantur. Non autem nouum est, Iurisprudentiam a Philosophis vsurpatam, et Iureconsultos a Philosophis reprehensos fuisse, cuius rei rationem postea reddam, quam facta quaedam quasi interscenii loco retulero. Cicero Iurisconsultis tam de iure respondentibus, quam formulariis admodum infensus extitit. In oratione pro Muraena ad Seruium Sulpitium ita loquitur: Et quoniam mihi

mihi videris illam scientiam iuris tanquam filiulam osculari tuam, non patiar te in tanto errore versari, vt istud nescio quid, quod tantopere didicisti, praeclarum aliquid esse arbitrere: Dignitas in tam tenui scientia, quae potest esse? Res enim sunt paruae, prope in singulis litteris atque interpunctionibus verborum occupatae. Deinde, etiamsi quid apud maiores nostros fuit in isto studio admirationis, id enunciatis vestris mysteriis totum est contemptum et abiectum. Post haec formulas forenses acerbius deridet, sed profecto iniuria. Ciues eiusdem reipublicae foedere pro salute publica colligantur, vt cuique priuata sua constet. Lites et diffidia ciuium hoc foedus facile soluerent: ergo actiones repertae et iudicia introducta, quibus caueatur, ne ad vim et arma atque tumultum perueniatur, et ne reus campo vagandi concessio, ne iudex imaginariae aequitatis libertate data, ne actor vexandi occasione accepta lites immortales fouerent, formulae tanquam cancelli introductae sunt, quibus fraudes omnium compescerentur. Sed meminisse oportet, Ciceronem dicto loco causae suae seruire. Disputationem Fauorini philosophi cum Sexto Caecilio Icto pulchre depingit Gellius L. 20. c. 5. Decemuirales leges Caecilius collaudauerat, in quibus tum Fauorinus quaedam obscurissima, alia dura, alia nimis remissa animaduerti, quaedam plane consistere non posse, contendit. Longum foret et a scopo alienum, omnes Fauorini criminationes persequi, quarum priores omnino fuites sunt: ea propter vltimam tantum recensero, quae grauior est, et plurimum ponderis habet, Lex XII. tabularum fuit: Acris confessi debiti Q. iure iudicatis triginta dies iusti sunt: post deinde manus iniectio esto, in ius ducito: ni iudicatum facit, aut qui endo em iure vindicit, secum ducito: vincito, aut neruo aut compedibus quindecim pondo ne minore, aut si volet maiore: vincito, si volet; suo viuito, ni suo viuit, qui em vincitum habebit, libras farris in dies dato: si volet plus dato: tertiis nundinis partes secanto, si plus minusue secuerunt, se fraude esto. Immanitatem poenae decemuiris exprobrauit Fauorinus: intellexit enim legem de sectione debitoris in partes. Nam et ipse Caecilius corporis sectionem putauit, communemque legis huius intellectum eundem fuisse credendum est. Etiam Quintilianus eo sensu legem accepit: Sunt quaedam, inquit, non laudabilia natura, sed iure concessa: vt XII tabulis debitoris corpus inter creditores diuidi licuit; quam legem mos publicus repudiauit. Equidem si comparentur
haec

haec cum ipsis legibus XII. tabularum, quarum vna teste Cicerone sanxit: De capite ciuis, nisi per comitatum maximum, ollosque, quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto: vix verosimile fit, vel tertiis nundinis creditorum caussa comitia centuriata fuisse, vel praetori hoc datum esse, aut creditoribus, vt corpus debitoris discernerent. Praetoris non maior fuit potestas, non liberius imperium, quam vt debitorem in operas addiceret creditori. Tum, si plures creditores essent, partes operarum secuerunt quasi serui communis. Haec fuit liberorum hominum seruitus, qui aere alieno oppressi operis suis debitum exsoluere cogebantur. Varro de L. Lat. L. 6. ait: Liber qui suas operas in seruitute pro pecunia quam debeat, dum solueret, nexus vocatur. Hoc C. Popilio rogante, Sylla dictante sublatum, ne fieret. Et Quintilianus Declamatione 311: Addictus, inquit, donec pecuniam soluerit, seruiat. Haec commoda foret legis interpretatio, si additum ei non fuisset: si plus minusue secuerint, sine fraude esto. Iussit ergo lex corpus ipsum creditoribus diuidi. Quod autem inhumanum in hac sanctione reperit Fauorinus, iuris arti non vituperium, sed accuratissimae methodi laudem parit. Veteres enim lucrum iniquum non tantum in bonis, patrimoniis et rebus ad quaestum spectantibus posuerunt, verum etiam in factis, quae libertatem, dignitatem vel ius alterius iniuria minuerent. Debitor, qui soluendo non erat, primum quidem bonis creditoris damnum inferebat: deinde quoque faciebat, vt ius creditoris aduersus ipsum cassum fieret. Hoc lucrum iniustum facti corpori et ossibus facientis haerebat. Ergo iusta et ad instar fati inexorabilis consequentia sese aperuit, obtulit, imo sana ratione iubente se ingessit, vt id corpus, cui lucrum adhaerebat, creditoribus in reparationem et expletionem iniquitatis distribueretur. Quod autem lucrum non tantum in quantitate, sed etiam in aliis consisteret, in quibus vulgo non putabatur esse, non solum Iureconfulti, sed et ipsi Philosophi et princeps philosophorum agnouerunt. Quintilianus scribit, eam legem more publico repudiatum: et ipse quoque Caecilius Fauorino fassus est, neminem legi dissectum esse. Nam e re creditorum non erat cadaueris frustra incommodo maiori quam fructu accipere. Sed quid hoc ad iuris necessariam sequelam, quod vtilitatis respectu lege et iure suo vti noluerint. Fauorino puto satisfactum. Succedit autem Seneca, cuius conuicium

Iuris prudentibus dictum quomodo Caius scite diluerit, cum in tractatu, Libro I. tit. 8. §. 19. et 18. recensuerim, hic saltem allegasse sufficiat. Quandoquidem enim praesentis rei tractatio incidit, copiosum esse mihi non conuenit: quod hoc actum nolim, ut philosophos obiurgarem, sed hoc intendam, ut iuris prudentes in sanitatem mentis contra dementiae insimulantes adseram. Si causam crebri dissensus poscas, ad eum aliquid conferre videtur, quod anteriori aeuo theorematum usus in philosophia admodum parcus fuerit: adeo methodi insuetudine magis, quam rixae cupiditate philosophi Iuris peritorum arti in quibusdam consentire non potuerunt. In Resolutionum Libro I. tit. I. §. 324. mentio fit moderni cuiusdam philosophi, qui ipsos Iureconsultos veram naturam iuris ciuilis docere voluit, et qui theoremata in methodo omnino superuacanea esse, et consuetudina sufficere, perhibuit. In iure pariter atque in mathesi theorematis carere non licet; nec in philosophia. Non omnes fluuii aquae ex vno fonticulo deducuntur. Deinde vero, quod quorundam negotiorum vel legum ea natura est, ut stricti iuris esse debeant, nec sine iniuria aequitatem aut lenitatem admittant, philosophos quosdam fugit. Quod itaque Iuris prudentibus stricto iure definiendum apparuit, isti ad humanitatis, et aequitatis rationem reuocarunt: unde omnino dissensio non oriri non potuit. Ergo inueniendae artis iuris, et formandae philosophiae iuridicae prouinciam vacuum adhuc occupare constitui. Si quis eam desertam et adeo sterilem atque penitus negligendam reputet, fortassis errabit, quoniam, qui systemata vel compendia iuris naturalis composuerunt, aliquid huius negotii tentarunt. Ego plenam messem collecturus, finem haud tutius me consequi posse arbitratus sum, quam si vestigia conditorum artis legam, et textus veterum Iuris prudentium ad principia sua et rationes reuocem. Non potuit me deterrere tanti operis difficultas, quod societatem integram poscit, vniusque hominis opera maius est. Non tamen dico, quod alii solent: in magnis voluisse sat est: poteram enim abstinere: viderer omnino maluisse culpam excusare, quam culpa vacare. Sed hoc aio, vix aliquid ab aliis perfectum esse, quod nemo tentasset. Forte, si negotium susceptum reipublicae vtile et aptum videbitur, quo iuris prudentia luci et dignitati suae restituatur, felicioris ingenii viris occasionem praebiturus sum perficiendi

ea, quae defectuosa reliquero. Veruntamen, non sine ratione dubito, an hic labor publice profuturus sit, tametsi ex voto successerit. Si leges Pandectarum iam recte intellectae sunt, quid opus erit rationibus? si perperam, noua interpretatio vsus fori tollere non debet: minime enim sunt mutanda, quae certam interpretationem semper habuerunt. Aliquid tamen tribuendum erit dignitati iurisprudentiae, vt formam artis induat, vt sciatur magis quam credatur. Deinde vero neque propositum neque spem foveo, per meditata mea aut nouas resolutiones explicationesue legum receptam fori praxin reformatum iri: si qua tamen per demonstrationes euincantur, vel ex habitu reipublicae Romanae proprio, vel antiquitatis more profecta, ne ad consequentiam in praxi trahantur, ne Doctores inde argumentum legis sumant, tam prudentiae, quam iustitiae et iuris arti consentaneum erit: caeteroquin etiam talibus in praxi receptis officium iudicis restrictum impertendum est: nihil quasi ex bona fide vel aequitate congruens, nullae vsurae non pactae, nullae impensae non petitae, vel similia adiudicanda, non quid ex loco, tempore vel alia circumstantia plus minus debeat, respiciendum. Confido certe, quando e tractatione mea legis cuiuslibet indoles apparuerit, si partes litigantes nouerint, vtrum iure stricto an aequitate nitatur eorum causa, si limites officii iudicis, et quatenus sententiam extendere valeat, cognouerint, quod praxi forensi vel in hoc solo articulo bonum officium exhibiturus sim. Ad theoriam iuris quod attinet, nihil dicere opus est: hanc enim amplio et orno, eamque ad rationem, certitudinem et euidenciam reuoco. Demonstraui specimine Resolutionum Pandectarum iam pridem edito, hoc fieri posse. Prostat philosophiae maior pars demonstrata: Iurisprudentiae tanta claritas adhuc expectatur. Grotius ea, quae in iure ciuili Romano decisa exstant, exemplis quidem firmavit, sed cur ita decidere conueniat, rationibus ex principiis primis deriuatis non euicit: reliqua, quae vsu frequenti gentium et nationum fieri consueuerunt, ideo ius gentium dixit, quia vsu frequentata sunt. Verius tamen et iustus est, vt spectetur, quid Romae fieri debeat, non quid fiat. Pufendorfii opus de iure naturae et gentium videtur penitus mathematicum; nam ipsam latitudinem moralem: et similia crepundia venum exponit: sed praeter nomina inuita Minerua translata imo

detorta nihil mathematici, id est, demonstratiui ibi reperitur. Alias autem et omnes post eum magno numero e principiis, non certis vel cognitis, sed tentatis saltem et gratis adsumtis conclusiones iam praëiudicatas formare sategerunt. Methodus mathematica gratior esse coepit hac aetate, quam ante fuerat, vnde et gratior erit iurisprudentia ad eius modulum exornata. Dixi, quod iurisprudentia apta sit, vt in formam redigatur, nec ego solus sum, qui dico, sed antiqui idem dixerunt. Iurisprudentes artem suam inter recondita habuerunt, et primi non professi sunt artem iuris, sed responderunt saltem. Regulae iuris satis testantur ipsis axiomata fuisse: titulus de significatione verborum definitiones exhibet: vtilitas reipublicae eiusque constitutio loco obseruationum fuit: quid putas, principiis iuridicis deesse, ad exactam methodum? si ius naturae et gentium connumereres, de quo iam actum est. Proinde Cicero demonstrationem iuris dedit in Libro I. de Legibus, vt, quid vnice iustum sit, in qualibet quaestione dilucide appareat: nam ius litigia creare, ibi negat, sed iuris ignorantiam litigiosam esse ait. Gellius L. I. c. 22. testis est, eundem libellum conscripsisse de iure ciuili in artem redigendo. Nani et facile hoc effici posse, ipse Cicero alibi, L. I. de Oratore ostendit. Omnia enim, inquit, sunt posita ante oculos, collocata in vsu quotidiano, in congressione hominum atque in foro: neque ita multis literis aut voluminibus magnis continentur. Eadem enim sunt elata primum a pluribus, deinde paucis commutatis verbis, etiam ab iisdem scriptoribus, scripta sunt saepius. Et Suetonius Caesaris summum ingenium in arte iuris condenda occupatum fuisse, in vita eius cap. 44. auctor est. Compluribus aliis idem negotium fuit, et recentioribus quoque illo aeuo, quo nihil scitum politumque habebatur, nisi quod sub Tabellae conspectum distributum fuerat. Hunc in censum veniunt, Donellus, Althufius, Lagus, Vulteius, qui iuris materias methodice disposuerunt, legum autem rationes et demonstrationes non attigerunt. Vt igitur finem propositum certissime obtinerem, iuris naturae breuissimum compendium praemittendum fuit. Edidi aliquando librum elementarium iuris naturae et gentium, cuius positiones quasdam in praesenti curatius persecutus sum. Hic licentiam aliquantulae digressionis peto, quoniam alia diluendae imputationis isti libello factae,

factae, occasio se nondum obtulit. Nec etiam proprie digressio est, quia superioribus bene cum ea conuenit: nam, quod felix, faustum, fortunatumque sit, agatur iterum de obtreptione Philosophorum in Iurisconsultum. In dicto libello in eam sententiam scripsi: Natura rei est, quod eam ponit in certo genere. Natura voluntatis est, per quod ponitur in genere normatorum: ergo rationes et causas voluntas naturaliter sequitur: causarum mouentium aliae quidem res, circa quas voluntas versatur, in suo genere manere sinunt, ponunt, imo confirmant, aliae res inde expellunt: illas naturaliter sequendas, has negligendas esse. Illarum autem causarum interdum plures concurrunt, quarum quaedam fortiores, quaedam debiliores sunt: e. gr. causae quae rem in suo genere ponunt, sunt infirmiores illis, quae genus rei adhuc confirmant, vel plenius confirmant. Ita me conseruare possum caede iniusti adgressoris, ratio est, ut ipsum occidam: sed fac dari mihi libertatem fugae, qua ipsum et me simul saluum faciam: ratio est, cur fugiam, haec omnino fortior est: et hanc rationem potiore appellauit, quoniam hanc potius, quam infirmiore voluntas sequi debet. Hinc pro more magis, quam ex animi sententia principium iuris naturae statui, eius nempe, quod naturaliter eligendum est; sensum causae potioris circa id, quod per voluntatem hominis existere potest. Id est: si sentiam, melius me facere posse, non sufficere me bonum egisse: si sentiam, bonum me agere posse, peccare in naturam, si malum faciam. Meruit tenuis mea opella, ut a Professore quodam clarissimo in Germanica Introductione in Historiam literariam Parte 3. cap. 2. §. 36. recensita sit: ubi idem ait: Io. Georgii Wagneri, I. V. D. iuris naturalis et gentium liber elementarius, etc. multa singularia continet, quae considerari merentur: quia vero auctoris huius profundi principium cognoscendi iuris naturae, quod ad me attinet, nimis obscurum videtur, fateri mihi necesse est, quod nec in consequentiis omne intelligere poterim. Ius naturale non tam pro lege proprie sic dicta habet, quae homines etiam nolentes per modum obligationis externae ad obedientiam cogit, quam potius pro ordine in natura fundato, cui ut se conformem exhibeat voluntas humana vi naturalis impulsus per modum obligationis internae proprio motu incitatur, quatenus saltem recta intellectus sui vis pertingit. Hactenus ille. Vnde ergo illa obscuritas? Vox: ratio potior: non est insolens, quae reperitur apud

Apuleium Philos. mor. L. 2. pag. 28. editionis Wonneri apud Frobenios : quo sensu terminum accipiam, explicui in istis elementis P. 1. cap. 1. §. 16. In ipsa enunciatione non est perplexitas. Obscuritas neque in verbis, neque in re est : restat igitur vt sit in percipiente, quod etiam pro modestia sua clarissimus Auctor haud abnegare voluit. Reliqua autem ita, vti verbis recensentis referuntur, nequidem somniare potui. Quid de obligatione iuris naturae sententiam §. 17 et 18. cit. loco exposui, ad quae prouoco : voluntatem natura sua normalem esse : omnes philosophi agnoscunt : nulli tamen imputatum est quod mihi : quo candore concluditur : voluntas potest obligari, in ea est principium obligationem recipere aptum ; ergo in ea est principium quod obligat ? Quod ius naturae non habeat vim obligandi externam adhuc defendo, in Resolutionibus : (L. 1. tit. 1. §. 14.) Nusquam autem statui vim naturaliter impellentem, in ipsa voluntate sitam, quae voluntatem sponte moueat. Quis enim legi aduersaretur, quam naturaliter vellet ? qualis voluntas, posita hac fatali necessitate ? quae causa potior, per intellectum cognoscenda, si voluntas impulsu proprio et interno rapitur ? Nihilominus verba Auctoris Germanice scripta hanc sententiam, inuitis et maxime reclamantibus dictis meis, mihi tribuunt : *Sondern vielmehr als eine in der Natur gegründete Ordnung, welcher sich gemäß zu bezeigen der menschliche Wille, zu Folge seiner natürlichen Bewegung, per modum obligationis internae von freyen Stücken angetrieben wird.* Obligandi vim extra voluntatem existentem in Resolutionibus L. 1. tit. 1. §. 24. demonstro. Hunc alius excipit, qui auctoritate et iudicio prioris fretus in Historia sua Iurisprudentiae naturalis cap. 14. §. 3. de principio a me posito ita exclamat, vt de eo omnino conclamatum putes : Memini me apud Ciceronem legisse querelam de subdolo accusatore, qui in accusatione nihil dicat ; non enim dat quod defendatur. Hic ergo non Recensitor sed Censor, quid obscurum dicat, mihi explicet, aut, nisi me omnia fallunt, vti ipse ait, eius imputata obscuritas a paucissimis poterit intelligi. Demum triumuirorum postremus in libro, aut si mauis volumine, cui titulus : *Recht der Vernunft*, Libro I. cap. 3. §. 196. ad priores duos prouocat : horum iudicio sapit : imo verba primi fideliter transcribit. Sed copiosior litigator est, rationem obscuritatis reddit. Scilicet ita : Quia obligationem internam saltem agnosco : ergo obscurus sum. Vereor, vt falsum et obscurum scernere

nere sciat auctor. Falsum clare et distincte proponi potest. Ex falso praemisso non ideo obscurae consequentiae deriuantur, quia falsum est, sed falsa sequuntur. Huius ergo polygraphicam festinationem magnifacere non debeo. Nomina auctorum, vti hic, ita in Resolutionibus ipsis plerumque reticenda censui, si qua defensio contra dissentientes suscipienda fuit. Nam veritatem demonstrare licet sine personarum reprehensione. Iam vero ad cancellos reuertor. Quaedam libri elementarii positiones praemissae, aliae per Resolutionum diuersa loca sparsae, nimirum conuenienti loco dispositae reperientur. Ius gentium insigniter ampliatur, et si ea demantur, quae ex habitu reipublicae Romanae, et ratione vtilitatis ciuilibus originem trahunt, nil nisi ius naturale, potissimum autem gentium hic reperietur. Harum Resolutionum Specimen, quod Halae Saxonum aliquando edideram, plura promittit, quam modo praesto. Ius Institutionum, Codicis, Nouellarum, Canonicum et Germanicum ibi inserueram. Haec omnia absolutis Digestis cum perpetuis ad Resolutiones has remissionibus sequuntur: vt ea ratione ordo suus libris Iuris conseruetur, et lectores hoc opere comparato, alia Corporis Iuris editione carere possint. Singulis autem semestribus initio quidem liber vnus prodibit: breui autem plures, ita vt septimo abhinc anno integrum opus publici iuris factum proficere possit. Citationes et remissiones ad paragraphos ipsarum Resolutionum parenthesi clausae sunt: paragraphus sine libri et tituli allegatione citatus, eiusdem tituli est; vbi citatur. Parenthesi in ipso textu inclusa, maiorique caractere, vt ipsa textus verba, impressa, in nullo probato manuscripto, teste Russardo, reperiuntur. Reliqua Parenthesi inclusa, textibusque iuris diuerso caractere inserta, mea sunt, vt sensus appareat, quem textus esse puto. Mathematicorum axioma regulam nomino, theorema positionem, coniectarium argumentum, corollarium siue scholion annotationem dico. Nemo autem vim huius tractationis percipiet, nisi qui a capite ad calcem omnia ordine perlegerit, et paragraphos citantes diligenter euoluerit. Qua de causa etiam de eo, quod singulariter praestitum est, saltem per indicem in tergo tituli moneo. Caeteroquin de vtilitate operis nihil dico. Praeterquam enim, quod talia sine iactantia quadam dici non possunt, etiam vtilitas certa et in omnibus eadem nullius rei vel scripti ostendi potest: quidquid enim recipitur, secundum modum recipientis recipitur. Duo saltem pronittere audeo, memo-

memoriae insignae subsidium paratum iri: etenim innumeris conclusio-
nibus ad principia reuocatis principia saltem memoria tenere oportebit,
quae et pauca sunt, et natura ipsa monente facile succurrent. Deinde
principiorum filo ducente quaestiones infinite emergentes ad iuris ciuilis
analogiam decidi poterunt. Istud autem, quod pro mediocritate inge-
nii mei praestare nisus sum, solo veritatis et purioris doctrinae amore
efficiendum suscepi. Studium geniumque seculi, vel quid venturis
temporibus acceptum esse possit, minime ob oculos posui; qui hoc
alienissimum a me habeo, vt gloriae transitoriae contentibili lucello
gloriosus sim. Si paucis placuero, forte hominum meliori parti pro-
batus ero. Vniuscuiusque iudicium aequo animo accipiam, modo no-
lit reprehendere antequam scrutatus est: scrutari autem non poterunt,
qui historiis et fabellis Romanensibus legendis assidue occupati ani-
mum ad capienda et penetranda solidiora ineptum effecerunt. Si,
quod veritates altius repetii, iterum obscurus audiam, tunc, si sapio,
mala opinio bene parta delectabit.

Lignitii, die 20 Apr.

1743.

IO. GEORG. WAGNERVS,

V. Iur. D.



PRAE-

* * * * *

PRAEFATIONES DIGESTORVM

IPSIVS IVSTINIANI TRES.

P R I M A,

D E

CONCEPTIONE DIGESTORVM

AD TRIBONIANVM.

Imperator Caesar, Flavius IVSTINIANVS, pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, semper Augustus, Triboniano Quaestori suo, Salutem:

Deo auctore nostrum gubernante Imperium, quod nobis a coelesti maiestate traditum est, et bella feliciter peragimus, et pacem decoramus, et statum Reipublicae sustentamus: et ita nostros animos ad Dei Omnipotentis erigimus adiutorium; vt neque armis confidamus, neque nostris militibus, neque bellorum ducibus, vel nostro ingenio, sed omnem spem ad solam referamus summae prouidentiam Trinitatis, vnde et mundi totius elementa processerunt, et eorum dispositio in orbem terrarum producta est.

§. 1. Cum itaque nihil tam studiosum in omnibus rebus inuenitur, quam legum auctoritas, quae et diuinas et humanas res bene disponit, et omnem iniquitatem expellit: reperimus autem omnem legum tramitem, qui ab Vrbe Roma condita et Romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, vt [in] infinitum extendatur, et nullius humanae naturae capacitate concludatur: primum nobis fuit studium, a sacratissimis retro Principibus initium sumere, et eorum Constitutiones emendare, et viae dilucidae tradere: quatenus in vnum Codicem congregatae, et omni superuacua similitudine, et iniquissima discordia absolutae, vniuersis hominibus promptum suae sinceritatis praebeant praesidium.

§. 2. Hocque opere consummato, in vno volumine, nostro nomine praefulgente, coadunato: cum ex paucis et tenuioribus releuati ad summam et plenissimam iuris emendationem peruenire properaremus, et omnem Romanam sanctionem et colligere, et emendare, et tot

c

aucto-

auctorum dispersa volumina vno Codice indita ostendere, quod nemo [alius] neque sperare, neque optare ausus est: res quidem nobis difficillima, imo magis impossibilis videbatur, sed manibus ad coelum erectis, et aeterno auxilio inuocato, eam quoque curam nostris reposuimus animis, Deo freti, qui et res penitus desperatas donare, et consummare suae virtutis magnitudine potest.

§. 3. Et ad tuae sinceritatis optimum respeximus ministerium: tibi quoque primo et hoc opus commisimus, ingenii tui documentis, ex nostri Codicis ordinatione acceptis: et iussimus, quos probaueris tam ex facundissimis antecessoribus, quam ex viris disertissimis togatis fori Amplissimae sedis, ad sociandum laborem eligere. His itaque collectis, et in nostrum palatium introductis, nobisque tuo testimonio placitis, totam rem faciendam permisimus: ita tamen, vt tui vigilantissimi animi gubernatione res omnis celebretur.

§. 4. Iubemus igitur vobis antiquorum prudentium, quibus auctoritatem conscribendarum interpretandarumque legum sacratissimi Principes praebuerunt, libros ad ius Romanum pertinentes et legere, et eliminare: vt ex his omnibus materia colligatur, nulla, secundum quod possibile est, neque similitudine, neque discordia derelicta: sed ex his hoc colligi, quod vnum pro omnibus sufficiat. Quia autem et alii libros ad ius pertinentes scripserunt: quorum scripturae nullis auctoribus receptae, nec vsitatae sunt, neque nos eorum volumina nostram inquietare dignamur sanctionem.

§. 5. Cumque haec materia summa nostri numinis liberalitate collecta fuerit, oportet eam pulcherrimo opere extruere, et quasi proprium et sanctissimum templum iustitiae consecrare: et in libros quinquaginta, et certos titulos totum [ius] digerere, tam secundum nostri constitutionem Codicis, quam Edicti perpetui imitationem, prout hoc vobis commodius esse patuerit: vt nihil extra memoratam consummationem possit esse derelictum: sed his quinquaginta libris totum ius antiquum per millesimum et quadringentesimum pene annum confusum, et a nobis purgatum quasi quodam muro vallatum nihil extra se habeat: omnibus auctoribus iuris aequa dignitate pollutibus, et nemini quadam praerogatiua seruanda: quia non omnes in omnia, sed certi per certa vel meliores, vel deteriores inueniuntur.

§. 6.

§. 6. Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius et aequius est iudicatore: cum possit [vnius] forsitan et deterioris sententia et multas et maiores in aliqua parte superare. Et ideo ea quae antea in notis Aemilii Papiniani ex Ulpiano et Paulo, nec non Marciano adscripta sunt, quae antea nullam vim obtinebant propter honorem splendidissimi Papiniani, non statim respuere: sed si quid ex his ad repletionem summi ingenii Papiniani laborum, vel interpretationem necessarium esse perspexeritis, et hoc ponere legis vicem obtinens non moremini: ut omnes qui relati fuerint in hunc codicem prudentissimi viri habeant auctoritatem, tanquam si eorum studia ex principalibus Constitutionibus perfecta, et nostro diuino fuerant ore profusa: omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertietur auctoritas: nam qui [non] subtiliter factum emendat, laudabilior est eo, qui primus inuenit.

§. 7. Sed et hoc studiosum vobis esse volumus: ut si quid in veteribus non bene positum libris inueniatis, vel aliquod superfluum, vel minus perfectum: [superuacua] longitudine semota, et quod imperfectum est, repleatis, et omne opus moderatum et quam pulcherrimum ostendatis. Hoc etiam nihilo minus obseruando: ut, si aliquid in veteribus legibus vel Constitutionibus, quas antiqui in suis libris imposuerunt, non recte scriptum inueniatis, et hoc reformetis, et ordini moderato tradatis: ut hoc videatur esse verum, et optimum, et quasi ab initio scriptum, quod a vobis electum, et ibi positum fuerit. Et nemo ex comparatione veteris voluminis quasi vitiosam scripturam arguere audeat. Cum enim lege antiqua, quae Regia nuncupabatur, omne ius omnisque potestas populi Romani in imperatoriam translata sunt potestatem: nos vero sanctionem omnem non diuidimus in alias et alias conditorum partes, sed totam nostram esse volumus: quid possit antiquitas nostris legibus abrogare? Et in tantum volumus eadem omnia, cum reposita sunt, obtinere: ut etsi aliter fuerant apud Veteres conscripta, in contrarium autem in positione inueniantur, nullum crimen scripturae imputetur, sed nostrae electioni hoc adscribatur.

§. 8. Nulla itaque in omnibus praedicti Codicis membris antinomia (sic enim a vetustate Graeco vocabulo nuncupatur) aliquem

fibi vindicet locum, sed sit vna concordia, vna consequentia, aduersario nemine constituto.

§. 9. Sed et similitudinem, secundum quod dictum est, ab huiusmodi consummatione volumus exulare, et ea quae sacratissimis constitutionibus, quas in Codicem nostrum redegimus, cauta sunt; iterum poni ex veteri iure non concedimus: cum Diualium constitutionum sanctio sufficit ad eorum auctoritatem; nisi forte vel propter diuisionem, vel propter repletionem, vel propter pleniorē indaginem hoc contigerit, et hoc tamen perraro, ne ex continuatione huiusmodi lapsus oriatur aliquid in tali prato spinosum.

§. 10. Sed et si quae Leges in veteribus libris positae, iam in defuetudinem abierunt: nullo modo vobis easdem ponere permittimus: cum haec tantummodo obtinere volumus, quae vel iudiciorum frequentissimus ordo exercuit, vel longa consuetudo huius almae vr̄bis comprobauit, secundum Saluii Iuliani scripturam, quae indicat debere omnes ciuitates consuetudinem Romae sequi, quae caput est orbis terrarum, non ipsam alias ciuitates. Romam autem intelligendum est non solum veterem, sed etiam regiam nostram, quae Deo propitio cum melioribus condita est auguriis.

§. 11. Ideo iubemus, duobus istis Codicibus omnia gubernari: vno constitutionum, altero iuris enucleati, et in futurum Codicem compositi: vel si quid aliud a nobis fuerit promulgatum Institutionum vicem obtinens, vt rudis animus studiosi simplicibus enutritus, facilius ad altioris prudentiae redigatur scientiam.

§. 12. Nostram autem consummationem, quae vobis Deo adnuente componetur, Digestorum vel Pandectarum nomen habere sancimus: nullis iuris peritis in posterum audentibus commentarios illi applicare, et verbositate sua supradicti Codicis compendium confundere; quemadmodum in antiquioribus factum est, cum per contrarias interpretantium sententias, totum ius pene conturbatum est: sed sufficit per indices tantummodo et titulorum subtilitatem [quae *παράτιτλα* nuncupantur,] quaedam admonitoria eius facere, nullo ex interpretatione eorum vitio oriundo.

§. 13. Ne autem per scripturam aliqua fiat in posterum dubitatio: iubemus non per siglorum captiones, et compendiosa aenigmata, quae multas per se et per suum vitium antinomias induxerunt, eiusdem Codicis textum conscribi, etiam si numerus librorum significatur,

ficatur, aut aliud quiddam: nec enim per specialia figla numerorum manifestari, sed per litterarum consequentiam explanari concedimus.

§. 14. Haec igitur omnia Deo placido facere tua prudentia vna cum aliis facundissimis viris studeat, et tam subtili quam celerrimo fini tradere: vt Codex consummatus, et in quinquaginta libros Digestus offeratur in maximam et aeternam rei memoriam, Deique omnipotentis prudentiae argumentum, nostrique imperii vestrique ministerii gloriam. Data octauodecimo Kal. Ian. Lampadio et Oreste viris clarissimis Confl. 530. FELICITER.

* * * * *

DE

RATIONE ET METHODO IVRIS

DOCENDI AD ANTECESSORES.

Imperator Caesar, Flavius IUSTINIANVS, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, semper Augustus; Theophilo, Dorotheo, Theodoro, Isidoro, Anatolio, Thalleleo, & Gratino viris illustribus antecessoribus. Item et Salaminio viro disertissimo antecessori. Salutem:

Omnem reipublicae nostrae sanctionem iam esse purgatam & compositam tam in quatuor libris Institutionum seu elementorum, quam in quinquaginta Digestorum seu Pandectarum, nec non in duodecim Imperialium constitutionum, quis amplius quam vos cognoscit? Et omnia quidem quae oportuerat et ab initio mandare, et post omnium consummationem, factum libenter admittentes, definire, iam per nostras orationes tam Graeca lingua quam Romanorum, quas aeternas fieri optamus, explicita [sunt.] Sed cum vos [et omnes postea] professores legitimae scientiae constitutos etiam hoc oportuerat scire, quid et in quibus temporibus tradi necessarium studiosis credimus, vt ex hoc optimi atque eruditissimi efficiantur: ideo praesentem diuinam orationem ad vos praecipue faciendam existimamus, quatenus tam prudentia vestra, quam caeteri antecessores, qui eandem artem in omne aeuum exercere maluerint, nostris regulis obseruatis, inclytam viam eruditionis legitimae possint ambulare. Itaque dubio procul

quidem est, necesse esse Institutiones in omnibus studiis primum sibi vindicare locum, vtpote prima vestigia eius scientiae mediocriter tradentes: ex libris autem quinquaginta nostrorum Digestorum sex et triginta tantummodo sufficere [tam] ad vestram expositionem, quam ad iuventutis eruditionem iudicamus. Sed ordinem eorum, et tramites per quos ambulandum est, manifestare, tempestivum nobis esse videtur: & vos in memoriam quidem eorum, quae antea tradebatis, redigere: ostendere autem Nouellae nostrae compositionis tam utilitatem quam tempora, vt nihil huiusmodi artis relinquatur incognitum.

§. I. Et antea quidem (quemadmodum et vestra scit prudentia) ex tanta legum multitudine, quae in librorum quidem duo millia, versuum autem tricies centena extendebatur, nihil aliud nisi sex tantummodo libros et ipsos confusos, et iura vtilia in se perraro habentes, a voce magistra studiosi accipiebant, caeteris iam desuetis, iam omnibus inuiis. In his autem sex libris Gaii nostri Institutiones, et libri singulares quatuor, primus de illa vetere re vxoria, secundus de tutelis, et tertius necnon quartus de testamentis et de legatis connumerabantur: quos nec totos per sequentias accipiebant, sed multas partes eorum quasi superuacuas praeteribant. Et primi anni hoc opus legentibus tradebatur non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim, & quasi per saturam collectum, vtile cum inutilibus mixtum, maxima parte inutilibus deputata. In secundo autem anno praepostera ordinatione habita, [prima] pars legum eis tradebatur, quibusdam certis titulis ab ea exceptis: cum erat enorme post Institutiones aliquod legere, quam quod in legibus et primum positum est, et istam nuncupationem meruerit. Post eorum vero lectionem, neque illam continuam, sed particularem, & ex magna parte inutilem constitutam, tituli alii eis tradebantur tam ex illa parte legum, quae de iudiciis nuncupatur, et ipsis non] continuam, sed raram vtilium recitationem praebentibus, quasi caetero toto volumine inutili constituto: quam ex illa quae de rebus appellatur, septem libris semotis, & in his multis partibus legentibus inuiis, vtpote non idoneis, neque aptissimis ad eruditionem constitutis. In tertio autem anno quod ex vtroque volumine, id est, de rebus vel de iudiciis, in secundo anno non erat traditum, accipiebant secundum vicissitudinem vtriusque voluminis: et ad sublimissimum Papinianum, eiusque responsa iter [eis] aperiebatur. Et ex praedicta responsorum

con-

consummatione, quae decimo et nono libro concludebatur, octo tantummodo libros accipiebant: nec eorum totum corpus eis tradebatur, sed pauca ex multis, ea breuissima ex ampliffimis: vt adhuc sitientes ab eis recederent. His igitur solis a professoribus traditis, Pauliana responsa per semet ipsos recitabant: neque haec in solidum, sed per imperfectum, et iam quodammodo male consuetum inconsequentiae cursum. Et hinc erat in quartum annum omnis antiquae prudentiae finis: vt (si) quis ea quae recitabant, enumerare malit, computatione habita inueniat ex tam immensa legum multitudine vix versuum sexaginta millia eos suae notionis perlegere: omnibus aliis deuiis & incognitis: & tunc tantummodo ex aliqua minima parte recitandis, quotiens vel iudiciorum vsus hoc fieri coegerit, vel ipsi magistri legum aliquid ex his perlegere festinabatis, vt sit vobis aliquid amplius discipulorum peritia. Et haec quidem fuerant antiquae eruditionis monumenta, secundum quod et vestro testimonio confirmatur.

§. 2. Nos vero tantam penuriam legum inuenientes, & hoc miserimum iudicantes, legitimos thesauros volentibus aperimus, quibus per vestram prudentiam quodammodo erogatis, ditissimi legum oratores efficiantur discipuli. Et primo quidem anno nostras hauriant Institutiones, ex omni pene veterum Institutionum corpore eliminatas, & ab omnibus turbidis fontibus in vnum liquidum stagnum conriuatas, tam per Tribonianum virum magnificum magistrum & exquaestorem sacri palatii nostri et exconsulem, quam duos e vobis, id est, Theophilum & Dorotheum facundissimos antecessores. In reliquam vero anni partem secundum optimam consequentiam primam legum partem eis tradi sancimus, quae Graeco vocabulo *πρῶτα* nuncupatur, qua nihil est anterius: quia quod primum est, aliud ante se habere non potest, et haec eis exordium et finem eruditionis primi anni esse decernimus. Cuius auditores non volumus vetere tam friuolo quam ridiculo cognomine Dupondios appellari, sed Iustinianos nouos nuncupari, et hoc in omne futurum aeuum obtinere censemus: vt hi qui rudes adhuc legitimae scientiae adspirent, et scita prioris anni accipere maluerint, nostrum nomen mereant: quia illico tradendum eis est primum volumen, quod nobis emanauit auctoribus: antea enim dignum antiqua confusione legum cognomen habebant; cum autem leges iam clare et dilucide animis eorum tradendae erant, necesse erat eos et cognomine mutato fulgere.

§. 3. In secundo autem anno, per quem ex edicto eis nomen antea positum, & a nobis probatur, vel de iudiciis libros septem, vel de rebus octo accipere eos sancimus, secundum quod temporis vicissitudo indulserit, quam intactam obseruari praecipimus. Sed eosdem libros de iudiciis vel de rebus totos, et per suam consequentiam accipiant, nullo penitus ex his derelicto: quia omnia noua pulchritudine sunt decorata, nullo inutili, nullo defueto in his penitus inueniendo. Alterutri autem eorumdem volumini, id est, de iudiciis vel de rebus adiungi in secundi anni audientiam volumus quatuor libros singulares, quos ex omni compositione librorum excerpimus: ex collectione quidem tripartiti voluminis, quod pro dotibus composuimus, vno libro excerpto; ex duobus autem de tutelis et curationibus vno; vt ex gemino volumine de testamentis, vno; et ex septem libris de legatis et fideicommissis, et quae circa ea sunt, simili modo vno tantum libro. Hos igitur quatuor libros, qui in primordiis singularum memoratarum compositionum positi sunt, tantummodo a vobis eis tradi sancimus, caeteris decem opportuno tempore conseruandis: quia neque possibile est, neque anni secundi tempus sufficit ad istorum 14 librorum magistra voce eis tradendorum recitationem.

§. 4. Tertii insuper anni doctrina talem ordinem sortiatur, vt siue libros de iudiciis, siue de rebus secundum vices legere eis fors tulerit, concurrat eis tripartita legum singularium dispositio: et in primis liber singularis ad hypothecariam formulam, quem opportuno loco, in quo de hypothecis loquimur, posuimus: vt cum aemula sit pignoratitiis actionibus, quae in libris de rebus positae sunt, non abhorreat eorum vicinitatem: cum circa easdem res ambabus pene idem studium est. Et post eundem librum singularem alius liber similiter eis aperiatur, quem ad edictum aedilium, et de rehditoria actione, et de euictionibus, necnon duplae stipulatione composuimus: cum enim quae pro emptionibus et venditionibus legibus cauta sunt, in libris de rebus praefulgent; hae autem omnes quas diximus definitiones in vltima parte prioris edicti fuerant positae: necessario eas in anteriorem locum transtulimus, ne a venditionibus, quarum quasi ministrae sunt, vicinitate vltius deuantentur. Et hos tres libros cum acutissimi Papiniani lectione tradendos posuimus, quorum volumina in tertio anno studiosi recitabant, non ex omni eorum corpore, sed sparsim pauca ex multis et in hac parte accipientes. Vobis autem pulcherrimus Papinianus non solum ex re-

sponsis,

sponsis, quae in decem et nouem libros composita fuerant, sed etiam ex libris septem et triginta quaestionum, et gemino volumine definitionum, nec non de adulteriis, et pene omni eius expositione in omni nostrorum Digestorum ordinatione praefulgens propriis partibus praeclarus sui recitationem praebebit. Ne autem tertii anni auditores, quos Papinianistas vocant, nomen et festiuitatem eius amittere videantur, ipse iterum in tertium annum per bellissimam machinationem introductus est: librum enim hypothecariae ex primordiis plenum eiusdem maximi Papiniani fecimus lectione, vt et nomen ex eo habeant, et Papinianistae vocentur, et [eius reminiscentes, et] laetificentur, et festum diem, quem cum primum leges eius accipiebant, celebrare solebant, peragant: et maneat viri sublimissimi praefectorii Papiniani et per hoc in aeternum memoria, hocque termino tertii anni doctrina concludatur.

§. 5. Sed quia solitum, anni quarti studiosos Graeco et consueto quodam vocabulo *λύτας* appellari; habeant quidem si maluerint hoc cognomen: pro responsis autem prudentissimi Pauli, quae antea ex libris viginti tribus vix in decem et octo recitabant, per iam expositam confusionem eos legentes, decem libros singulares, qui ex quatuordecim, quos antea enumerauimus, supersunt studeant lectitare: multo maioris et amplioris prudentiae es eis thesaurum consecuturi, quam quem ex Paulianis habebant responsis. Et ita omnis ordo librorum singularium a nobis compositus, et in decem et septem libros partitus eorum animis imponetur: quem in duabus Digestorum partibus posuimus, id est, quarta et quinta secundum septem partium distributionem: et quod iam primis verbis orationis nostrae posuimus, verum inueniatur, vt ex triginta sex librorum recitatione fiant iuvenes perfecti, et ad omne opus legitimum instructi, et nostro tempore non indigni, duabus aliis partibus, id est, sexta et septima nostrorum Digestorum, quae in quatuordecim libros compositae sunt, eisdem positae, vt possint postea eos et legere, et in iudiciis ostendere. Quibus si bene sese imbuerint, et in quinti anni, quo prolytae nuncupantur, metas, constitutionum Codicem tam legere, quam subtiliter intelligere studeant: nihil eis legitimae scientiae deerit, sed omnem ab initio vsque ad finem suis animis amplectantur; et, quod pene in alia nulla euenit arte, cum etsi vilissimae sint, omnes tamen infinitae sint, haec sola scientia habeat finem mirabilem, in praesenti tempore a nobis sortita.

§. 6. Discipuli igitur, omnibus eis legitimis arcanis referatis, nihil habeant absconditum: sed omnibus perlectis, quae nobis per Triboniani

boniani viri excelsi ministerium, caeterorumque composita sunt, et oratores maximi, et iustitiae satellites inueniantur, et iudiciorum optimi tam athletae, quam gubernatores in omni loco aeoque felices.

§. 7. Haec autem tria volumina a nobis composita tradi eis, tam in regis urbibus, quam in Berytiensium pulcherrima ciuitate, quam et legum nutricem bene quis appellet, tantummodo volumus: quod iam et a retro principibus constitutum est, et non in aliis locis quae [a] maioribus tale non meruerint priuilegium: quia audiuius etiam in Alexandrina splendidissima ciuitate, et in Caesariensium, et in aliis, quosdam imperitos homines deuagare, et doctrinam discipulis adulterinam tradere, quos sub hac interminatione ab hoc conamine repellimus, vt si ausi fuerint in posterum in hoc perpetrare, et extra vrbes regias, et Berytiensium metropolim hoc facere, denarum librarum auri poena plectentur, et reiiciantur ab ea ciuitate, in qua non leges docent, sed in leges committunt.

§. 8. Illud autem quod iam tum ab initio hoc opus mandantes in nostra oratione, et post completum in alia nostri numinis constitutione scripsimus, et nunc vtiliter ponimus: vt nemo audeat eorum, qui libros conscribunt, sigla in his ponere, et per compendium ipsi legum interpretationi vel compositioni maximum adferre discrimen: scituris omnibus librariis, qui hoc in posterum commiserint, quod post criminalem poenam aestimationem libri in duplum domino eius, si nescienti dederint, inferre compellentur: cum et ipse qui talem librum comparauerit, pro nihilo eum habebit, nemine iudice ex tali libro fieri recitationem concedente, sed pro non (pro) scripto eum haberi disponente.

§. 9. Illud vero satis necessarium constitutum cum summa interminatione edicimus, vt nemo audeat neque in hac splendidissima ciuitate, neque in Berytiensium pulcherrimo oppido, ex his qui legitima peragunt studia, indignos et pessimos, immo magis seruales, et quorum effectus iniuria est, ludos exercere, et alia crimina vel in ipsos professores, vel in socios suos et maxime in eos, qui rudes ad recitationem legum perueniunt, perpetrare: quis enim ludos appellet eos ex quibus crimina oriuntur? hoc etenim fieri nullo patimur modo, sed optimo ordini in nostris temporibus et hanc partem tradimus, et toto postero transmittimus saeculo: cum oportet prius animas, et postea linguas fieri eruditas.

§. 10. Et haec omnia in hac quidem florentissima ciuitate vir excel-

excellus praefectus huius almae vrbis tam obseruare quam vindicare, prout delicti tam iuuenum quam scriptorum qualitas exegerit, curae habebit. In Berytiensium autem ciuitate tam vir clarissimus praefes Phoeniciae maritimae, quam beatissimus eiusdem ciuitatis Episcopus, et legum professores.

§. II. Incipite igitur legum doctrinam eis Dei gubernatione tradere, et viam aperire quam nos inuenimus; quatenus fiant optimi iustitiae et reipublicae ministri, et vos maximum decus in omne saeculum sequatur, quia vestris temporibus talis legum inuenta est permutatio, qualem et apud Homerum patrem omnis virtutis Glaucus et Diomedes inter se faciunt, dissimilia permutantes.

Χρύσεια χαλκείων εκατόμβοια ἐνεαβόλων.

Hoc est,

Aurea aereis, centena nouenariis.

Quae omnia obtinere sancimus in omne aeuum ab omnibus tam professoribus, quam legum auditoribus, et librariis, et ipsis iudicibus obseruanda. Data 17. Kal. Ianuarias Constantinopoli, Domino nostro Iustiniano perpetuo Augusto ter Consule 533.

* * * * *

SECUNDA PRAEFATIO DIGESTORVM,
DE
CONFIRMATIONE DIGESTORVM
AD SENATVM ET OMNES POPVLOS.

IN NOMINE DOMINI ET DEI NOSTRI

I E S V C H R I S T I.

Imperator Caesar, Flavius Iustinianus, Alemanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, inchyus, victor ac triumphator, semper Augustus, ad Senatum et omnes populos.

Tanta circa nos diuinae humanitatis est prouidentia, vt semper aeternis liberalitatibus nos sustentare dignetur. Post bella enim Parthica aeterna pace sopita, postque Vandalicam gentem ereptam, et Carthaginem, immo magis omnem Libyam Romano imperio iterum sociatam: et leges antiquas iam senio prae-grauatas, per

nostram vigilantiam praebuit in nouam pulchritudinem et moderatum peruenire compendium : quod nemo ante nostrum imperium vnquam sperauit, neque humano ingenio possibile esse penitus existimauit. Erat enim mirabile, Romanam sanctionem ab vrbe condita vsque ad nostri imperii tempora, quae pene in mille et quadringentos annos concurrunt, intestinis praeliis vacillantem, hocque et in Imperiales constitutiones extendentem, in vnam reducere consonantiam: vt nihil neque contrarium, neque idem, neque simile in ea inueniatur, et ne geminae leges pro rebus singulis positae vsquam appareant: namque hoc coelestis quidem prouidentiae peculiare fuit: humanae vero imbecillitati nullo modo possibile. Nos itaque more solito ad immortalitatis respeximus praesidium, et summo numine invocato, Deum auctorem et totius operis praesulem fieri optauimus: et omne studium Triboniano, viro excelso, Magistro officiorum, et Exquaestore sacri nostri palatii et Exconsule credidimus, eique omne ministerium huiuscemodi ordinationis imposuimus, vt ipse vna cum aliis (viris) illustribus et prudentissimis viris nostrum desiderium adimpleret: nostra quoque maiestas semper inuestigando et perscrutando ea, quae ab his componebantur, quicquid dubium et incertum inueniebatur, hoc numine coelesti erecta emendabat, et in competentem formam redigebat.

§. I. Omnia igitur confecta sunt, Domino et Deo nostro Iesu Christo possibilitatem tam nobis quam nostris in hoc satellitibus praestante. Et principales quidem Constitutiones duodecim libris digestas, iam ante in Codicem nostro nomine praefulgentem contulimus. Postea vero maximum opus adgredientes, ipsa vetustatis studiosissima opera iam pene confusa et dissoluta, eidem viro excelso permisimus tam colligere quam certo moderamine tradere. Sed cum omnia percontabamur, a praefato viro excelso suggestum est duo pene millia librorum esse conscripta, et plus quam trecenties decem millia versuum a veteribus effusa, quae necesse [esset] omnia et legere et perscrutari, et ex his si quid optimum fuisset, eligere. Quod coelesti fulgore et summae Trinitatis fauore confectum est secundum nostra mandata, quae ab initio ad memoratum virum excelsum fecimus: et in quinquaginta libros omne quod vtilissimum erat, collectum est: et omnes ambiguitates decisae, nullo seditioso relicto, nomenque libris imposuimus Digestorum seu Pandectarum, qui omnes disputationes et decisiones in se habent legitimas, et quod vndique fuit collectum, hoc in
finis

finus receperunt: in centum quinquaginta pene millia versuum totum opus consummantes: et in septem partes eos digessimus non perperam, neque sine ratione; sed in numerorum naturam et artem respicientes, et consentaneam eis diuisionem partium conficientes.

§. 2. Igitur prima quidem pars totius contextus, quae Graeco vocabulo *πρῶτα* nuncupatur, in quatuor libros seposita est.

§. 3. Secundus autem articulus septem libros habet, qui de iudiciis appellantur.

§. 4. In tertia vero congregatione omnia, quae de rebus nominantur, contulimus, octo libris eis deputatis.

§. 5. Quartus autem locus qui et totius compositionis quasi quoddam inuenitur umbilicum, octo libros suscepit: in quibus omnia, quae ad hypothecam pertinent, reposita sunt, ut non pignoratitia actione in libris de rebus posita multum distarent. Alio libro eodem inserto volumine, quae aedilitium edictum et redhibitoriam actionem et duplae stipulationem, quae de euictionibus proposita est, continet: quia haec omnia titulis emptionum et venditionum consentanea sunt: et praedictae actiones, quasi pedissequae illarum ab initio processerunt, in vetustioris quidem edicti ordinatione in loca deuia et multo distantia deuagantes: per nostram autem providentiam his congregatae: cum oportuerat ea, quae de eodem pene loquuntur, in confinio ponere. Alius itaque liber post duo primos nobis excogitatus est de usuris, et traiectionibus pecuniis, et de instrumentis et testibus, et probationibus, [necnon praesumptionibus], et memorati tres singulares libri iuxta compositionem de rebus positi sunt. Post hos si qua de sponsalibus, vel nuptiis vel dotibus legibus dicta sunt, reposuimus, tribus librorum voluminibus ea concludentes. De tutelis autem et curationibus geminos libros conscripsimus. Et memoratam ordinationem octo librorum mediam totius operis reposuimus, omnia vndique tam vtilissima quam pulcherrima iura continentem.

§. 6. Quintus autem exoritur nobis Digestorum articulus, in quem de testamentis et codicillis tam priuatorum quam militum, omne quidquid antiquis dictum inueniat quis depositum: qui de testamentis appellatur. De legatis autem et fideicommissis quinque librorum numerus adgregatus est. Cumque nihil tam peculiare fuerat, quam (ut) legatis quidem legis Falcidae narratio, fideicommissis autem Senatusconsulti Trebelliani, singulis libris vtrique eorum applicatis tota pars quinta in nouem libros coadunata est. Solum autem

Senatusconsultum Trebellianum ponendum esse existimauimus; captiosas etenim et ipsis veteribus odiosas Pegasiani Senatusconsulti ambages, et vtriusque Senatusconsulti ad se tam superuacuas quam scrupulosas diuersitates respuentes, totum ius super his positum Trebelliano Senatusconsulto adiudicauimus. Sed in his nihil de caducis a nobis memoratum est: ne causa quae in rebus non prospere gestis, et tristibus temporibus Romanis increbuit calamitatibus, bello coalescens ciuili, nostris maneat temporibus, quae fauor coelestis et pacis vigor firmavit, et [super] omnes gentes in bellicis [victori] periculis superposuit: ne luctuosum monumentum laeta saecula inumbrare concedatur.

§. 7. Sexta deinde pars Digestorum exoritur, in quibus omnes bonorum possessiones positae sunt, quae ad ingenuos, quae ad libertinos respiciunt: vt et ius omne quod de gradibus et adfinitatibus descendit, legitimaeque hereditates, et omnis ab intestato successio, et Tertullianum et Orphitianum Senatusconsultum, ex quibus mater et filii inuicem sibi heredes existunt, in geminos libros contulimus, bonorum possessionum multitudinem in compendiosum et manifestissimum ordinem concludentes. Post haec ea, quae de operis noui nunciationibus, damni que infecti, et pro aedificiis dirutis, et eorum insidiis, et quae de aqua pluuiarum arcenda veteribus auctoribus placita sunt: nec non de publicanis, et donationibus tam inter viuos, quam mortis causa conficiendis cauta legibus inuenimus: in librum singularem deduximus. De manumissionibus autem et de liberali causa alius liber respondit: quemadmodum et de acquisitione tam dominii quam possessionis, et titulis qui eam inducunt, multae et variae lectiones vni sunt insertae volumini, alio libro deputato his qui iudicati vel in iure confessi sunt, et de bonorum detentionibus et [venditionibus,] et vt ne quid in fraudem creditorum fiat. Postque haec omnia interdicta glomerata sunt: et deinceps exceptiones et de temporum prolixitatibus: et de obligationibus et actionibus liber iterum singularis extenditur, vt praefata sexta pars totius Digestorum voluminis octo libris definiatur.

§. 8. Septimus autem et nouissimus articulus Digestorum sex libris formatus est, quos de stipulationibus [seu verborum obligationibus], et fideiussoribus et mandatoribus, necnon nouationibus et solutionibus, et acceptilationibus, et de Praetoriis stipulationibus, omne quod ius inuenitur, gemino volumine inscriptum est, quod in libris

libris antiquis nec numerari possibile fuit. Et post hoc duo terribiles libri positi sunt pro delictis priuatis, et extraordinariis, necnon publicis criminibus, qui omnem continent seueritatem poenarumque atrocitatem. Quibus permixta sunt et ea, quae de audacibus hominibus cauta sunt, qui se celare conantur, et contumaces existunt: et de poenis quae condemnatis infliguntur, vel conceduntur: necnon de eorum substantiis. Liber autem singularis pro appellationibus nobis excogitatus est contra sententias, tam ciuiles quam criminales causas finientes. Caetera autem omnia, quae ad municipales, vel de decurionibus, et muneribus vel publicis operibus vel nundinis, et pollicitationibus et diuersis cognitionibus [et censibus,] vel significatione verborum veteribus inuenta sunt, quaeque regulariter definita, in sese recepit quinquagesimus totius consummationis perfectus.

§. 9. Quae omnia confecta sunt per virum excelsum, necnon prudentissimum Magistrum, Exquaestore et Exconsule Tribonianum qui similiter eloquentiae et legitimae scientiae artibus decoratus, et in ipsis rerum experimentis emicuit, nihilque maius nec carius nostris vnquam iussionibus duxit: nec non per alios viros magnificos et studiosissimos perfecta sunt, id est, Constantinum virum illustrem, Comitem sacrarum largitionum, et magistrum scrinii libellorum, sacrarumque cognitionum, qui semper nobis ex bona opinione et gloria sese commendauit: necnon Theophilum virum illustrem, magistrum iurisque peritum in hac splendidissima ciuitate laudabiliter optimam legum gubernationem extendentem: et Dorotheum [viri] illustrem et facundissimum quaestorium, quem in Berutiensium splendidissima ciuitate leges discipulis tradentem propter eius optimam opinionem et gloriam ad nos deduximus, participemque huius operis fecimus: sed et Anatolium virum illustrem magistrum, qui et ipse apud Berutienses iuris interpres constitutus ad hoc opus allectus est, vir ab antiqua stirpe legitima procedens, cum et pater eius Leontius et auus Eudoxius [qui post Patricium inclytæ recordationis quaestorium et antecessorem, et Leontium virum gloriosissimum praefectorium consularem, atque Patricium filium eius] optimam sui memoriam in legibus reliquerunt: necnon Cratinum virum illustrem et comitem sacrarum largitionum, et optimum antecessorem huius almae vrbis constitutum: qui omnes ad praedictum opus electi sunt vna cum Stephano, Menna, Prosdocio, Eutolmio, Timotheo, Leonide, Leontio, Platone, Iacobo, Constantino, Iohanne, viris prudentissimis, qui patroni quidem sunt causarum

farum apud maximam sedem praefecturae quae Orientalibus praetoniis praesidet. Omne autem suae virtutis testimonium vndique accipientes, et a nobis ad tanti operis consummationem electi sunt: et cum omnes in vnum conuenerunt gubernatione Triboniani viri excelsi, ut tantum opus nobis auctoribus possint conficere, Deo propitio in praedictos quinquaginta libros opus consummatum est.

§. IO. Tanta autem [a] nobis antiquitati habita est reuerentia, ut nomina prudentium taciturnitati tradere nullo patiamur modo: sed vnusquisque eorum qui auctor legis fuit, nostris Digestis inscriptus est: hoc tantummodo a nobis effecto, ut si quid in legibus eorum vel superuacuum vel imperfectum vel minus idoneum visum est: vel adiectionem, vel deminutionem necessariam accipiat, et rectissimis tradatur regulis, et in multis similibus vel contrariis quod rectius habere apparebat, hoc pro aliis omnibus positum est, vnaque omnibus auctoritate indulta: ut quidquid ibi scriptum est, hoc nostrum appareat, et ex nostra voluntate compositum: nemine audente comparare ea quae antiquitas habebat, et quae nostra auctoritas introduxit: quia multa et maxima sunt quae propter vtilitatem rerum transformata sunt, adeo ut et si principalis Constitutio fuerat in veteribus libris relata, neque ei pepercimus, sed et hoc corrigendum esse putauimus, et in melius restaurandum: nominibus etenim veteribus relictis, quidquid legum veritati decorum et necessarium fuerat, hoc nostris emendationibus seruauimus: et propter hanc causam et si quid inter eos dubitabatur, hoc iam in tutissimam peruenit quietem, nullo titubante relicto.

§. II. Sed cum prospeximus quod ad portandam tantae sapientiae molem non sunt idonei homines rudes, et qui in primis legum vestibulis stantes intrare ad arcana eorum properant: et aliam medio-crem emendationem praeparandam esse censuimus, ut sub ea colorati, et quasi primitiis omnium imbuti, possint ad penetralia eorum intrare, et formam legum pulcherrimam non conuenientibus oculis accipere. Et ideo Triboniano viro excelsi, qui ad totius operis gubernationem electus est, nec non Theophilo, et Dorotheo, viris illustribus et facundissimis antecessoribus accersitis, mandauimus, quatenus libris quos veteres composuerunt, qui prima legum argumenta continebant, et Institutiones vocabantur, separatim collectis, quidquid ex his vtile et aptissimum et vndique sit elimatum, et rebus quae in praesenti aetate in vsu vertuntur, consentaneum inuenitur, hoc et capere studeant, et quatuor libris reponere, et totius eruditionis prima fundamen-

damenta atque elementa ponere: quibus iuuenes suffulti possint grauiora et perfectiora legum scita sustentare. Admonuimus autem eos, vt memores etiam nostrarum fiant Constitutionum, quas pro emendatione iuris promulgauimus: & in confectione Institutionum etiam eadem emendatione ponere non morentur: vt sit manifestum et quid antea vacillabat, et quid postea in stabilitatem redactum est. Quod opus ab his perfectum, vt nobis oblatum et relectum est, et prono suscepimus animo et nostris sensibus non indignum esse iudicauimus, et praedictos libros Constitutionum vicem habere iussimus: quod et in oratione nostra, quam eisdem libris praeposuius, apertius declaratur.

§. 12. Omni igitur Romani iuris dispositione composita, et in tribus voluminibus (id est, Institutionum, et Digestorum seu Pandectarum, necnon Constitutionum) perfecta et in tribus annis consummata, quae vt primum separari coepit; neque in totum decennium compleri sperabatur: omnipotenti Deo et hanc operam ad hominum sustentationem piis obtulimus animis, vberesque gratias maximae Deitati reddidimus, quae nobis praesitit et bella feliciter agere, et honesta pace perpotiri, et non tantum nostro, sed etiam omni aeuo tam instanti quam posteriori leges optimas ponere.

§. 13. Omnibus itaque hominibus eandem Sanctionem manifestam facere, necessarium [esse] perspeximus: vt sit eis cognitum, quanta confusione et infinitate absoluti, in quam moderationem et legitimam veritatem peruenerunt: legesque in posterum habeant tam directas quam compendiosas, omnibusque in promptu positas, et ad possidendi libros earum facilitatem idoneas; vt non mole diuitiarum expensa possint homines superuacuae legum multitudinis adipisci volumina, sed vilissima pecunia facilis eorum comparatio pateat tam ditioribus quam tenuioribus, minimo pretio magna prudentia reparanda.

§. 14. Si quid autem in tanta legum compositione, quae ab immenso librorum numero collecta est, simile forsitan raro inueniatur, nemo hoc vituperandum existimet: sed primum quidem imbecillitati humanae, quae naturaliter inest, hoc inscribat: quia omnium habere memoriam, et penitus in nullo peccare, diuinitatis magis quam mortalitatis est: quod et a maioribus dictum est: deinde sciat, quod similitudo in quibusdam et his breuissimis adsumpta non inutilis est, et nec citra nostrum propositum hoc subsequutum: aut enim ita lex necessaria erat, vt diuersis titulis propter rerum cognationem applicari eam

oporteat; aut cum fuerat aliis diuersis permixta, impossibile erat [eam] per partes detrahi, ne totum confundatur, et in his partibus in quibus perfectissimae visiones expositae veterum fuerant, quod particulatim in eas fuerat sparsum, hoc diuidere ac separare, penitus erat inuiciale: ne tam sensus quam aures legentium ex hoc perturbentur. Similique modo si quid principalibus Constitutionibus cautum est, hoc in Digestorum volumine poni nullo concessimus modo: quasi Constitutionum recitatione sufficiente: nisi et hoc raro ex iisdem causis quibus similitudo adsumpta est.

§. 15. Contrarium autem aliquid in hoc Codice positum nullum sibi locum vendicabit, nec inuenitur, si quis subtili animo diuersitatis rationes excutiet, sed est aliquid nouum inuentum, vel occulte positum, quod dissonantiae querelam dissoluit, et aliam naturam inducit discordiae fines effugientem.

§. 16. Sed et si quid forsitan praetermissum est, quod in tantis millibus quasi in profundo positum latitabat, et cum idoneum fuerat poni, obscuritate inuolutum necessario derelictum est: quis hoc apprehendere recto animo possit? primo quidem propter ingenii mortalis exiguitatem: deinde propter ipsius rei vitium, quod multis inutilibus permixtum nullam sui ad eruendum praebuit copiam: deinde quod multo vtilius est pauca idonea effugere, quam multis inutilibus homines praegrare.

§. 17. Mirabile autem aliquid ex his libris emerit, quod multitudo antiqua praesente breuitate paucior inuenitur: homines etenim qui antea lites agebant, licet multae leges fuerant positae, tamen ex paucis lites perferebant, vel propter inopiam librorum quos comparare eis impossibile erat, vel propter ipsam inscientiam, et voluntate iudicum magis, quam legitima auctoritate lites dirimebantur. In praesenti autem consummatione nostrorum Digestorum e tantis leges collectae sunt voluminibus, quorum et nomina antiquiores homines non dicimus nesciebant, sed nec vnquam audiebant, quae omnia collecta sunt substantia amplissima congregata: vt egena quidem antiqua multitudo inueniatur, opulentissima autem breuitas nostra efficiatur. Antiquae autem sapientiae librorum copiam maxime *Tribonianus* vir excellentissimus praebuit, in quibus multi fuerant et ipsis eruditissimis hominibus incogniti: quibus omnibus perlectis, quidquid ex his pulcherrimum erat, hoc semotum in nostram compositionem peruenit. Sed huius operis conditores non solum ea volumina perlegerunt, ex quibus

quibus leges positae sunt: sed etiam alia multa, quae, nihil vel vtile, vel nouum eis inuenientes, quod exceptum nostris Digestis applicarent, optimo animo respuerunt.

§. 18. Sed quia diuinae quidem res perfectissimae sunt, humani vero iuris conditio semper infinitum decurrit, et nihil est in ea, quod stare perpetuo possit; multas etenim formas edere natura nouas deproperat: non desperamus quaedam postea emergi negotia, quae adhuc legum laqueis non sunt innodata. Si quid igitur tale contigerit, augustum impleretur remedium: quia ideo Imperialem fortunam rebus humanis Deus praeposuit, vt possit omnia quae nouiter contingunt, et emendare, et componere, et modis, et regulis competentibus tradere. Et hoc non primum a nobis dictum est: sed ab antiqua descendit prosapia: cum et ipse *Iulianus*, legum et edicti perpetui subtilissimus conditor, in suis libris hoc retulit, vt si quid imperfectum inueniatur, ab Imperiali sanctione hoc repleatur: et non ipse solus, sed et *Diuis Hadrianus* in compositione edicti, et SC. quod eam secutum est, hoc apertissime definiuit, vt si quid in edicto positum non inuenitur, hoc ad eius regulas, eiusque coniecturas et imitationes possit noua instruere auctoritas.

§. 19. Haec igitur omnia scientes patres conscripti, et omnes orbis terrarum homines, gratias quidem amplissimas agite summae Diuinitati, quae vestris temporibus tam saluberrimum opus seruauit: quo enim antiquitas digna diuino non est visa iudicio, hoc vestris temporibus indultum est. Haec itaque leges, et adorate, et obseruate, omnibus antiquioribus quiescentibus: nemoque vestrum audeat, vel comparare eas prioribus, vel si quid dissonans in vtroque est, requirere: quia omne quod hic positum est, hoc vnicum et solum obseruari censemus. Nec in iudicio, nec in alio certamine, vbi leges necessariae sunt, ex aliis libris, nisi ab iisdem Institutionibus, nostrisque Digestis et Constitutionibus a nobis compositis, vel promulgatis, aliquid vel recitare, vel ostendere conetur: nisi temerator velit falsitatis crimini subiectus, vna cum iudice, qui eorum audientiam patiatur, poenis grauissimis laborare.

§. 20. Ne autem incognitum vobis fiat, ex quibus veterum libris haec consummatio ordinata est, iussimus et hoc in primordiis Digestorum nostrorum inscribi: vt manifestissimum sit, ex quibus legislatoribus, quibusque libris eorum, et quot millibus hoc iustitiae Romanae templum aedificatum est. Legislatores autem, vel commenta-

tores eos elegimus, qui digni tanto opere erant, et quos anteriores piissimi Principes admittere non sunt indignati, omnibus vno dignitatis apice impertito, nec sibi cuidam aliquam praerogatiuam vindicante: cum enim constitutionum vicem, et has leges obtinere censuimus, quasi ex nobis promulgatas: quid amplius, aut minus in quibusdam esse intelligatur: cum vna dignitas, vna potestas omnibus est indulta?

§. 21. Hoc autem, quod et ab initio nobis visum est, cum hoc opus fieri Deo adiuuante mandabamus, tempestiuum nobis videtur, et in praesenti sancire: vt nemo neque eorum qui in praesenti iuris peritiam habent, neque (qui) postea fierent, audeat commentarios iisdem legibus adnectere: nisi tantum si velit eas in Graecam vocem transformare sub eodem ordine, eademque consequentia, sub qua, et voce Romana positae sunt; hoc quod Graeci *κατὰ πρόδα* dicunt: et si qui forsitan per titulorum subtilitatem adnotare maluerint, et ea quae paratitla nuncupantur, componere. Alias autem legum interpretationes, immo magis peruersiones, eos iactare non concedimus: ne verboritas eorum aliquod legibus nostris adferat ex confusione dedecus: quod et in antiquis edicti perpetui commentatoribus factum est, qui opus moderate confectum huc atque illuc in diuersas sententias producentes (contrahentes), in infinitum detraxerunt, vt pene omnis Romana sanctio esset confusa. Quos si passi non sumus, quemadmodum posteritatis admittatur vana discordia? Si quid autem tale facere ausi fuerint, ipsi quidem falsitatis rei constituentur, volumina autem eorum omnimodo corrumpentur. Si quid vero, vt supra dictum est, ambiguum fuerit visum, hoc ad imperiale culmen per iudices referatur, et ex auctoritate Augusta manifestetur, cui soli concessum est leges et condere, et interpretari.

§. 22. Eandem autem poenam falsitatis constituimus et aduersus eos, qui in posterum leges nostras per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere: omnia enim, id est, et nomina prudentium, et titulos, et librorum numeros per consequentias literarum volumus, non per sigla manifestari: ita vt, qui talem librum sibi parauerit, in quo sigla posita sunt, in qualemcunque locum libri, vel voluminis, sciat inutilis se esse codicis dominum; neque enim licentiam aperimus ex tali codice in iudicium aliquid recitare, qui in quacunque sua parte siglorum habet malitias. Ipse autem librarius, qui eas inscribere ausus fuerit, non solum criminali poena secundum quod dictum est, plectetur: sed etiam libri aestimationem in duplum domino reddat, si et ipse

ipse dominus ignorans talem librum vel comparauerit, vel confici curauerit: quod et antea a nobis dispositum est, et in Latina constitutione, et in Graeca, quam ad legum professores dimisimus.

§. 23. Leges autem nostras, quae in his codicibus, id est, Institutionum, seu Elementorum, et Digestorum, vel Pandectarum posuimus, suum obtinere robur ex tertio nostro felicissimo sancimus consulatione praesentis duodecimae indictionis, tertio Kalendas Ianuarias, in omne aeuum valituras, et vna cum nostris Constitutionibus pollentes, et suum vigorem in iudiciis ostendentes in omnibus caussis, siue quae postea emerferint, siue quae in iudiciis adhuc pendent, nec eas iudicialis vel amicalis forma comescuit: quae enim iam vel iudiciali sententia finita sunt, vel amicali pacto sopita, haec resuscitari nullo volumus modo. Bene autem properauimus in tertium nostrum consulationem et has leges edere: quia maximi Dei, et Domini nostri Iesu Christi auxilium felicissimum eum nostrae Reipublicae donauit: cum in hunc et bella Parthica abolita sunt, et quieti perpetuae tradita, et tertia pars mundi nobis adcreuit. Post Europam enim et Asia et tota Libya nostro imperio adiuncta est, et tanto operi legum caput impositum est: omnia coelestia dona nostro tertio consulationi indulta.

§. 24. Omnes itaque iudices nostri pro sua iurisdictione easdem leges suscipiant, et tam in suis iudiciis, quam in hac regia vrbe habeant, et proponant, et praecipue vir excelsus huius almae vrbs praefectus: curae autem erit tribus excelsis Praefectis praetoriis, tam Orientalibus, quam Illyricis, necnon Libycis, per suas auctoritates omnibus, qui suae iurisdictioni suppositi sunt, eas manifestare. Data septimo decimo Kalendis Ianuariis, Iustiniano domino nostro ter consule 533. FELICITER.



* * * * *

TERTIA PRAEFATIO DIGESTORVM,
DE
CONFIRMATIONE DIGESTORVM,
AD MAGNVM SENATVM.

IN NOMINE DOMINI ET DEI NOSTRI
IESV CHRISTI.

Imperator Caesar FLAV. IVSTINIANVS, Alemanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor, triumphator, semper colendus Augustus, ad magnum Senatum, et populum, et omnes orbis nostri ciuitates.

Dedit nobis Deus post pacem cum Persis initam, post Vandolica trophaea, et totam Libyae acquisitionem, postque nominatissimam Carthaginem nostro iterum Imperio sociatam, vt veterum legum renouationis opus ad optatum finem perduceremus: quod nemo principum ante nostrum imperium aut in mentem induci posse, aut humano ingenio possibile esse existimauit. Erat enim mirabile, omnem Romanam sanctionem a condita vetere Roma vsque ad nostri imperii tempora, quae pene in mille et trecentos annos concurrunt, non solum secum in variis suis partibus, sed in Imperialibus quoque praesertim sanctionibus inter omnem nutare consonantiam pariter, ac discordiam: non tamen id solum, quod secum pugnabat, tollere: sed etiam, quod idem, aut simile reperiebatur, expellere, variamque ipsius pulchritudinis ideam tribuere, ita vt pro singulis rebus singulae leges constitutae viderentur. Quod procul dubio superioris numinis, et fluentis inde benignitatis fuit, non humanae cogitationis, aut incepti, aut potestatis. Nos itaque, more solito manibus ad Deum erectis, eoque, vt nos complecti dignaretur, inuocato, et rem aggressi sumus, et omnia tandem consecimus, Triboniano gloriosissimo magistro et exquaestore sacri nostri palatii, et exconsule, ad omne ministerium vsi, necnon aliis quibusdam illustribus et prudentibus viris, inquirentes semper ea, quae ab eis componebantur: et id, quod erat dubium, perscrutantes; omnibus quoque secundum datam nobis a Domino Deo, et Salvatore nostro Iesu Christo scientiam, et intellectus vigorem, imponentes competentem formam.

§. I.

§. 1. Et piissimas igitur constitutiones iam ante in duodecim libris comprehensas, Codicem nostrae pietatis cognomine fulgentem composuimus: nunc vero omnium veterum iuris conditorum sententias ex multitudine, quae ad duo millia pene librorum, et trecentas myriadas versus pertingebat, in moderatum et perspicuum collegimus compendium. Quinquaginta igitur libris omnia complexi nunc sumus coelesti fauore, colligentes omne id, quod erat vtile, et omnes ambiguitates decedentes, nullo seditioso relicto. Quos libros Digesta, seu Pandectas appellauimus ex eo, quod legum habeant diuisiones, et decisiones, itemque ex eo, quod omne in vnum congregatum receperint, hanc eis appellationem imponentes: nec vltra quindecim myriadum versus numerum eis dantes: et in septem eos disponentes tractatus: idque non perperam, neque sine ratione, sed ad numerorum naturam, et harmoniam respicientes.

§. 2. Ea igitur, quae apud omnes *πρώτα*, id est, primordia nuncupantur, in quatuor libros seposuimus.

§. 3. Deinceps ea, quae de iudiciis tractant, in alios septem libros.

§. 4. Item ea, quae de rebus, non in plures, quam octo libros.

§. 5. Sequentem vero operis partem, quae quarta et media *μέσον ἐστὶ τῆ παντὸς* est totius operis, in aliis octo libris deposuimus: in quibus est quidem hypothecaria, non longe admodum a pignoratitia actione distans: est et Aedilitium edictum, et de euictionibus stipulatio: quae duo accessoria, & consequentia constituta venditionum, longe tamen admodum in veteri iuris ordinatione ab his deuagantia, congregauimus propius propter mutuam inter se cognationem, ne, quae de eodem pene loquuntur, longe a se distarent. Post haec introduximus post duos illos libros ea, quae sunt scripta de vsuris, tam terrestribus, quam traiectitiis, seu maritimis, et de probationibus, atque praesumptionibus in vnum librum. his autem tribus monobiblis (singularibus libris) post tractatum de rebus sibi inuicem proximis depositis; et rursus ea, quae de sponsalibus, et nuptiis, et de dote legibus dicta sunt, congregantes, his etiam tria habere in hac ordinatione volumina concessimus. De tutoribus autem minoris aetatis geminos libros, eos, inquam, qui de tutelis apud omnes nominantur, et hic etiam in compendium concidimus, memoratam octo librorum ordinationem, & mediam (vt dictum est) hanc partem totius operis confecimus, pulcherrima, et vtilissima iura in his describentes.

§. 6.

§. 6. De testamentis autem, et legatis, et fideicommissis omnia congregauimus in nouem librorum numerum: quorum principatum obtinent ea, quae sunt de testamentis, et codicillis, cum omnium, tum etiam militum, qui ea, vt volunt, faciunt, duobus libris ordinata, et de testamentis inscripta: quinque autem sequentibus continentur ea, quae de legatis, et fideicommissis, et omni eorum ambiguitate disputata sunt. Et quoniam Falcidiae narratio continens, et consentanea erat legatorum, et fideicommissorum proprio tractatui: propterea et ipsam continuo legatorum supposuimus tractationi, libro integro rei applicato, cum breui quadam adiectione. Et rursus quia ad Falcidiae imitationem [introducendum] erat Trebellianum Senatusconsultum in fideicommissis: et huic vltimum huius ordinationis tribuimus locum, totum ius super his positum, Trebelliano Senatus consulto attribuentes, et superuacua esse Pegasiani Senatusconsulti positionem inuenientes, et absurdas horum Senatusconsultorum inter se differentias, et communionem: quas sane et veteres perosi, captiosas, et damnosas appellarunt: simpliciore quadam narratione omne hoc schema congregantes, et ad vnius Senatusconsulti Trebelliani ordinationem applicantes, et hanc quintam partem totius ordinationis nouem his perfecimus libris. In quibus nouem libris nihil de quondam caducis dictum a nobis est: quia propter usum quendam non prosperum cum increbuisse in republica, et luctuosum monumentum bellorum ciuiliu essent, non oportebat in his manere temporibus, in quibus et Deus dedit pacem nobis agere domi, et foris, et, cum oportuit bellum gerere, facile cum ipsius fauore hostes superare, et capere.

§. 7. Sequitur deinde, et exoritur nobis et sexta pars totius compositionis, octo conclusa libris. Pulchre autem incipit ab his, quae possessiones nominantur, quas nos similiter, vt caetera diligenter considerantes, tam eas, quae ad ingenuos, quam quae ad libertinos pertinent, ex multa anteriorum temporum confusione et obscuritate in purum deduximus compendium, geminorum illis librorum numerum sufficere arbitantes. Adplicauimus autem ipsis et omnes ab intestato appellatas successiones, et ipsos generum ordines, eorum gradibus etiam libro inscriptis et circa omnium finem Tertullianum et Orficianum composuimus Senatusconsultum, ex quibus matres et liberi inuicem successores fiunt. Procedit autem post haec alius liber, qui de aedificiorum operibus, et de ea, quae ob ruinosam et diruta aedificia (datur) satisfactione, et his, qui in his aliquid insidiarum, aut fraudis admiserint,

rint, et de his, qui ex aquarum impetu vicinos læserint, et de publicorum vectigalium coactoribus, atque insuper de donationibus, tam indefinitis (seu simplicibus) quam in cogitationem mortis relatis, leges ac iura ordinat. Rursum autem quicquid de quacunque manumissione extat, vel de his, quae super ipsa agitantur, causis, et hoc vni traditum est libro. Amplius autem et ea, quae de possessione, et per ipsam acquisitione, et de causis eam introducentibus sunt, in vnum seposuimus tractatum (seu librum.) Et quicquid etiam de iudicialiis extat sententiis, et his, qui in his aliqua contra seipsos confessi sunt, et de bonorum cessione, et creditorum detentione, et venditione, et de bonorum separatione, et curatione, et ne quid patiantur creditores fraudis, et id in vnum similiter collatum est librum. Sed et interdictorum modum non pluribus, quam vni dedimus libro. Inde autem et ad praescriptiones seu (exceptiones) et in his ordinata tempora venimus. Et obligationum quidem et actionum seposuimus modos, et coëgimus omnem hanc partem, cui praesunt possessiones, vt dictum est, octo librorum numero descriptam, sextam hanc partem totius voluminis seponentes.

§. 8. Totius autem extrema pars, quae et septima est totius tractationis, sex librorum numero demandata est, incipiens quidem a stipulationibus, procedens vero ad ea quae scripta sunt de fideiussione, et debitorum numeratione, solutione, et liberatione ipsorum, et de introductis ex Praetorum iurisdictione stipulationibus: quae omnia duobus a nobis contracta sunt libris: cum apud veteres nec dici posset, quot essent libri ea de re. Procedit et deinceps ad delictorum narrationem: et omnia recenset, quae ad minora delicta pertinent, quae vocant priuata: et item quae ad ea, quae necdum ordinaria appellant, sed ipsis extraordinariorum appellationem imponunt: descendit etiam et ad publica crimina, quae atrocissima sunt, et magnam sibi aduocant poenam. Duo autem et hic sunt libri, qui illa quidem, quae ad delicta et crimina pertinent, complectuntur: quibus permixta sunt et ea, quae de reis criminum, qui se celare tamen conantur, scripta sunt, et de eorum bonis, et de ea, quae infligitur condemnatis, poena, vel indulgentia. Initium autem nobis alterius rursus libri fit narratio de appellationibus, quae communis est profecto ad rescindendas, tam pecuniarias (seu ciuiles) sententias, quam criminales. Quaecunque autem de ciuibus (seu municipibus), et de decurionibus, et muneribus, et publicis operibus, et nundinis et redituum pollicitationibus, et va-

riis cognitionibus (seu interrogationibus), et publica descriptione, veteribus inuenta sunt: et quaecunque de verborum extant significatione, et de his, quae pro regulis apud veteres dicta sunt: haec omnia in sese recipit vltimus liber. Huius igitur compositionis, cuius initium est a stipulationibus, hic liber est sextus quidem, si ad proprium principium comparetur: sed est quinquagesimus, si conferatur ad totam consummationis perfectionem (seu harmoniam.)

§. 9. Quae omnia composita sunt, et elaborata peroptime, et vt nostra iussione dignum fuit, per *Tribonianum* illustrissimum, necnon prudentissimum magistrum, et exquaestore nostrorum Palatiorum, et exconsule, virum, et in ipsis rerum experimentis, et in eloquentia, et in legibus scribendis satis spectatum, et qui nihil vnquam nostrarum iussionum contempsit, necnon per alios [viros], qui sub ipso nobis hoc opus elaborarunt, id est, *Constantinum* magnificentissimum comitem sacrarum largitionum, et antigrapharium [seu magistrum] sacri scrinii, et sacrorum libellorum, et cognitionum imperialium, qui nobis bonam de se opinionem in omnibus praebuit: nec non *Theophilum* magnificentissimum magistrum, et leges [seu iura] in regia hac vrbe laudabiliter, et cum summis vigiliis, et vt magisteria sedulitate dignum est, docentem: et *Dorotheum* magnificentissimum quaestorem, et doctorem in legum ciuitate designatum; dicimus autem verendam, et splendidam Berytensium metropolin; quem de ipso optima opinio, et gloria, et ad nos deduxit ipsum, et, vt huius operis participem faceremus, hortata est: sed et *Anatolium* magnificentissimum magistrum, qui et ipse apud Berytienses ea, quae ex legibus proficiscuntur, pulchre docet, vir ex tertia stirpe laudabili iuris apud Phoenices interpretum descendens (refert enim genus ad Leontium, et Eudoxium, homines in legibus optima memoriae, post Patricium inclytae recordationis, Quaestorium, et Anticensore, et Leontium gloriosissimum, expraefecto, et exconsule, atque Patricium eius filios, summae admirationis viros:) et *Cratinum* magnificentissimum, atque prudentissimum comitem sacrarum largitionum (et optimus quoque est is legum enarrator in regia hac vrbe:) et praeter hos etiam *Stephanum, Mennam, Prosdocium, Eutolmum, Timotheum, Leonidem, Leontium, Platonem, Iacobum, Constantinum, Ioannem*, viros prudentissimos, qui vniuersi Rhetores quidem sunt gloriosissimorum praefectorum sacrorum nostrorum Praetoriorum, gloriam autem seu laudem apud omnes prudentiae iuste habent, et a nobis merito iudicati sunt digni, vt eligerentur tanti certaminis participes.

cipes. Haec igitur nobis circa Digestorum elaborata sunt conscriptionem per iam dictos gloriosissimos viros.

§. 10. Tanta autem nobis reuerentia antiquitatis fuit, vt neque mutari nomina veterum Iurisconsultorum sustinuerimus, sed vnusquisque illorum appellationem legibus inscripsimus: mutantem quidem, si quid iam habere visum est non recte, partes vero illas nunc tollentes, has nunc addentes, ex multis denique optimum eligentes, et vnam, atque parem omnibus praebentes potestatis vim, seu robur: ita vt quicquid scriptum est in eo libro, id nostra sit sententia: nempe audente comparare ea, quae nunc facta sunt, his, quae prius erant: quia multa, et numeratu non facilia transposuimus in melius, etiam si quid imperiali aliqua antiquorum imperatorum constitutione in aliam dictum fuerit formam. Nam nomina quidem veteribus seruauimus, legum autem veritatem nostram fecimus: itaque si quid erat in illis seditiosum, (multa autem talia erant ibi reposita,) hoc decisum est, et definitum, et in perspicuum finem deducta est quaeque lex.

§. 11. Sed cum oportebat et aliquam mediocrem Isagogen facere in eorum gratiam, qui recenter leges attingunt, nec maiorem doctrinam portare possunt: neque hoc extra nostram prouidentiam reliquimus, scilicet Triboniano gloriosissimo, qui et ad totius operis legitimi gubernationem electus est, necnon Theophilo et Dorotheo magnificentissimis et prudentissimis anticensoribus accersitis mandauimus: vt seligerent ex his quae apud veteres erant Isagogarum modo composita, ea quae essent aptissima, et in ipsis rerum argumentis obtinentia, vtque colligerent, et nobis offerrent, et vt mentionem etiam facerent nostrarum Constitutionum, quas pro emendatione veteris iuris promulgauimus; et ita componerent libros quatuor futuros prima elementa totius isagoges, quas vocari Instituta visum est, quam sane legitimi operis partem compositam nobis obtulerunt, et nos eam totam consideratam a nobis, et perpensam recteque habere visam nostris sensibus non indignam esse iudicauimus, et pro nostris haberi Constitutionibus, et nostrarum Constitutionum robur habere iussimus: quod et ex his, quae in prooemiis eiusdem voluminis disseruimus, omnibus manifestum fecimus.

§. 12. Sic itaque omni Romani iuris dispositione ordinata, et in tribus integris et voluminibus, et annis, tanto opere perfecto: (quod a nobis ab initio omnem spem excedere: circa finem autem, cum iam penetrabilem esse rem docuimus, ne in decem quidem annis totum ab-

solui posse videbatur:) tanta ergo trium annorum celeritate consummato opere, et hac opera Domino Deo oblata, qui dedit, et pacem agere, et bella feliciter dirigere, et leges ponere praeterito, praesenti, et futuro tempori, iustum esse putauimus, omnibus hominibus facere manifestum nostrum in his rebus studium simul, et prouidentiam: quomodo nempe priore soluti perturbatione, et confusione, et nullum finem habente iuris positione, vsuri sint posthac legibus rectis, compendiosis, et omnibus ad manum promptis, et litium compendium afferentibus, et paratis atque expositis omnibus (volentibus) ad facilem acquisitionem, nec amplius egentibus multis pecuniis, vt illorum inutilium librorum congerant multitudinem: sed vilissima pecunia tam ditioribus, quam ex tenuiore profectis patrimonio, copiam sui comparandi praebentibus.

§. 13. Si quid autem ex multitudine ea, quae nunc congeffa est, et ex tantis myriadibus collecta, videbitur esse simile [et geminatum] (hoc autem putamus rarum esse) attamen humanae naturae [imbecillitatem] considerantibus, non extra iustam apologiam ne hoc quidem videbitur esse: in nullo enim aberrare, [seu in omni irreprehensibilem, seu inemendabilem esse,] diuinae vtique solius non autem mortalis est constantiae, [seu roboris.] Quemadmodum et a maioribus dictum est. deinde est vbi et similibus adsumpsimus positionem: vel rebus subiectis id exigentibus, vt oporteret idem pluribus applicari titulis: vel quia cum extraneo loco esset commixtum id, quod simile superiori videbatur, impossibile fuit eam similitudinem detrahi: vel etiam quia saepe custodienda fuit integra totius theoriae [seu visionis] continentia, nec [separanda aut] diuellenda mens et intellectus [legentium] per eorum, quae iam scripta fuerant, ademptionem. quin et hoc sicubi adsumptum est propter rei necessitatem: tamen id breue est, nec vllum fere sui sensum praebens.

§. 14. Hoc etiam ipsum, et in constitutionibus iam inter Imperiales constitutiones relatis, et iure quod ex his resultat, obseruauimus: nam quae in illis iam cauta erant, ea nec in hoc volumine poni concessimus, nisi ob aliquam interdum circumstantiam similitudinis aliqua causa relicta est.

§. 15. Contrariam autem aliis legibus legem ex his, quae in hoc volumine posita sunt, non facile quis repererit, si modo ad omnes contrarie-

trarietatis fines animum intendere festinet. sed inest aliquid diuersum: quod adsumptum alterius generis forte hanc, et illam legis positionem apparere faciet.

§. 16. Sed et si quid forte praetermissum est eorum, quae poni debebant (forte enim et aliquid tale contigit propter humanae imbecillitatem naturae,) multo sane melius est nostris subditis multis inutilibus liberari (legibus), dum priuantur forte paucis quibusdam, quae videbantur idonea, myriadibus prope infinitis defossa, et deposita, et nemini forte mortalium animaduersa.

§. 17. Hanc enim ob causam tot libris (quos antea scribi oportebat) destituti iudices facilius ex paucissimis iuris auctoribus, et libris ad finem litium perueniebant, et iudicia decidebant vel propter inopiam librorum, vel quia non sufficiebant multis laboribus ad inuenienda multa utilia necessariis, et viribus erant impares. In praesenti autem consummatione maximus legum obtinentium congestus est numerus ex libris raris, et qui vix inueniri potuerint, et quorum nec nomina nec eruditissimi quidem in legibus complures homines nouerant. Quorum sane copiam (seu materiam) nobis vberimam dictus gloriosissimus Tribonianus praebuit, multorum librorum, et qui vix numerari possunt, suppeditata multitudine, quibus omnibus perfecte lectis, congesta sunt haec volumina, sed ex horum multis, et variis hi, qui a nobis ad hoc congregati erant, cum nihil inuenissent idoneum, aut nouum ab his, quae iam congregata erant, illationem ex his in hoc opere faciendam optimo animo respuerunt.

§. 18. Si vero postea aliquid noui controuertetur, quod non apparebit legibus his inscriptum: (multa enim nouare nouit natura) sed Imperium Deus propter hoc imposuit hominibus, vt emergentia, et legis egentia lege definiat, et humanae naturae incertum repleat, et certis concludat legibus, ac regulis, neque hoc nostrum nunc dicimus: sed iam omnium iuris conditorum, qui olim claruerunt, prudentissimis Iulianus hoc ipsum videtur dixisse; qui et ab Imperiali auctoritate implorat fieri legum repletionem in emergentibus ambiguitatibus, et quaestionibus: sed et diuus Adrianus pia memoriae, quando ea, quae a Praetoribus quotannis edicta fuerant, breui complexus est libello, adsumpto ad id optimo Iuliano, in oratione, quam in commune habuit in seniore Roma, hoc ipsum quoque ait: vt si quid praeter id quod iam ordinatum est, emerferit, conueniens est, eos, qui in magistratu sunt, illud conari decidere, et remedium impo-

nere secundum eorum, quae iam ordinata sunt, consequentiam [imitationem.]

§. 19. Haec igitur omnes (dicimus autem vos, magnae Senatus, et omnes nostrae reipublicae homines,) cognoscentes, gratiam quidem confitemini Deo, qui nostris temporibus tantum bonum seruauit: utimini vero nostris legibus, nulli earum, quae veteribus libris inscriptae sunt, attendentes: neque ad ea, quae nunc posita sunt, illas comparantes: quia etsi videantur quaedam inuicem non consonare, tamen prius illud, et vetustius nobis, ut imperfectum displicuit, nunc autem hoc visum est debere obtinere. Nam prohibemus illis in posterum uti, haec autem sola obseruari in republica, et obtinere concedimus, et sancimus, ita ut qui conatus fuerit ex prioribus libris, et non ex his duobus solis, et constitutionum [libro] a nobis compositis, vel factis, uti quibusdam legibus, vel eas in iudiciis legere, vel si quis iudicauerit ex his, apud se recitari eas passus: falsi reus erit, et publicorum criminum iudicatus, et poenae addictus: quod etsi non diceremus, vel ex hoc ipso manifestum esset.

§. 20. Sed et hoc optimum fore iudicauimus, praepondere Digestorum volumini et veteres iuris conditores et illorum volumina, et vnde collectio facta sit legum nunc a nobis congestarum, quod et fieri iussimus, et factum est: et simul ea, quae de his rebus conscripta sunt, supponi huic diuinae nostrae Constitutioni praecepimus, ut omnibus fiat manifestum, et quid prioris inexperience simul, et incertitudinis esset, et quid a nobis sit adiuuentum. Legislatores autem, seu legum interpretes illos congestimus, qui apud omnes probati et recepti erant, et prioribus Imperatoribus placuerant, et qui ab his nominari meruerunt. Si enim aliquis nondum veteribus Legislatoribus cognitus est: nos et huic interdiximus huius voluminis communicationem. Omnibus sane his positus vnus ordinem, et dignitatem parem dedimus: nulli cuiquam maiorem, quam caeteris, data praerogatiua. Si enim his, quae ab illis scripta sunt, omnibus imperialium Constitutionum dedimus robur: quid est, quod in his amplius, quodque minus haberi debeat?

§. 21. Illud autem, quod statim, cum hanc compositionem legum congregari mandarem, iussimus: iterum et nunc sancimus illud confirmando: omnibus similiter interdiximus, ne quis audeat hominum, qui sunt nunc, aut in posterum erunt, commentarios scribere harum

harum legum, praeterquam si velit quis in Græcam linguam haec transferre, quem etiam volumus sola secundum pedem, seu *κατὰ πόδα* nuncupata vti legum interpretatione: et si quid secundum nominatorum paratitlorum (vt conueniens est) adscribere voluerint vsum: aliud autem nihil omnino, ne tantillum quidem circa ea facere, nec rursus dare seditionis, et dubitationis, aut infinitae multitudinis legibus occasionem, id, quod antea in antiqui Edicti factum est ordinatione: ita vt illud breuissimum constitutum ex differentium commentariorum differentia, seu diuersitate in infinitam extenderetur multitudinem. Si quid enim forte ambiguum fuerit visum vel litium certatoribus, vel his, qui rebus iudicandis praesunt, hoc Imperator interpretabitur recte: nam haec facultas illi soli a legibus permessa est. Itaque quisquis ausus fuerit ad hanc nostram legum compositionem commentarium aliquod adiicere, aliter atque nostrae huius iussionis forma praescribit: is sciat, quod et ipsi falsi reo legibus futuro, et quod composuerit, eripietur, et modis omnibus corrumpetur.

§. 22. Eadem poena imposita et aduersus eos, qui notis [seu signis] quibusdam in scriptura vtentur (quae signa siglas vocant,) et qui per ea conturbare scripturam tentauerint, nec per totam consequentiam literarum numeros, et nomina veterum prudentum, et totam legum positionem scripserint. Sciant etiam librorum ita scriptorum comparatores se inutilis fore libri dominos: neque enim damus licentiam talibus libris in iudiciis vti, et aliquid agere, etiamsi contingat librum in ea ipsa parte, quae recitatur, nullum habere tale signum, [aut notam] sed in alia quacunque sui parte, quamuis semel tantum id admissum sit. Itaque ipse quidem eum librum pro non scripto prorsus habebit. Is autem, qui eum scripserit, et ignorantem emptori dederit: duplum soluet eius aestimationis ei, qui ita in quantitate damnum passus fuerit, nihilominus infligenda criminali poena. Hoc etenim et in aliis constitutionibus ea de re positum scripsimus, tam his, quae Latina processerunt voce, quam ea, quae Graecorum lingua, quam quidem ad legum Professores rescripsimus.

§. 23. Haec igitur volumina (Institutorum, et Digestorum dicimus) ex fine tertii nostri felicissimi consulatus suum robur obtinere sancimus, id est, ex ante tertium Kalend. Ianuariarum praesentis duodecimae indictionis, in omne aeuum valitura, et vna cum imperialibus constitutionibus vigorem et locum habitura tam in his, quae postea emerferint, quam in his, quae in iudiciis adhuc pendent, necdum
amica-

amicalibus tradita sunt transactionibus: quodcumque enim haecenus vel iudicatum, vel transactum est, retractari non sustinemus. Quem quidem consulatum tertium nobis nominatissimum dedit Deus, quando et sub ipso pax cum Persis confirmata est, et hoc tantum legum volumen repositum est: quod a nemine maiorum vnquam excogitatum fuit, atque ad haec tertia pars mundi (dicimus autem totam Libyam) nostris adiuncta est sceptris: omnia haec a summo Deo, et Seruatore nostro Iesu Christo dona tertio nostro consulatu indulta.

§. 24. Omnes itaque laudatissimi nostrae Reipublicae magistratus, hanc diuinam nostram suscipientes constitutionem, vt vtantur praedictis nostris legibus, vnusquisque in suo procurabit iudicio. Praeponet autem eam in maxima et regia hac vrbe et eius gloriosissimus Praefectus. Curae autem erit excellentissimo et laudatissimo nostro Magistro, et gloriosissimis atque beatissimis Praefectis sacrorum nostrorum praetiorum, tam his, quae ad solem orientem, quam his, quae in Illyride: necnon his etiam, quae in Libya sunt, per sua Edicta his, qui sub ipsis ordinati sunt, ista facere manifesta, ad omnium nostrorum subditorum inexcusabilem notitiam. Data 17. Kalendas Ianuarias, Domino nostro Iustiniano perpetuo Augusto III.

Consule 533.



RESO-



RESOLUTIONVM PANDECTARVM

LIBER I.

DE IVSTITIA ET IVRE.

TITVLVS I.

§. I.

DEFINITIO.



Iustum est, quod certa ratione demonstrari potest, cur magis sit vel fiat, quam non sit vel non fiat.

ANNOTATIO.

2. Iuri operam daturum prius nosse oportet, vnde nomen iuris descendat: est autem a iustitia appellatum. *L. 1. pr. h.* Iustitia prior est quam iurisprudencia, quo sensu hic loci ius dicitur: quemadmodum materia prior est quam forma: et Themis prior quam eius cultus, ritus et oraculum: quod contra obtrectatores in limine statim praemittendum duco. *Vlpianus L. 1. Instit. Lex. 1.*

DEFINITIO.

3. Nam vt eleganter Celsus definit: Ius est ars boni et aequi. *L. 1. pr. h.* siue: ius est ars eliciendi notiones et rationes boni et aequi e rerum natura vel earum sine. Alias, ius est facultas permittente ratione potiore vel lege competens, habendi aliquid vel faciendi.

ANNOTATIO.

4. Cuius merito quis nos sacerdotes appellat. Iustitiam namque colimus, et boni et aequi notitiam profiteamur; aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum, exhortatione efficere cupientes: veram nisi fallor philosophiam, non simulatam affectantes. *L. 1. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

5. Iustitiam quasi deam Iureconsultos colere, ait: eiusque mysteria, bonum nimirum atque aequum nosse, et oracula Themidis ex intimis eius penetrabilibus depromere, praedicat. Veram philosophiam forte intelligit, quae homines meliores facit. Aut veram, id est, certam et evidentem et conuincentem philosophiam Stoicorum laudat, de qua CICERO L. 5. *De finibus: Hercules! fatendum est quod sentis, mirabilis est apud Stoicos concentus rerum. Respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus. Quid sequatur, quid repugnet, vident: et ut in Geometria, prima si dederis, danda sunt omnia.* Bonum dicitur, quod ex rei vel negotii natura et constitutione iustum cognoscitur: vt, *in seruum omnia licere.* Aequum autem appellatur, quando praeter rigidam inflexibilis iusti rectique consequentiam aliae primae quasi naturae, rationes, admittuntur, quibus summo iuri aliquid detrahitur: vt: *in hominem, qualis etiam seruus est, non omnia licere.* Adparet, quod et hic Icti a Grammaticis iniuria reprehendantur.

ANNOTATIO.

6. Non incongrue Iureconsultus describitur, quod sit iuris et iustitiae artifex, interpres, minister et dispensator.

ANNOTATIO.

§. 2. 7. Huius studii duae sunt positiones, publicum et priuatum.
L. 1. §. 2. b.

DEFINITIO.

8. Ius publicum est iussus et sponso reipublicae oeconomica, qua bonum populi ordinatur.

ANNOTATIO.

9. Publicum ius est, quod ad statum rei Romanae spectat. L. 1. §. 2. b. Hodie ius publicum dicitur, quod ex Capitulatione Caesarea, Aurea Bulla aliisque legibus fundamentalibus, transactionibus, pactionibus et vsu diuturno deducitur. Olim ius publicum, quasi populicum, dicebatur, quod ad totum populum pertinet, totiusque populi est. L. 1. pr. ff. De R. D. Huc pertinet L. 5. §. 7. ff. De A. & P. Tut. L. 3. ff. De Tutelis. L. 29. ff. De testam. tut. L. 15. §. 1. ff. Ad L. Falc. L. 28. ff. De damno inf. Ius XII. Tab. etiam publicum nuncupatur in lege 116. §. 2. ff. De R. I. contra hoc ius pacisci priuatis non licebat. L. 28. pr. ff. De pact.

DEFINITIO.

10. Ius priuatum est, quod ad ordinationem rei priuatae gestione singulorum inter paciscentes placet & statuitur.

ANNOTATIO.

11. Priuatum (ius est) quod ad singulorum vtilitatem (spectat) L. 1. §. 2. b. Hoc appellatur a voce *prium*: id est singulum. NONIVS MARCELLVS de Proprietate serm. Cap. 2. voce: *priua*. A. GELLIVS. L. 10. c. 20. Hinc priuilegium dictum, quasi *priua lex* siue lex singularis, aut singulorum. L. 20. §. 1. ff. De pact. dotal.

ANNOTATIO.

12. Sunt enim quaedam publice vtilia, quaedam priuatum. Publicum ius in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit. *L. 1. §. 2. b.* Haec exemplificatiue posita, quoniam et alia ad ius publicum referuntur, vti §. 9. praecedens ostendit.

CAPVT I.
DE IVRE NATVRAE.

§ OBSERVATIO.

13. Priuatum ius tripertitum est: collectum etenim est ex naturalibus praecipis, aut gentium aut ciuilibus. *L. 1. §. 2. b.*

ANNOTATIO.

14. Secundum textum praesentem Natura nihil aliud est quam principium concludendi, cur aliquid iustum vel iniustum sit, et ratio, vnde ius et lex hauritur. Nam nec praecceptum gentium arbitrarium, nec ciuile ex vtilitate suntum, vim legis externae habet, sed principium concludendi est. Principium autem vim cogendi, puniendi et externae obligandi nunquam habet. Perhibent communiter, iuri naturae competere facultatem externe obligandi, quam nusquam a quoquam demonstratam fuisse reperi, licet confidenter adserente: qui enim Deum in partes vocant, praeter naturam ratiocinantur, eoque ipso fatentur, desitui se argumentis e rerum natura desumptis, quibus euincant vim externe coactiuam legis naturae. Dices: vanam esse legem naturae adeo elumbem et infirmam. Verendum autem valde est, vt alia quaeuis lex ciuilis melior sit, dum nequidem poena expressa sufficit impediendae transgressioni. Veritas in Philosophia nulla coactiua sanctione munita est: ergone vana erit? et si vel maxime fuerit, num conueniens erit Deum, vtut veritatis auctorem ipsamque veritatem, quasi e machina advocare? neque etiam hac via proficies, quoniam sectarum religionumue dissidia per ipsas diuinas reuelationes nec dum sopita cernantur. Praeterea nulla gentium iuri potestas efficta est quae cogat vt seruetur. Bellum certe non cogit, vt vni cuique suum tribuatur, quia haut raro quod alicuius iure est, iniuria adimit. Bellum vanae legis vanius praesidium foret. Dominia, commercia et contractus secundum iuris inuentiones iuris gentium sunt: *L. 5. ff. b. t.* Sed nihil cogit, locupletes esse homines: sine poena pauperem esse licet; sine poena communio bonorum seruatur. Ius naturae internam animi iustitiam poscit: at qui formidine poenae legem naturae seruaret, interne iustus non esset; quid ergo poena, superior et imperium externum ad ius naturae proficit? Imo et in Decalogo promissionem unam reperimus, nullam poenae comminationem singularem, eapropter, quod obedientia interna non fit productio poenae dictatae.

Autumant alii, quasi omne delictum natura suam poenam post se trahat: sed, quaeso, quae poena naturalis adulterii, stupri, avaritiae, Sodomiae, Autochiriae, etc. datur? Caeterum, et delinquere prius oportebit, quam legis obligationem agnoscas, si horum doctrina placet: quod profecto absolum est. Senties te punitum: an iure et a iusto imperante, vnde cognosces? Non omne malum poena est. Veritas odium parit: an ideo veritas delictum est, cuius poena odium fuerit? Si ius naturae bruta regit, vti ius Romanum ciuile docet, superior prorsus inutilis est: siquidem bruta vim eiusmodi Imperantis ignorant. Praeceptum naturae est ratio ex natura sese offerens, vnde aliquid iustum praedicatur: praecceptum ciuile est ratio vtilitatis publicae vel aequitatis priuatae: accedit demum in statu ciuili externa vis compulsiva. Qui aliter sentiunt, videant, ne peruerso ordine ius naturae ad similitudinem legis ciuilis metiantur, ipsamque naturae perfectionem ad status politici defectuosum habitum ordinent. Quodsi negent, ius naturae brutis quoque competere, aliter de naturae iure sentiunt quam Romani senserunt, quorum nos vestigiis insistere, instituti ratio poscit. *Confer.* (§. 83.)

A N N O T A T I O.

§. 3.

15. Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam ius istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quae in terra, quae in mari nascuntur: auium quoque commune est. *L. 1. §. 3. b.*

A N N O T A T I O.

16. Pendet scientia iuris ciuilis a iuris naturalis cognitione: venit ergo tractandum ius naturae, tanquam principium iuris ciuilis.

D E F I N I T I O.

17. Natura est vniuersitas rerum omnium, actu existentium: et in specie: Natura rei singularis est eius essentia et forma, per quam in certo genere ponitur, et per quam potentias habet.

D E F I N I T I O.

18. Lex est principium agendi et volendi iuste necessitans et vrgens.

D E F I N I T I O.

19. Necessitas congruentiae dicitur, quando intellectus de principio agendi potiori conuictus voluntatem ad eius conformitatem sollicitat.

A R G V M E N T V M.

20. Naturaliter existentia ex ratione potiori, id est, fortiori, et sine pugna coëxistentium existunt: alias enim non existerent: siquidem nihil in natura sine ratione existit. Quod autem ex ratione potiori existit, eius omnino ratio datur cur magis sit, quam non sit. Proinde iustum est, vt quod existit, omnino existat. (§. 1)

O B S E R V A T I O.

21. Natura habet vim, qua intellectum de principio actionum volentem nolentem conuincit, et voluntatem ad sui conformitatem trahit. Titius existit: conuincor ipsa natura, quod ratio potior et fortior sit cur existat; quam
noui

noui ipsum si occidero, pugnam naturae infero, et actio mea conformitatem naturae non seruat: est igitur principium actionis meae in ipsa natura, quod me conuincit Titium me conseruare debere.

POSITIO.

22. Datur ius naturae.

PROBATIO.

Quod rerum natura contentum est, demonstratur ex certa ratione magis esse debere quam non: (§. 20) et adeo iustum est (§. 1) cum itaque vis coactiua naturae in rerum natura contineatur (§. 21) oportet hanc esse iustam vim: cumque istud lex sit, quod habet vim iuste cogendi (§. 18) sequitur, quod detur lex naturae.

ANNOTATIO.

23. Vim coactiuam agnosco: patet autem, quod talem non admittam, qualis communiter postulatur.

ANNOTATIO.

24. Ne breuitas obscuritatem offundat, thesin per discursum illustrare conuenit. Quicquid in hoc vniuerso est, quatenus nec secum nec cum vniuerso pugnat, *bonum* est, et hoc bonum *essentiale* voco: quo sensu venenum bonum dici potest. Mendacium pugnam veritati rerum infert, diabolus (si modo naturae lumine cognosci posset) vniuerso repugnat: ideo diabolus malus est, itemque mendacium. Quando actiones a voluntate profectae huic bono essentiali non repugnant, imo, quando vel istud conseruant, promouent, vel augent, *bonum morale*, prodit. Dependet adeo morale bonum siue actionum bonitas a relatione quam habet ad essentiali et naturale bonum: ita, vt quae actio conformitatem, harmoniam, similitudinem et amicam concordiam, cum natura, id est, cum ipso bono essentiali seruat, ea quoque *bona* siue *iusta* dicatur: e contrario vero *mala* et *iniusta* est, quae bono repugnat. Si ergo ipsa natura voluntatem per intellectum sollicitat, et vrget ad sui conformitatem et ad actiones naturae similes edendas, oportet, vt ad bonum inuitet, atque adeo iuste recteque vrgeat. Cane autem vrget. Agnoscunt enim Philolophi *necessitatem* quandam *congruentiae* quando premimur aliquid velle vel agere, quia cum aliquo congruit, tanquam cum ratione vel norma. Eiusmodi congruentia e. gr. inter regulam et lineam est, et haec secundum illam aestimatur recta vel curua. Ita ego existo, nec mihi pugna mecum est nec cum vniuerso: ergo naturaliter bonum est, me existere. Cum hoc bono et cum natura congruit conseruatio et tutela mei ipsius, et haec congruentia inuitat et vrget, tanquam ratio e natura praesentata et intellectum conuincens, vt me ipsum conseruem et defendam. At si hoc nollem, vel meipsum necarem, naturae et existensiae bono repugnaret actio. Cum ergo voluntas et actio propter id solum bona praediceatur, quod conueniat bono essentiali, non potest negari, voluntatem trahi in eam partem, quam intellectus veram esse ignorare nequit, voluntas sane nihil, nisi ex ratione quadam decernit: haec voluntatis natura et perpetua lex est.

Nulla autem ratio potior, id est fortior aut solidior esse potest, quam quae ex ipsa vniuersi et hominis natura simul depromitur: nec iustum vel bonum quidquam est, cuius ratio reddi nequit, cur magis fiat quam non fiat. (§. 1) Hinc ex vniuersi habitu, quo ratio et norma est, et ex voluntatis natura, qua normalis est, sequitur, quod natura voluntatem necessitate illa congruentiae ad sui conformitatem trahat, et quod legem dicat, vel lex sit.

DEFINITIO.

25. Obligatio est propulsio voluntatis ad id, quod intellectus agnoscit bonum.

ANNOTATIO.

26. Nemo miretur si tractatio praesens difficilior videtur, aut potius infolita. Nam ipse CICERO *De inuent. rhetor. L. 2. p. m. 61. col. 1.* vbi de substitutione pupillari loquitur, fatetur: *ac naturae quidem iura minus ipsa quaeruntur ad hanc controuersiam: quod neque in hoc ciuili iure versantur, et a vulgari intelligentia remotiora sunt.*

DEFINITIO.

27. Ius siue lex naturae est positio ex ratione, natura comprehensa, promanans, de volendis et faciendis quae naturae consona sunt: et de omittendis et auerfandis, quae ipsi repugnant.

ANNOTATIO.

28. Sunt veritates, rationes et fundamenta volendi et agendi, quae sensu quoque solo recte percipiuntur: verbi causa; sensus doloris, vnde eius fuga; sensus voluptatis, vnde eius appetitus: interdum sensus mali non pellitur nisi adquisito bono aliquo: vt fames pastu, sitis haustu, stimuli veneris ipso veneris usu. Hinc animalibus brutis ius naturae non penitus incognitum est: et iniuriam faciunt Iureconsultis veteribus, qui hanc eorum doctrinam reprehendunt. Hinc descendit maris atque foeminae coniunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus enim caetera quoque animalia istius iuris peritia censeri. *L. 1. §. 3. b.*

ARGUMENTVM.

29. Quia natura immutabilis est, ideo etiam ius naturae immutabile est.

ANNOTATIO.

30. Notum est, quantum laborauerint iuris naturalis auctores circa eius principium vnum cognoscendi: notissimus quoque est omnium dissensus circa idem principium: in conclusionibus fere conueniunt, de principio altercantur: quilibet suo delectari gestit ingenio et inuento. Scientia principii carere nequit, sed quare ius naturae vnicum admittat, vnde cognitum habent? cur non plura? Omnis scientia tot habet cognoscendi principia, quot definitiones et axiomata continet. Si vnum principium primum agnoscere opus est, istud esse oportet ipsam definitionem cuiusuis scientiae. Formantur autem conclusiones non tantum immediate ex vno principio, si primum aliquod assumitur, sed etiam

etiam ex collatione plurium. Necessè ergo est, aut falsa sequi vno saltem admissio principio, aut violenter vera inde rapi et in forma argumentandi peccari: aut plane non definiri posse quaedam, imo multa, in eiusmodi monarchico vel monoculo systemate. Tentetur modo famosissimum principium socialitatis: prohibetur secundum hoc defensio senis contra adgressorem iuniorem, quoniam huius societas diuturnior, alterius breui desitura, quasi nulla, vel magis onus quam adiutorium. Si recte concludas, senem defendere se debere, haud aliter tibi procedet argumentatio, quam per vitiosum syllogismum, aut adscitis aliis principiis, vel deserto proprio principio.

A N N O T A T I O.

31. E principio socialitatis demonstrari nequit, sodomiam illicitam esse. Nam posita licet socialitate hominis, non ponitur efficere eum debere vt sit Societas. Auctores et Fautores huius principii supponunt; quod esse nequit: omnes viros foeminas deserturos et osuros, et ita socialitati obfuturos: hoc aliquando euenire posse profecto nemo asseuerauerit, nisi qui principium fortuito et in omnem euentum adoptatum in casu necessitatis summae saluare satagit. Detur modo foeminae copia, remittatur matrimonialis iugi perpetuitas et infamia clandestini concubitus, quis, quaeso cum bruto commiscetur? quis cum sexu suo? Per socialitatis principium coelibatus peccatum est: adulterium eius qui coniugem impotentem nactus fuit, in virtutem degenerat: a latronibus captus iustus latro erit; non suppetente alia via explendi debitum socialitatis, latronum socium esse oportebit. In his autem concludendis remissius agunt isti. Ergo principio suo exceptionem faciunt. Tandem; homo debet esse socialis, quia dum natus est, sine sociis periret. Quare hoc principium infantium est, vix virorum, quod vltra societatem familiae nequitiam extendi debet. An ergo definitiones et axiomata et iusta methodus soluendae quaestioni huic suffecerint, suo loco apparebit.

D E F I N I T I O.

32. Voluntas est boni vel inter plura bona optimi et cogniti desiderium liberrimum.

A R G V M E N T V M.

33. Ignoti est nulla cupido.

A R G V M E N T V M.

34. Quia liberrimum desiderium requiritur; eius erit velle, cuius est nolle. (§. 32)

D E F I N I T I O.

35. Actio est effectus volentis, qui se habet ad efficientem tanquam ad causam moralem.

A R G V M E N T V M.

36. Quare is dicitur egisse, qui sciens quid agat, cum opinione boni vel optimi agit (§. 32)

A R G V M E N T V M.

37. Exinde adprobatio euentus vel facti per adpropriationem ad se factam tanquam ad causam, aequipollet voluntati.

ANNO-

A N N O T A T I O.

38. Alia adprobatio est facti alieni, tanquam boni vel optimi laudatio.

D E F I N I T I O.

39. Instrumentum est, quod ex consilio et virtute eius operatur, in cuius potestate est.

A R G V M E N T V M.

40. Quod quis per alium facit, per se ipsum fecisse putatur. (§. 35)

A R G V M E N T V M.

41. Qui instrumentum suae potestatis agere patitur, e. gr. filium vel servum, ipse egisse videtur. (§. 39)

A R G V M E N T V M.

42. Per eas tantum personas acquiritur, quae instrumenti loco sunt. (§. 41)

R E G V L A.

43. Bonorum aequalium quae simul obtineri nequeunt, liberrima datur electio.

D E F I N I T I O.

44. Error est deceptio sensus vel intellectus, qua quis ad adfentiendum rationi falsae inclinatur, quae supponitur vera et bona.

A R G V M E N T V M.

45. Errantis de obiecto consensus nulla est voluntas. (§. 32)

D E F I N I T I O.

46. Actio inuita est effectus volentis, qui propter se quidem ingratus, sed propter aliud quid bonus iudicatur.

A N N O T A T I O.

47. Inuitus in iure civili dicitur, qui consensisse non probatur, dum consensisse non praesumitur.

D E F I N I T I O.

48. Actio coacta est effectus scientis quid agat, dum cum opinione mali ob vanam resistantiam agit, tanquam instrumentum.

D E F I N I T I O.

49. Conatus est effectus alicuius voluntaria informatio exitu destituta.

D E F I N I T I O.

50. Omissio est effectus vel actionis mente conceptae voluntaria destitutio.

A R G V M E N T V M.

51. Omissio boni plerumque effectum mali post se trahit; mali omissio quae poenitentia dicitur, effectum boni interdum operatur: ideo omissio saepe actio quaedam est. (§. 35)

A R G V M E N T V M.

52. Nuda voluntas vel cogitatio non est actio. (§. 35)

D E F I N I T I O.

53. Imputatio est libere agentis demonstratio: siue actionis ad agentem relatio.

ARGV-

ARGUMENTVM.

54. Ergo propositum in mente retentum et cogitatio actiones non sunt, nihil operantur, nec imputantur. (§. 51. 52)

ARGUMENTVM.

55. Errans nescit quid agat, ergo non egisse censetur (§. 36) unde nec demonstrari potest vt agens, et actio ei non imputatur. (§. 53)

ARGUMENTVM.

56. Approbatio (§. 37) definita actionem approbantis efficit et imputatur.

ANNOTATIO.

57. Nec tamen imputatio ultra approbationem et latissime fieri debet in odiosis. Nam si quis coruum lapide petiisset et casu nouercam occidisset, dicereturque: ne sic quidem male: imputaretur crudelis animus et votum de morte nouercae, non autem homicidium.

ARGUMENTVM.

58. Actio inuita (§. 46) est scientis et agentis cum opinione boni: ergo proprie actio est et imputatur. (§. 53)

ANNOTATIO.

59. Qui ex duobus malis necessariis minimum eligit, quia eius liberrimum desiderium non fouet (§. 32) egisse non reputatur.

ARGUMENTVM.

60. Qui inuitus agit vere agit, quia desiderio, boni tenetur. (§. 34. 46)

ARGUMENTVM.

61. Eius qui coactus est, nulla est actio quae imputari queat: quia non ex opinione boni agit (§. 32. 40)

ARGUMENTVM.

62. Conatus eatenus imputatur quatenus effectum producit (§. 53) at morum imputatio ex conatu recte fit. (§. 57)

ARGUMENTVM.

63. Qui officii necessitate agit, non patitur imputationem. (§. 61)

DEFINITIO.

64. Meritum est attributum boni vel mali per qualitatem actiones imputatae consequens.

DEFINITIO.

65. Consilium est opinio de actione aliena ad finem consultantis propositum perficienda.

ARGUMENTVM.

66. Opinio, quae alium ad agendum non determinat, nihil efficit: et adeo non est actio imputatiua. (§. 35. 53)

DEFINITIO.

67. Instigatio, persuasio vel instructio est inductio alterius de negotio alieno, ad finem instiganti bonum vel optimum perficiendo.

DEFINITIO.

68. Dolus est callida machinatio aliis contra ius nocendi.

DEFINITIO.

69. Dolus bonus est solers machinatio nocendi violentiae vel iniquitati alterius.

OBSERVATIO.

70. Dolus personalis est, personae physicae adhaerens.

DEFINITIO.

71. Delictum est dolosa laesio alterius, animo contra ius effecta.

ARGUMENTVM.

72. Si plures vnum delictum committunt, singulorum tamen integer dolus est, qui indiuisibilis est: ita vt totum delictum singulis imputari debeat. (§. 70)

ARGUMENTVM.

73. Ob innocentiam consilii dolus non cadit in aetatem teneriorem. Excusatur etiam furor, rusticitas, officium, necessitas, casus, misericordia, inanis resistentia, error facti et alia quaeuis iusta causa: vt: quando quis iure suo utitur, etc.

74. Instigatio, cum similibus est actio (§. 35) et imputatur. (§. 53. 67)

DEFINITIO.

75. Culpa est informatio euentus damnosi per omissionem debitae prouidentiae commissa.

DEFINITIO.

76. Culpa contractus est euentus damnosi informatio per omissionem diligentiae ex natura negotii debitae.

DEFINITIO.

77. Culpa lata est negligentia supina, ita vt dolus subesse videatur.

ANNOTATIO.

78. Culpa lata dolus tectus est.

ARGUMENTVM.

79. Culpa lata in ciuili negotio commissa, aequiparatur dolo.

DEFINITIO.

80. Culpa leuis est, quando quis in negotio, sua natura non artificioso cui consuetam loci, hominumque diligentiam debet, insolito modo agit, vel versatur.

DEFINITIO.

81. Culpa leuissima est omissio prouidentiae, peritiae vel summae diligentiae in negotio officioso, vel cui quis artificium debet.

DEFINITIO.

82. Casus est euentus citra voluntatem vel consilium productus.

ARGUMENTVM.

83. Casus non imputatur. (§. 53)

ARGUMENTVM.

84. Quoniam informatio euentus culpa est (§. 75) Casus informatus imputatur informanti.

ARGVMENTVM.

85. Culpa sua cuique nocet (§. 49)

ANNOTATIO.

86. Ad istud ius naturae, quod sensu percipitur iustum et faciendum possessiones illae pertinent, quae vitam principium concludendi agnoscunt, et fere in impulsu vel instinctu animali et mechanico corporis consistunt. (§. 28) Per hoc extra omne dubium ponitur, quae fuerit Iureconsultorum opinio de iuris naturalis obligatione externa, tantum abest ut hanc docuerint, ut aperte omnino ius naturae, quod ab animalitatis principio pendet, ordinem naturae perpetuum esse crediderint: quemadmodum motus leges perpetuae in natura observantur.

ARGVMENTVM.

87. Quia sum, potior ratio est cur sim, quam cur non sim (§. 21) iustum ergo per naturam est, ut sim (§. 1)

ARGVMENTVM.

88. Ergo naturaliter iniusta est Auctochiria, quod intellectus euincit (§. 87) obstat etiam sensus mali, qui mortem comitatur.

ANNOTATIO.

89. Emendicatae ab utili rationes afferuntur, quod aliquando autochiria licita sit. Scilicet si mors certissime subeunda, si innocens sit moriturus et mortis genus crudelissimum: sed haec argumenta naturae principium vincere non possunt.

ARGVMENTVM.

90. Similitudo vel aequalitas omnium hominum efficit, ut quod quis in se iustum cognoscit, non minus in aliis iustum reputare debeat: ergo homicidium in genere illicitum est.

ANNOTATIO.

91. Solo intellectu cognoscitur iniustitia homicidii: igitur a iureconsultis ad ius gentium refertur. Apparet ex ipsorum doctrina diuisionem iuris naturae ab ipsis receptam fuisse in animale ex sensu, et intellectuale ex ratiocinio profectum. Dicit enim textus: Ius gentium est, quo gentes humanae vtuntur, quod a naturali recedere, (differre) facile intelligere licet: quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune sit. *L. 1. §. 4. b.* Veluti erga Deum religio: ut parentibus et patriae pareamus. *L. 2. b.* ut vim atque iniuriam propulsemus: nam per hoc euenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur. Et cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse. *L. 3. b.* Verior ratio, cur defensio ad ius gentium referatur, mox dabitur.

§. 4.

Pompon. lib. sing. Enchir. L. 2. Florentinus. L. 1. Inst. L. 3.

ANNOTATIO.

92. Datur in rerum natura successio existentium: ouum a gallina, gallina ab ouo nascitur, et vnus corruptio est alterius generatio. Non autem potest concipi successio sine aliquo primo: ergo *caussa* quaedam *prima* rationabiliter poni debet. *Caussa* haec non est fortuita, quoniam consilium arguit, cur aliquid existat, aliquid non; quod tamen cogitari potest, tanquam ens rationis:

cur caussa posita non omnia simul et confuse existant, cur vnum prius, alterum posterius existat; cur existentia secum non pugnent, vt potius non existant. Dicitur ergo ratio: caussam primam esse *sapientem*. Fuit etiam caussa prima antequam aliquid esset: ergo ante tempus; proinde est *aeterna*. Quia prima est, a seipsa est, ergo *sempiterna*. Essentiae ab hac caussa profectae bonae sunt, quia nec secum nec cum caussa prima pugnant, vnde huius quoque *bonitas* cognoscitur: (§. 24) sed deficientes a natua harmonia inferunt pugnam caussae primae, et oportet adeo caussam primam repugnare malo, fouere autem bonum, vnde praemium et poenam concipere licet. Omnium autem gentium opinione Deus habetur pro caussa prima siue creatore, sapiente, aeterno, iusto, mali vindice et boni remuneratore: Ergo religio erga Deum ex ratione proficiscitur, eoque censu inris gentium esse in iure ciuili docetur. (§. 91)

REGVLA.

93. Naturale et iustum est, vt caussa regat effectum et dignior eo sit.

ARGVMENTVM.

94. Hinc parentes, caussa liberorum, recte regunt liberos suos, et iustum est, vt liberi parentibus suis obediant eosque reuerantur. Quod autem de patria ICtus affirmat, magis ciuile quam naturale videtur. Idem tamen CICERO confirmat loco citato (§. 25) *Ac naturae quidem ius est, quod nobis non opinio sed quaedam innata vis afferat, vt religionem, pietatem - - - Pietatem, quae erga patriam aut parentes, aut alios sanguine coniunctos officium conseruare monet.*

ARGVMENTVM.

95. Homo vnus non magis existit quam alter: vnde vnus vita non pretiosior altera vel melior: omnes pariter sunt: sequitur, quod homo hominis vitam tueri debeat, et quod liberrima homini detur electio, se vel alterum conseruandi, si alterutri v. gr. adgressori aut vim passo pereundum foret. (§. 41)

REGVLA.

96. Cumulatio rationum multiplex, et quantum quaelibet origini naturae propinquior est, ius fortius praebet.

ANNOTATIO.

97. Homo naturaliter se ipsum amat: quod aliorum hominum vita bona sit, ex sui similitudine demum colligit: vitam aliorum conseruandam esse ex intellectu, sed suam tuendam, ex intellectu et sensu simul conuincitur: (§. 91) ergo regulariter amor bene ordinatus a seipso incipit. Quodsi vero pietas erga liberos et parentes vrgeat patrem vel filium magis conseruare quam se, quia pietas non minus naturalis est, quam philautia: quid vetat seipsum negligere? Est ergo primum naturae praeceptum hominum omnium conseruatio. Alienum ab hoc et belli species est, vt defensionis caussa alterum occidam. Haec ratio videtur legis 3 supra, qua defensio iuri gentium adscribitur. Diuersum sentit BYNKERSHOEK *L. 5. Obs. 2.* Aliter iterum et precatue eandem saluare conatur G. NOODT: *Probabil. iur. L. 1. c. 5.*

ANNOTATIO.

98. Docuit aliquando auctor quidam, quod vnus pro pluribus mortem subire teneatur: quia Deus plures magis diligit quam pauciores: quod autem aequaliter diligit, inde probari posse putat: quoniam omnes aequaliter diligit. Haec insignis fallacia est aequiuocationis, qua confunditur aequalitas gradus siue intensiois cum aequalitate quantitatis siue extensi. Princeps iustitiam omnibus subditis aequaliter administrat: quis diceret eum iustitiam mille subditis plus impertire quam vni? Finge hoc momento vnum hominem nasci: sequetur absurdum: Deum iam incipere secundum regulam societatis arithmeticae reliquos pro rata minus amare, sane quilibet et contra plures sibi ipsi charissimus esse debet secundum naturam, nec tenetur in sortem de vita consentire, et si reliqui vim ipsi inferant, iure se defendere potest, et si vnum forte ex pluribus in mortem eius conspirantibus occiderit, per euentum periculum, e. gr. famis cessabit, nec reliquis vindictae ius erit.

ARGUMENTVM.

99. Electio duntaxat permittitur bonorum simul non obtinendorum: (§. 43) ergo, si dolo, solertia, fuga, minis, ope aliorum aut simili stratagemate e periculo euadere possum, saluo etiam adgressore, certum est, non licere defensionem vitae alterius nociuam.

ARGUMENTVM.

100. Sed deficiente alia salutis via per modum defensionis recte occidetur aggressor, furiosus (§. 97) et is, qui caedi me subtrahentem impedire fugamque iustam sistere conaretur: tumque, qui me per errorem inimicum suum crederet. Quaeritur enim: an me saluum facere possim; non quaeritur: contra quem.

DEFINITIO.

101. Defensio est offensionis iniustae propulsio.

ARGUMENTVM.

102. In statu defensionis non est qui ad duellum prouocatus comparet. (§. 100)

ANNOTATIO.

103. Si optio pugnae singularis detur, qua repudiata prouocato nihilominus pereundum aut alia pugna suscipienda foret, defensionem sui effecisse putatur. (§. 100)

ARGUMENTVM.

104. Offensione cessante, non dantur amplius termini defensionis habiles. (§. 101)

ARGUMENTVM.

105. Defensio exorbitans terminos suos excedens, est offensio.

ARGUMENTVM.

106. Qui iniusta offensione alterum ad iram lacessit, vt praefansania modum defensionis transgrediatur, si defendentem cogatur occidere, in culpa est. (§. 75)

ANNOTATIO.

107. Hinc de Auctore rixae multae habentur in iure ciuili. *L. 4. §. 14. ff. De vi honor. rapt. L. 52. pr. ff. Ad legem Aquil.*

ANNOTATIO.

108. Quando vero defensio terminos supra statutos non transgreditur, appellatur Moderamen inculpatae tutelae. *L. 1. C. unde vi.*

OBSERVATIO.

109. Ob dissimilitudinem vita brutorum animalium, bestiarum et ferarum non aequatur vitae hominis.

OBSERVATIO.

110. Praesidium vitae perfectiones hominis sunt, quibus in tuto collocatur: vt: mentis corporisque sanitas, membrorum incolumitas atque vigor.

ARGUMENTVM.

111. Ratio hominem in genere suo ponit eiusque propria natura est, (§. 17) ne sibi pugnam inferat, necesse est, vt rationem sanam conferuet: et quia vitam et existentiam eius recto vsu munire valemus, haec naturae conformitas sequenda est.

ANNOTATIO.

112. Per vim generandi vir in genere masculorum ponitur: ideo naturam maris destruit qui puerum castrat, quod factum naturae contrarium ipsi aduersatur et legibus quoque ciuilibus damnatur. *L. 4. §. 2. ff. Ad L. Corn. de sicar. L. 13. pr. ff. Ad L. Aquil.*

ARGUMENTVM.

113. Immatura venus vires corporis admodum extenuat: hinc in naturae legem peccat, qui pubertatem intempestiue exhaurit: item senex, qui exsoleta venere satum properat.

ANNOTATIO.

114. Virginem, coelibem, maritum vel vxorem esse, nihil ad naturam spectat, et naturae nulla de his lex est. Ius ciuile ex ratione mere politica orbitati et coelibatui poenas aliquas indixit, de quibus suo loco agendum erit.

ARGUMENTVM.

115. Si foetus in vtero homo est: patet, quod abortus procuratio homicidium sit naturaliter iniustum (§. 90) sin homo non fit, non magis quis contra ius naturae partus abactione peccabit, quam qui crines sibi vel vngues recidit.

ANNOTATIO.

116. Stoici crediderunt, foetum hominem non esse, nec viuere in vtero: quod corpus solum gignat non anima: vim autem animale in partu demum rapere. *SENECA de anima cap. 25.* Igitur in iure ciuili id quod in vtero est, venter dicitur: *Rubr. ff. De ventre in possess. mitt.* et mulier partum abigens, visceribus suis tantum vim intulisse accusatur. *L. 8. ff. Ad L. Cornel. de sicar.* itemque partus abactio non inter crimina publica refertur, sed inter extraordinaria *L. 4. ff. De extraordin. crimin. imo lex 35. §. 1. ff. Ad L. Falcid.* partum non editum hominem esse negat, exinde bene conicitur, legislatores ipsos de vita foetus dubitasse.

ANNO-

ANNOTATIO.

117. Virginitatem aut pudicitiam caede stupratoris, vel bona peremtionem raptoris iure naturae defendere non licet: modo vita ex eorum iactura non periclitetur: quod ex castratione accidere potest, sed iure belli eorum defensio libebit; haec vero tractatio huius loci nondum est.

DEFINITIO.

118. Honor est testificatio praerogativae honorati prae honorante et aliis.

DEFINITIO.

119. Iniuria est libertatis iuris vel existimationis siue honoris debiti per alium dolo et euentu facta imminutio in nolentem commissa. *Cicero pro Caccina.*

ARGUMENTVM.

120. Iniuria nisi vitae et membrorum integritati noceat, defensionem cum caede iniuriantis non admittit. Existimatio, fama et honor magis ciuitatis attributa sunt, eaque natura ignorat.

ANNOTATIO.

121. In statu ciuili in facinorosos animaduertitur. Quando ergo iustus metus est, vt vim pudicitiae vel bonis inferens scelus commissum caede laesi teget, laedentis caede laesus se suaque defendere potest.

ANNOTATIO.

122. Si quoque ex instrumentis, iracundia aggressoris vel latrocinii consuetudine aliisue indicis periculum vitae iuste metuatur, aggressoris occisio licet. Sapientissime ergo ius XII. Tab. furem nocturnum, vel diurnum cum telo se defendentem, interficere perimit. Defensio furis pro offensione ibi habetur, quoniam offensionem tuetur. *GELLIVS L. XI. cap. 8.*

OBSERVATIO.

123. Frustraneum est post admissum casum remedium quaerere.

ARGUMENTVM.

124. Ergo offensionem defensione praecipare possum, et famosum latronem vel inimicum insidiantem praecipare. *L. 4. ff. ad Leg. Aquil.*

ARGUMENTVM.

125. Paritas omnium hominum iterum efficit, vt aliis de vita, perfectionibus vel bonis periclitantibus auxilium praestemus. (§ 95)

ARGUMENTVM.

126. Quoniam boni conseruandi et augendi instrumentum est societas aliorum hominum, apparet, quod socialitas homini iniungatur iure naturali. Est ergo dicta socialitas lex naturalis, non tamen primum et vnicum cognoscendi principium.

OBSERVATIO.

127. Fides est vinculum humanae societatis.

ARGUMENTVM.

128. Ergo fides religiose seruanda. (§ 126)

DEFI-

DEFINITIO.

129. Mendacium est sermo non ambiguus, discrepans ab animo et scientia proferentis.

ARGUMENTVM.

130. Mendacium, quod alteri iniuria nocet, vel quo fides fallitur, iure naturali prohibitum est. (§. 128)

ANNOTATIO.

131. Potest mendacium dici absque callida machinatione aliis nocendi: vt, si erga infantes, furiosos, amentes, ebrios, quis mendacio vtitur, vt in ordine contineantur. Mendacium quoque culpam nequit, quod illi dicitur, qui nullo iure sciulus est: qualis mater Papirii adolescentis fuit. Prodigio pecunias mutuo petenti per mendacium dico: non habeo paratam pecuniam: nulla ratione noceo; quoniam ipsi iure dicere possum: habeo sed non dabo. Sciscitanti secretum nullo suo iure, respondere possum: nescio: cum tamen sciam. Nam aequipollet hoc mendacium veritati, si dicam: scio, sed non aperiam.

OBSERVATIO.

132. Impulsus naturae animalis homines pariter atque bruta ad societatem cum altero sexu vrget.

OBSERVATIO.

133. Amor sexus ambitionem quandam continet: qui amat redamari cupit: et contentus amor in odium, iram et vindictam conuerti solet. Ambitiosus iste amor se omnibus eiusdem sexus personis anteponit, tertium interuenientem excludi iubet, seque priuatiue amari cupit.

ARGUMENTVM.

134. Quare duorum amantium consensus pactum tacitum, tanquam naturalem sequelam, secum fert: exclusum iri tertium.

DEFINITIO.

135. Coniunctio matrimonialis est maris et foeminae in amorem sexus consentientium, corporum deditio: tertiae personae exclusio.

REGVLA.

136. Consensus facit matrimonium, non concubitus.

ANNOTATIO.

137. Coniunctio enim non semper ob amorem, sed interdum ad restinguendam solum libidinem fit.

ARGUMENTVM.

138. Igitur concubinatus iure naturae toleratur: quia concubina non amore coniugali assumitur, sed ad sedandam veneris impatientiam.

ARGUMENTVM.

139. Foeminarum rivalitas non adeo solet esse periculosa: virorum autem pugnas et caedes excitat. Ideo per consequentiam (§. 95) iure naturae vetitum est, vnam vxorem plurium maritorum simul esse.

OBSERVATIO.

140. Instrumentum indignius est artifice, agente et operante.

D E F I N I T I O .

141. Mas est animal principio generationis actiuo praeditum.

D E F I N I T I O .

142. 143. Foemina est animal principio generationis passiuo praeditum.

R E G V L A .

144. Genus masculinum dignius est foeminino. (§. 140)

A R G V M E N T V M .

145. Quia vxor indignior et inferior marito est (§. 144) ei obsequi (§. 39) eumque honorare debet. Maritus autem regit vxorem et familiam.

A R G V M E N T V M .

146. Quia maritus potestatem alimentorum solus habet, dum omnem familiam regit (§. 145) alere vxorem tenetur. (§. 95)

A R G V M E N T V M .

147. Liberi reuerentiam debent parentibus suis (§. 93) et haec non admittit familiaritatem coitus: ergo matrimonium inter adscendentes et descendentes iure naturae prohibitum.

A R G V M E N T V M .

148. Fratris et sororis nulla est reuerentia vel veneratio: ergo coniungi possunt illaeso iure naturali.

A N N O T A T I O .

149. Natura intellectum conuincit, et voluntatem inclinat, adeoque internam iustitiam poscit. (§. 19) Externe legi satisfit per actiones legi conformes, et haec iustitia facile innotescit. Sed interna demum in sensus incurrit, si constet de prona secundum legem agendi voluntate. Haec vix aliunde colligitur, quam ex obseruatione legis in casibus non prohibitis, tamen prohibitioni proxime vicinis. Igitur fratrum fororumque nuptiae vitandae: vt obsequiosus legi animus probetur. At huiuscemodi casus dispensationem merentur aliquando: vt in liberis primorum parentum. In lege autem naturali termini prohibitionis plerumque non adeo distincte positi sunt, vt clare videas, hoc vel illo casu desinere prohibitionem, quia dictae leges verbis non sunt expressae: ideo casus prohibitioni proxime adiacentes, prohibiti intelliguntur. Casus aperte prohibiti, vel imperati proprie ad ius naturae, affines vero et analogi ad ethicam pertinent: quam veram vtriusque doctrinae differentiam esse puto.

A R G V M E N T V M .

150. Par ratio est in affinitatis abstinentia, quae ex similitudine cognationis, non ex legis prohibitionem obseruatur.

A N N O T A T I O .

151. Prohibitio ad vltiores gradus iure diuino extenditur, ex eadem prorsus ratione: et vt ostendatur, quanta hominibus veneratio legis diuinae esse debeat.

A N N O T A T I O .

152. Notissima est dubitatio, quo iure Deus gentibus poenam irrogauerit easque abominatus sit propter turpitudinem incestus ipsis nec reuelatam nec, quod

quod putarunt, DD. iure naturae prohibitam. *Leuitici 18.* Qui legem positivam uniuersalem in partes vocant, illi aliquid ponunt, quod non est, et quod nusquam adparet. Legem autem naturae inter ascendentes et descendentes nouerunt gentes per ipsam naturam (§. 147) similitudinem et conuenientiam aliarum cognationum ignorare non potuerunt, quae ipsa se intuendam praebet. Descendentes ab ascendentibus abstinerunt, magis ob annorum et formae disparitatem: ergo obsequium legis libenter praestitum in casibus affinis ostendere debebant. Hoc officio neglecto legem naturae contempserunt, et quod filius matrem non polluerit, filia patrem non admiserit, magis repugnante venere factum fuit, quam legis ueneratione. Ergo Deus contemptum legis naturae cordibus ipsorum a Deo inditae auersari, imputare et punire iure meritoque potuit.

R E G V L A.

153. Quo modo aliquid factum est, eiusmodi contrario modo tantum soluitur.

A R G V M E N T V M.

154. Matrimonium consensu fit, (§. 136) ergo mutuo dissensu iterum soluitur. (§. 153)

A R G V M E N T V M.

155. Errans non uult nec consentit (§. 45) ergo qui errat circa obiectum ad matrimonium non obligatur.

A N N O T A T I O.

156. In ipso obiecto error accidit, quando Lea pro Rahel, castratus et impotens pro potente, hermaphroditus pro sexu certo ualente substituitur.

A R G V M E N T V M.

157. Ambitio sexus amori propria auersatur omnem tertium, et se ipsum unicuique anteponit; et hoc pacto consentitur (§. 133. 134) uitiata stuprum uoluntarium passa, prius alium eodem honore dignata est, quo sponsum: proinde errans in hac qualitate non consentit: sed et dolo deceptus est ab ea, quae uirginem se simulauit. (§. 68)

A R G V M E N T V M.

158. Ob eandem rationem adulterium unius personae absoluit alterum coniugem a matrimonio. (§. 134)

A R G V M E N T V M.

Coniugii essentia amor sexus est. Quicquid hunc tollit, matrimonium tollit: ut: impotentia superueniens, denegatio constans debiti coniugalis, desertio malitiosa, furor, morbus contagiosus incurabilis, inimicitiae capitales.

A R G V M E N T V M.

159. Qui consentire uel corporis potestatem facere non potest, matrimonium inire nequit. (§. 135) Ergo impuberum et effoetae senectutis matrimonium contra naturam est.

O B S E R V A T I O.

160. Coniunctio maris et foeminae liberos producit, qui patrem et matrem causam suam agnoscunt, et exinde eis honorem et obsequium debent. (§. 93. 94)

A R G V -

A R G V M E N T V M.

161. Quod homo homini debet, id sane parentes liberis eo magis debent, quo effectus causae suae magis coniunctus et cognatus est. (§. 96)

A R G V M E N T V M.

162. Parentibus competit ius castigandi, cogendi, etc. (§. 94) liberos.

A R G V M E N T V M.

163. Pater liberos alere tenetur. (§. 146)

A R G V M E N T V M.

164. Si officium suum parentes ipsi obire nequeant, aliis istud concedere possunt et debent: ut curatoribus, praeceptoribus.

A N N O T A T I O.

165. Maritus uxorem etiam alere tenetur (§. 146) solet ergo pater liberationem ab onere alimentorum dotis datione redimere: Manente tamen officio patris, quod naturale et immutabile est. (§. 29)

D E F I N I T I O.

166. Gratitude est agniti beneficii agnitio, signis externis testificata.

A R G V M E N T V M.

167. Homo homini benefacere obligatur per naturam (§. 125) ergo etiam et magis adhuc benefactori: quare liberi gratitudinem exhibere debent parentibus.

A R G V M E N T V M.

168. Qua de causa liberi parentes inopes alere debent, si possunt. (§. 167)

A R G V M E N T V M.


169. Parentes liberos ingratos poena et malo afficere possunt. (§. 149)

A R G V M E N T V M.

170. Quia pater dignior est, eius imperium et ius in liberos largius est quam matris: hinc patria potestas. (§. 145)

A R G V M E N T V M.

171. Primogenitus ob aetatem maturiorem et sexus masculini praestantiam praerogatius tenet: unde ius primogeniturae. (§. 144)



CAPVT II. DE IVRE GENTIVM.

REGVLA.

172. Qui habet ius ad finem, habet etiam ius ad media.

ARGVMENTVM.

173. Idcirco instrumenta vitae et perfectionum in communione primaeva haectenus existentia sibi quilibet in proprios vsus separare, sibi soli seruare, per ipsum ius naturae potuit. (§. 97)

ANNOTATIO.

174. Vfus quarundam rerum ad vitae conseruationem necessariorum defecturus videbatur: segetem ferae depascebantur, hiems fructus perdebat, homo homini alimenta praeripiebat: iustum autem fuerat conseruationem propriam alienae praeferre (§. 97) certum inde fit, quod cuilibet iure naturae permissum fuerit, media vitae a communione separare, ea sibi habere aliosque ab omni eorum vsu et tractatione excludere: quod factum gentium *occupatio* dictum fuit. Ius gentium ex occupatione ortum, positium, facto arbitrario innixum et mutabile est. Liberum fuit corpori vel ciuitati communionem rerum seruare, vel adquisita ex aequis partibus inter se diuidere, aut, quod factum est, singuli adquisita propria sibi habere. Hic differentia iuris naturalis et gentium se satis manifestat. Ius naturae absolutum est: ius gentium hypotheticum: quod ergo definitio, *quod sit lex hypothetica facto hominum communi innixa, quo mediis vitae et conseruationis prospexerunt.* Quare plura iura gentium possibilis sunt et tot quidem, quot modi vniuersales dantur procurandi et tuendi necessaria vitae subsidia. Dubitationes aliorum vide in *Libro elementario, P. 2. c. 1. §. 6.*

DEFINITIO.

175. Occupatio est rei communis ad vsus proprios adquisita possessio.

ANNOTATIO.

176. Hoc ius aliter non competit nisi in collisione propriae aliorumque conseruationis. (§. 43)

OBSERVATIO.

177. Quarundam rerum tanta copia est, vt toti humano generi satis superque sufficiant: aliae res parcius suppetunt. Ita mare, aër, aqua profluens, radii et calor solis aliaque affatim sufficiunt hominibus. Sed agri, fruges, arbores et infinita alia rariora sunt.

ARGVMENTVM.

178. Quia rariorum saltem conceditur occupatio (§. 176) consequens est, quod eorum non liceat occupatio, quorum abundantia nunquam defectura est.

DEFINITIO.

179. Res communi omnium iuri exempta vel alias iure quaesita dicitur acquirentis *propria*.

DEFINITIO.

180. Res pristino statui relicta dicitur *communis*.

ANNO-

A N N O T A T I O.

181. Pro rerum diuersitate occupationis modus varius est. Quaedam enim *apprehensione*, aliae *munitione* a communione omnium separantur. Prior modus rebus mobilibus, posterior immobilibus conuenit.

O B S E R V A T I O.

182. Modi isti occupandi res occupatas dilucidis signis afficiunt, ex quibus cognoscuntur occupatae: sunt enim vbiuis gentium reclusae, absconditae, fossa, muro, septo, etc. clausae, vel impedimento quodam ab aliorum accessu prohibitae. Quando igitur Titius in Germania et Sempronius in Hispania agros occuparunt, vterque suum solito hominibus signo affecerunt, ex quo intelligitur possessus et occupatus: Titius in Hispaniam profectus, inuenit agrum Sempronii eodem modo, iisdem signis adfectum, quibus agrum suum contra promiscuum usum et ingressum vallauerat: oportet Titium meminisse eandem esse Sempronio voluntatem, quam ipse fouet, eumque nolle; vt quisquam agrum eius inuadat. Nouit praeterea, sibi pariter atque Sempronio ius esse suum sibi seruandi, et quod in semetipso probat, in Sempronio et aliis reprehendere nequit. Hac ratione tacitus consensus inter gentes de rerum communione in possessionem et dominium conuertenda procedere potuit.

A R G V M E N T V M.

183. Liquet, quod solo animo rerum occupatio noui absoluatur; quia res occupata externo signo distingui debet.

A N N O T A T I O.

184. Ipsa cultura indicat, rem cultam non esse communem. Imo sufficit, eam esse vtilem vel fructuosam, nec tamen supra fruitionem hominum abundantem.

A N N O T A T I O.

185. Non vsquequaque improbabilis est coniectura ius gentium significare ius familiarum. Nam apud CORNELIVM FRONTONEM Grammaticum legitur: *Natio solum patrum quaerit, gens seriem matorum*. Ita gens Fabia, familiam Fabiorum significat. Etenim occupatio potius familiarum propria videtur, quam nationum et populorum, qui ex familiis collecti fuerunt.

D E F I N I T I O.

186. Possessio est rei corporalis per occupationem quaesita facultas, eam detinendi.

D E F I N I T I O.

187. Dominium est rei communis vel nullius per occupationem quaesitum ius, quo facultas occupanti competit eam sibi priuatiue habendi.

D E F I N I T I O.

188. Res est ens, usum, acquisitionem et ius externe recipere aptum.

O B S E R V A T I O.

189. Res recenter producta, siue natura, siue artificio, est res nullius.

D E F I N I T I O.

190. Res noua in iure ciuili facta esse dicitur, quae genus et nomen mutat, et haec cedit occupanti. *Accedere* vero dicitur, quod nomen totius vel principalis induit, nomenque pristinum perdit.

A R G V M E N T V M.

191. Dominus est liberrimus arbiter rei suae. (§. 187)

ARGUMENTVM.

192. Ergo rem potest derelinquere, quae iterum fit occupantis. (§. 191)

DEFINITIO.

193. Traditio est rei corporalis ex causa habili Latio in eum effectum facta, vt fiat accipientis, et occupantis.

DEFINITIO.

194. Obligatio est mancipatio voluntaria libertatis vel rei suae alteri acceptanti facta.

DEFINITIO.

195. In iure ciuili persona dicitur homo, quatenus ad effectum ciuilem valide velle et agere potest.

ARGUMENTVM.

196. Dum ergo duo vel plures in idem consentiunt, vna ipsis est voluntas, et vna sunt persona, (§. 195) quae secum dissentire non valet. Vnde nemo a conuentione discedere potest inuita altera parte. Sed et iure naturae sola fides data sufficit ad obligationem. (§. 128)

DEFINITIO.

197. Consensus est voluntas plurium in idem, tanquam optimum electum.

REGVLA.

198. De quo non est cogitatum, de eo nihil actum.

REGVLA.

199. Quilibet fauori iuris pro se introducto potest renunciare.

ARGUMENTVM.

200. Pactum de iure tertii non valet.

REGVLA.

201. Quod in alicuius libertate et facultate positum non est, de eo se non potest obligare, nec de ea disponere. (§. 191)

REGVLA.

202. Nemo seipsum sibi obligare potest. (§. 191)

ARGUMENTVM.

203. Votum acceptantis non obligat (§. 194) si non appareat acceptatio.

REGVLA.

204. Ad impossibile nemo obligatur.

DEFINITIO.

205. Conditio est circumstantia conuentionis, quae gestionem validam actu tenus pendentem existentia sua vel committit vel defectu soluit.

DEFINITIO.

206. Committere est in vim effectus absoluere, atque in actum deducere, quod prius saltem in potentia erat.

ANNOTATIO.

207. Testantur multa veterum loca et leges in iure de hac vocis significatione. NONIVS MARCELLVS. *De proprietate serm. Cap. 4. verbo: Committere. Barbaricam pestem Sabinus nostris obtulit, noua figura factam, commissam infabre.* Id est: rudi opera absolutam. VIRGILIUS *Aeneid. L. V.*

Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

id

id est: id actum deductos. NONIVS MARCELLVS loco citato: *Discumbimus multitudo, minus mature coenam committimus.* Saepissime stipulatio vel poena committi dicitur in legibus.

A R G V M E N T V M.

208. Error consensui est contrarius (§. 45)

A N N O T A T I O.

209. Oportet autem vt circa obiectum consensus error accidat. Si annulos emi et erravi in qualitate vel materia quia aureos putavi, conuentio valet: nam non erravi in forma. Quando qualitatem emi, nempe annulos aureos, seruum frugi, cantherium, tum erravi, si annulli aerei, seruus fur aut fugitiuus, cantherius equa inveniatur: et conuentio non valet.

A R G V M E N T V M.

210. Quia consensus voluntatem, voluntas libertatem requirit (§. 197. 32) ideo vis et metus consensui et conuentioni aduersantur. (§. 46)

D E F I N I T I O.

211. Furor est caecitas mentis ad omnia.

A R G V M E N T V M.

212. Furiosi et infantis nulla est voluntas, quae electio boni est (§. 32) ergo hi consensu non obligantur. (§. 197)

A N N O T A T I O.

213. Ad consensum sufficit voluntatis declaratio. Nihil ergo interest, verbis aut facto aut signis aut nutu vel literis consentiam.

A R G V M E N T V M.

214. Voluntas desiderium boni est (§. 32) adeoque nemo non in commodum suum consentit: ergo, qui tacet in re vel negotio sibi proficuo consentire videtur.

A R G V M E N T V M.

215. Surdus et mutus pacisci possunt. Surdus et mutus simul natura, pacisci nequit.

R E G V L A.

216. Non entis non dantur effectus praedicata vel affectiones.

A R G V M E N T V M.

217. Conuentionis ipso iure nullius non datur conditio. (§. 216)

O B S E R V A T I O.

218. Per occupationem patrimonia distincta sunt: et quod quisque occupatione primaeva tulit, iuste habuit. (§. 174)

D E F I N I T I O.

219. Aequitas est patrimoniorum seruata originaria quantitas.

D E F I N I T I O.

220. Lucrum est accessio facti vel rei supra aequitatem abundans, cuius detrimentum apud alium inuitum est.

A R G V M E N T V M.

221. Ergo citra conuentionem ipsa re nascitur obligatio naturalis, quando quis lucrum rei iniquum tenet.

O B S E R V A T I O.

222. Per occupationem non omnia omnibus obtigerunt. Quare quilibet vsu

usu quarundam rerum necessariorum caruit, quem a domino impetrare debuit. (§. 191)

DEFINITIO.

223. Commercia sunt praestationes rei, facti vel usus, consensu dominorum vltro citroque factae, ad leuandam vitae humanae indigentiam.

DEFINITIO.

224. Praesumptio est vicaria veritas in casu deficientis probationis, aut aperta veritatis, per diuinationem eruta, secundum id, quod circumstantiae suadent, aut quod ordinarie fieri consuevit.

ARGUMENTVM.

225. Ordinarie quilibet suum sibi habere cupit (§. 187) hinc in dubio nemo praesumitur liberalis aut rem suam iactare, aut sibi nocere: sed id agere, quod minimum est.

ARGUMENTVM.

226. Furiosi, absentis, infantis, errantis et mortui in fauorabilibus ea voluntas praesumitur, quae prudentis hominis fuerit.

DEFINITIO.

227. Causa est status, circumstantia, adiunctum vel accessorium rei, ex ipsa re aut propter ipsam existens, eam consequens eique cohaerens tanquam pars toti.

DEFINITIO.

228. In alia significatione causa est circumstantia conventionis non liberalis, intentione seruandae aequitatis vel recuperandi aequivalentis inita. (§. 219)

ANNOTATIO.

229. Conuentiones cum causa (§. 228) in specie dicuntur *contractus et obligationes*: quae siue causa sunt, *pacta* appellantur.

ANNOTATIO.

230. Dantur variae diuisiones contractuum, tam ex modo contrahendi, quam fine, intentione, effectu et usu deriuatae. Sic contractus sunt *veri et quasi: reales, consensuales, verbales, literales: nominati vel innominati: bonae fidei et stricti iuris.*

DEFINITIO.

231. Contractus verus est conuentio cum causa per consensum expressum inita.

OBSERVATIO.

232. Consensus et voluntas praeter sermonem etiam signis aliis declaratur (§. 213) quae vbi non satis clara, vel ambigua dubiaque sunt, interpretatione opus habent. Ortae adeo sunt in iure post quaestiones iuris etiam quaestiones voluntatis et facti saepissime etiam sensus legis.

DEFINITIO.

233. Interpretatio est diuinitio sensus verborum vel signorum dubiorum ex circumstantiis probabilibus.

ARGUMENTVM.

234. Ergo eorum non datur interpretatio quae indubia sunt: quae ideo intelliguntur secundum sensum communem et receptum, et vti verba iacent.

REGVLA

R E G V L A.

235. Interpretatio fieri debet de materia substrata.

A N N O T A T I O.

236. Si conveniat: dimidiam partem navium restitui, interpretatio eo non est detorquenda ut navium corpora secta restituantur: nam de numero navium actum fuit. *Casellius* *ICtus* pari interpretatione mercatorem lufit, interrogantem, quomodo cum socio navem diuideret: respondit. Navem si diuidis, nec tu *nec socius* habebitis. *MACRÖBIVS L. 2. Sat. c. 6. Videatur. L. 10. §. 4. ff. De usu et habit.*

R E G V L A.

237. Interpretatio fieri debet ut verba accipiant sensum et effectum a ratione et fine negotii, vel actionis, vel more agentis aut disponentis, non alienum: congruentem rebus, dictis et factis ab origine vel ordinarie coniunctis.

A N N O T A T I O.

238. Praemium vni propositum qui metam primus attigerit, duobus integrum dandum, qui simul attigerunt: nam effectu destituerentur verba, si nulli praemium daretur, quia neuter primus est. Etiam a fine foret aliena interpretatio, quia virtuti praemium proponebatur. Ex ratione et fine diiudicari debet: vtrum conditio adiecta obsequio personae posita sit; an potius effectui. Et quod in fauorem introductum, non debet in odium verti.

R E G V L A.

239. Quod de specie dictum, non recipit interpretationem per aequipollens.

A N N O T A T I O.

240. Interpretatio ad congruens fieri debet. E. gr. Qui libertate donatus est, delicti in seruitute contra dominum commissi veniam impetrasse censetur. *L. 11. pr. ff. De minor.*

R E G V L A.

241. Interpretatio consequentiae secundum praeiudicium suum facienda.

A N N O T A T I O.

242. Sic, qui creditor esse sententia negatur, intelligitur prohibitus esse, petere. *L. 21. §. 1. ff. De recept. qui arbitr. recep.*

R E G V L A.

243. Dispositio iuri tertii aut communi, naturae vel fini negotii vel consuetudini ordinarie obseruari solitae derogans, strictissimae interpretationis est.

R E G V L A.

244. Odiosa patiuntur restrictam interpretationem.

R E G V L A.

245. Fauorabilia in fauorabilibus sunt amplianda.

R E G V L A.

246. Ampliari verba legis conuenit, quando ea res, cuius causa verba quaesita sunt, intelligitur. *CICERO pro Caecina. p. m. 356. col. b.*

REGVLA.

247. Eorum quae ius commune vel utilitatem reipublicae confirmant, extensiva est interpretatio.

REGVLA.

248. Consequentia ex antecedentibus et vice versa sunt interpretanda.

REGVLA.

249. In dubio benignior sententia sequenda, et id, in quo minus vitii est.

OBSERVATIO.

250. In multis negotiis aperta est omnium hominum voluntas, ut expressa declaratione opus non sit. Ita hominum naturalis voluntas est: commodum suum promoueri et damnum auerti. Interdum ergo non apparet consensus indiuidui, sed praesto est consensus generis, sub quo indiuiduum continetur.

OBSERVATIO.

251. Ius civile priuatam illam utilitatem confirmauit, quatenus reipublicae interfuit, vel aequitas ipsam efflagitauit. Hinc *quasi contractuum* origo.

ANNOTATIO.

252. Vocula *quasi* semper similitudinem rei vel negotii denotat, quae affinis vel par est, alteri cuidam, quae proprie talis est.

DEFINITIO.

253. Quasi contractus est praestatio rebus alienis facta imprudente domino, sed praesumptiue consentiente: cum animo utilitatis eius.

ARGUMENTVM.

254. In dubio nemo videtur liberalis (§. 225) intelligitur ergo is, qui operam suam alienis rebus exhibet, intentionem propriae indemnitate fouere.

ANNOTATIO.

255. Ob intentionem indemnitate quasi contractus magis contractus sunt (§. 231. 228) quam pacta. (§. 229)

DEFINITIO.

256. Contractus realis est conuentio cum causa, quae natura sua obligationem ex re tradita tantum producit (§. 221)

DEFINITIO.

257. Contractus consensualis est cum causa conuentio, quae natura sua obligationem ex fide tantum producit.

ANNOTATIO.

258. Contractus reales et consensuales naturalem obligationem ex re et fide data operantur (§. 221. 228) et in omnium generum usu sunt: hinc *Iuris gentium contractus* nuncupantur.

ANNOTATIO.

259. Alii contractus, ut verbalis et literarum obligatio, atque alii complures, ex utilitatis ratione et reipublicae Romanae habitu recepti sunt: hi proprie *iuris civilis* sunt.

OBSER-

OBSERVATIO.

260. Qui lucrum iniquum non intendit, *bona fide* agere dicitur. Ipsa ergo aequitas saepissime nomine bonae fidei nuncupatur. (§. 219. 220)

OBSERVATIO.

261. Aequipollens, siue causa contractibus solennis, interdum re ipsa patrimonii quantitatem aequalem praestat: interdum vero ex opinione contrahentis aequivalens aliquid tribuit. In emtione venditione pretium et merx ipsam patrimoniorum substantiam conferuant, quae est ante contractum. At in mutuo meum alterius facio, et obligationem eius vicissim recipio, quae opinioni meae quidem satisfacit, non autem substantiae patrimonii, quae deminuta manet: causam opinione teneo, non crumena.

DEFINITIO.

262. Contractus bonae fidei est conventio cum causa, ex qua ipsa bonorum substantia quae cuiusque contrahentium est, non minuitur.

DEFINITIO.

263. Contractus stricti iuris est conventio cum causa, ex qua pro detrimento bonorum res vel factum reponitur, ex opinione aequipollens.

OBSERVATIO.

264. Res, quae certam naturam habet et perpetua substantialia, ex his nomen proprium aliquod fortiri potest. Mutuum perpetuo ingreditur quantitas fungenda: commodatum corpus non fungendum sed vtendum: depositum, corpus nec fungendum nec vtendum, sed adseruandum: pignus, corpus neque fungendum neque vtendum, sed in crediti securitatem habendum: emtione merx et pretium: locationem vsus et merces: societatem tractatio rerum communis: mandatum, negotium voluntate domini gratuito expediendum: stipulationem, solennia verba: Literarum obligationem, scriptura: Negotiorum gessionem et tutelam, administratio incio domino suscepta: haereditatis aditionem personae iurisque defuncti susceptio: haereditatis et legati communionem eadem ex persona defuncti assumpta voluntas: E contrario in perimutatione quiduis pro quouis, fungibile pro specie traditur, neque quid merx sit, neque quid pretium, intelligitur. In contractu aestimatorio non constat de pretio, quia res restitui potest: non constat de vsu, quia pretium solui potest: ergo incerti generis contractus est *L. i. pr. ff. De aestimat. act.* et innominatus. In contractu: Do vt des: dubium est, vtrum daretur, an data res causa non secuta repeteretur: in articulo: Facio vt facias: nescitur an factum secuturum sit, an vero interesse praestandum, et ita in reliquis. Hi omnes contractus vagi generis et innominati sunt.

ANNOTATIO.

265. Indebiti solutionem pro conventionem vix agnosco, quia indebitum errore soluitur et accipitur: error autem consensum excludit, (§. 208) sine quo conventio esse nequit. (§. 197) nisi dicas: Quemlibet praesumi bonum virum: viri boni esse voluntatem, suum cuique restituere; adeoque accipientem indebitum praesumptive consensisse. Sed haec alibi latius tractabuntur.

DEFINITIO.

266. Pactum nudum est libertatis iuris vel rei suae per conventionem facta gratuita deminutio.

ANNOTATIO.

267. Conventionibus accedere solet iuramentum, de quo multa differunt iuris naturalis auctores. Sed iuramentum parum vel nihil de natura participat, nec magis obligat, quam fides data, si cultum Dei externum excipias: proinde hanc tractationem proprio loco referuo.

OBSERVATIO.

268. In apprehensione rerum concursus duorum vel plurium bellum genuit. Abundantia quoque hominum, quibus alimenta patriae non suffecerunt; migrationibus et pugnae ansam praebuit. Populus quilibet pro vita, alimentisque pugnavit.

ARGUMENTVM.

269. Vnde hoc casu bellum vtrinque iustum. (§. 97. 117)

ARGUMENTVM.

270. Prius quam ad bellum perueniatur mitiora remedia tentanda sunt, (§. 99) ergo quid populus a populo poscat, exponendum, et bellum in casum denegatae iustitiae rite indicendum est.

ARGUMENTVM.

271. Belligerantes de alimentis et sedibus, iure sibi ius omne denegant (§. 269) naturale et gentium: ergo caedes per modum defensionis vitae licent. (§. 97)

ARGUMENTVM.

272. Hostis inermis interfici vel opprimi potest (§. 124)

ARGUMENTVM.

273. Armis telisque lethalibus contra hostem uti licet (§. 172) nec refert utrum ipse paribus utatur.

ARGUMENTVM.

274. Bellum iustum est propter defensionem plerumque praeoccupatam, (§. 124) ergo senes, aegroti, infantes, foeminae, religiosi, ab armis abstinentes, occidi non possunt, in ipso quoque bello.

OBSERVATIO.

275. Victi qui se victoribus dedunt, vitam et omne quod ipsis saluum, in liberrimum victorum arbitrium tradunt. Verum et hac ratione sese stupidos et imbelles profitentur, qui non ad agendum et imperandum, sed tanquam instrumenta ad patendum et parendum nati sint. Competit autem agenti imperium in organum, (§. 39) ideo quoque prudenti et fortiori in ignaum et vecordem. Ille dominus, hic servus appellatur. ARISTOTELES *L. 1. Politic. cap. 3.*

OBSERVATIO.

276. Iureconsulti Romani Stoicorum placita secuti, *vid. CVIACIVS Obs. L. 16. c. 40.* crediderunt, semen virile ad generationem ex toto corpore defluere.

Quale

Quale ergo principium et origo, talem etiam prouentum fore iudicarunt. Eum igitur, qui a seruo progenitus fuerat, seruilis ingenii esse iudicarunt.

A N N O T A T I O.

277. Omnem belli et seruitutis originem pulchre exprimit responsio Brenni Romanorum legatis data. *Iniuria afficiunt nos Clusini, qui solum et agrum latius affectant possidere, quam colere valeant: neque aduenis nobis, qui multi sumus ac inopes, partem concedunt finium. Eadem in vos iniuria, Romani, primum Albanorum, Fidenatium et Ardeatium fuit. Nunc Veientium, Capenatium, multorumque Falisci et Volscii nominis: quibus nisi parte fortunarum cedant, arma infertis, in seruitutem abripitis, agros populamini, vrbes excinditis. Neque tamen factum id vestrum iniquum sit, sed antiquissimam legem sequimini duces, quae fontibus res largitur ignauorum, ducta a Deo et ad bruta usque terminans. Nam et his natura comparatum est, ut praeferrri humilioribus velint praestantiora.* PLVTARCHVS in Camillo. Ex hac hominum diuisione status hominum ortus fuit.

D E F I N I T I O.

278. Status est conditio hominum qua magis minusue ratione et aptitudine imperandi dirigendive pollent: et per hoc iuris naturae gentium et ciuilis magis minusue capaces sunt.

A N N O T A T I O.

279. Quae de libertate et seruitute dicenda forent, latius ex ipsis textibus Pandectarum patefcent.

D E F I N I T I O.

280. Manumissio est ex iusta seruitute facta liberatio.

A R G V M E N T V M,

281. Captiuis tacite de salute fides data videtur, ideo occidi non possunt. (§. 128)

A N N O T A T I O.

282. Non praesumitur animum hostilem deposuisse, qui supplex et deditus rursus insurgere contra victorem potest: quare se dedentes non statim omnes in fidem recipiuntur.

A R G V M E N T V M.

283. Belli indictione requisita (§. 270) requiritur, vt bellum vi aperta geratur: id quod indictione fere significatur: ideo turpe confetur hosti veneficio insidiari.

R E G V L A.

284. Vis et bellum ita indictum putatur, vti populus bellum gerere consuevit.

A R G V M E N T V M.

285. Si ergo spiculis venenatis vti consueuerit bellum inferens et indicens, non clandestine insidiatur, ergo telis huius modi ipsi vti licebit.

D E F I N I T I O.

286. Talis est relatio mali iniuria illati.

ANNOTATIO.

287. Indignitatem facti iniusti sapiens rationis lumine a priori edocetur: quiuis autem malus inspiens est; et hic sensu et a posteriori discere debet iniustitiae prauitatem. Ideo per talionem experiri debet, quam durum sit malum iniuriæ pati, quod ipse prius alii intulit.

ARGUMENTVM.

288. Talionis tanta vis est, vt per eam ipsa perfidia liceat. Nam perfidus diligentius fidem seruabit metu talionis. (§. 286)

ARGUMENTVM.

289. Factum apertum est, quando fontes et aquæ coeno vel cadaueribus inquinantur, vt ab hoste bibi non possint: quando commeatus et alia corrumpuntur vel comburuntur, ne hostis illis gaudeat: hinc optimo iure licita sunt. (§. 283)

ARGUMENTVM.

290. Qui hostem clanculum accedit, sed vi et armis opprimit, aperte agit et iure gentium iuste. (§. 283) Percussor autem clam accedit et per dolum occidit, id quod per contrarium improbat.

ARGUMENTVM.

291. Exploratorum opera omnis clandestina et subdola nec minus hostilis est: ergo iure militum non fruuntur. (§. 283)

ARGUMENTVM.

292. Postquam libido et lasciuia pro vitio habitæ sunt, quanquam in hostem omnia licent, tamen supra foeminarum per se foeda, nec bello vel victoriae conuenientia, vetita sunt.

ARGUMENTVM.

293. Ius gentium hostibus negant, qui bellum gerunt (§. 271) ergo dominium rerum negant. (§. 182) Dehinc res hostiles diripi et destrui possunt, captæ autem fiunt capientis, modo hic hostis sit.

ARGUMENTVM.

294. Quod vnus populi religio vel superstitio sibi sacrum constituit, hostis diuersæ religionis sine impietate diruere potest. Quid hostem eidem religioni addictum deceat, per se euidens est.

ARGUMENTVM.

295. Res hostiles non aliter censentur occupatæ quam communes (§. 182) ergo mobiles hostis propriæ tum demum fiunt, quando eas intra munitiones suas perduxit: immobiles, quando illas munitionibus vallauit, nec sufficit in immobilibus possessio nuda.

ARGUMENTVM.

296. Quia hoc demum bellica occupatione acquiritur, quod hostium est (§. 287) id quod apud hostem depositum est vel oppignoratum, etc. occupari nequit.

OBSERVATIO.

297. Adparatus bellicus hosti ad vsum belli a tertio concessus omnino eum in casum conceditur, vt si perierit, eiusdem generis alius et tantundem restituatur.



ARGV-

ARGVMENTVM.

298. In hac conuentione mutuum potius subest quam commodatum: ergo apparatus iste iure cedit hosti occupanti. Mutuum enim ex meo efficit tuum.

ANNOTATIO.

299. Copiae sociorum, auxiliares et stipendiariae eiusdem iuris sunt, cuius res modo relatae. Et eatenus, qui auxilia submittit, bellum ipso facto denunciasset et intulisse censetur.

ARGVMENTVM.

300. Hostis rerum bello captarum dominus fit (§. 293) propterea ab hoste iterum recepta capientis fiunt (§. 187) non prioris domini.

ANNOTATIO.

301. Quaecunque tamen hostis iure Maiestatis tenuit, vt aerarium bellicum, tormenta, naues, fortalitia, Archiuum, copiae, etc. occupanti adquiri nequeunt, quippe horum capax non est, sed ei, cuius auspiciis bellum geritur.

ARGVMENTVM.

302. Inter bellatores omne vinculum humanae societatis cessat: ergo et fides. (§. 127)

ARGVMENTVM.

303. Hinc in bello fallaciis, simulatione et astutiis vti licet.

OBSERVATIO.

304. Quando hostis cum hoste paciscitur, iuri fallendi, quod generaliter orto bello competeat, in tantum renunciat, quantum pactus est.

ARGVMENTVM.

305. Qua de causa fides hosti data quoque seruanda erit.

ARGVMENTVM.

306. Legatus et internuncius eiusmodi pactionis certis signis innoxium vitae genus et pacificum accessum demonstrat: ergo saluus et inuiolabilis esse debet. (§. 274)

ANNOTATIO.

307. Cum hisce legatis bellicis hodierni in curiis residentes legati non vsquequaque sunt comparandi: inuiolabiles autem sunt ex persona principalis quem repraesentant. Si quando eiusmodi legatus iura pacis violat, hostilia, seditiosa et periculosa machinatus, iudicio principis sui tradendus est: si hic eum punire recuset, adprobatione sua iniuriam ipse intulit. (§. 37)

ARGVMENTVM.

308. Magis naturale et iuris primaevi est, homines pacem et societatem colere (§. 90) bellum autem ex iure gentium deriuatiuo deum iustum est (§. 268. 269) ergo pactum de induciis et de pace religiosissime seruandum. (§. 96)

OBSERVATIO.

309. In securitatem pacis et pacti obsides dari solitum est, qui sua et totius populi fide et conuentione pignori quasi obligantur. Vnde obsides aufugere non debent. (§. 305)

ARGV--

ARGUMENTVM.

310. Captiui, qui fidem non obligarunt, nullo iure impediuntur, quo minus se in libertatem vindicent: quia fallaciae aduersus hostem permittuntur. (§. 303)

ANNOTATIO.

311. Aliae complures quaestiones, occasione belli et iuris feccialis tractari solitae, praesenti scopo vix inferuiunt.

OBSERVATIO.

312. Eousque a natura deflexit ius naturae, transfusum in gentium ius, vt cum vitam praecipuum sui fundamentum agnoscat, iure belli alios vita priuare permittat. Ex hac ratione ad ius gentium refertur defensio contra vim. (§. 97) Vt priuatam vim auerterent homines in ciuitate coierunt, quo tamen remedio non omni incommodo liberati sunt.

DEFINITIO.

313. Ciuitas est collectio hominum in vnum corpus sub foedere defensiuo pro salute et securitate communi et singulorum.

ARGUMENTVM.

314. Quoniam ciuium vna eademque voluntas est, (§. 313) personam mysticam, symbolicam et corpus vnum constituunt. (§. 195)

OBSERVATIO.

315. Nulla societas sine legibus consistere potest. Sunt enim leges communis illa voluntas, per quam ciuitas persona est.

ARGUMENTVM.

316. Si mortem vel seruitutem mallent homines, ciuitatem non ingrederentur, neque contra naturam se legibus et imperio subiicerent, proinde vita, victus et libertas ciuitatis finis, et salus reipublicae suprema lex est.

OBSERVATIO.

317. Vt ciues libenter in ciuitate essent, vt patriam charam haberent et acerrime defenderent, multa ex ratione mere ciuili in republica Romana introducta sunt, quae nec iure naturae nec gentium rata esse possent. Huc pertinent omnes actus legitimi, successiones, adoptiones, vfucapio, actiones et familia, de quibus omnibus suo loco plenius agendum erit.

DEFINITIO.

318. Actio est deminuti iuris apud iudicem postulata reparatio iure ciuili in eum data, qui eius lucrum tenet.

ANNOTATIO.

319. Post longam satis digressionem reuertitur tractatio ad textus iuris.

ANNOTATIO.

320. Manumissiones quoque iuris gentium sunt. Est autem manumissio, de manu missio: id est, datio libertatis. (§. 280) Nam quamdiu quis in seruitute est, manui et potestati suppositus est: manumissus liberatur potestate. Quae res a iure gentium originem sumpsit: vtpote cum iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita. Sed posteaquam iure gentium serui-

*Ulpianus L. 1.
Inst. L. 4.*

seruitus inuasit, secutum est beneficium manumissionis, et, cum vno naturali nomine homines appellaremur: iure gentium tria genera esse coeperunt: liberi, et his contrarium serui, et tertium genus liberti: id est, hi qui desierant esse serui. *L. 4. b. (§ 275)*

ANNO TATIO.

321. Ex hoc iure gentium introducta bella (§. 268) discretæ gentes, regna condita (§. 312) dominia distincta, agris termini positi, aedificia collocata (§. 178. sequ.) commercium, emtiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes, institutæ (§. 223. 229. sequ.) exceptis quibusdam, quæ a iure ciuili introductæ sunt. *L. 5. b. (§. 259)*

DEFINITIO.

322. Ius ciuile est quod ex ratione salutis et vtilitatis cuiusque reipublicæ præter ius naturæ et gentium obseruatur.

ANNO TATIO.

323. Ius ciuile est, quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei seruit. Itaque cum aliquid addimus vel detrahimus iuri communi, ius proprium, id est, ciuile efficitur. *L. 6. pr. b.*

Ulpianus L. 1. Inst. L. 6.

ANNO TATIO.

324. Philosophus quidam, studioforum applausu et adprobatione aliquando celebris, ius ciuile definit, *quod sit modificatio iuris naturæ: siue, ius naturæ adplicatum ad rempublicam.* Ad hæc quidam scholæ eius sectator in disputatione sua inaugurali exclamat: *Quod hic Philosophus et Medicus primus Iureconsultis ad inueniendam genuinam indolem iuris ciuilis, eiusdemque a iure naturali differentiam, viam monstrauerit.* Prior autem definitio, si nomen hoc meretur, nihil aliud habet, quam quod textus præcedens iam docuit, cuius ductu viam illam recentem inire, iam dudum Ictis licuit. Altera definitio prorsus falsa est; quid enim naturale, vel quid iuris gentium sit, conspicias in actione de tigno iuncto, quæ quod alicuius est, ipsi adimit, atque dolo iungentis patrocinatur. Quid de adoptione, emancipatione, de Falcidia et aliis iuris articulis dicemus?

OBSERVATIO.

325. Hoc igitur ius nostrum (ciuile) constat aut ex scripto aut sine scripto: vt apud Græcos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἀγραφοι: Legum alia quidem scriptæ, alia vero non scriptæ. *L. 6. §. 1. b.*

§. 1.

ANNO TATIO.

326. Ius autem ciuile est, quod ex legibus, plebiscitis, senatus consultis, decretis principum, auctoritate prudentium venit. *L. 7. pr. b.*

Papinianus L. 2. Definit. L. 7.

ANNO TATIO.

327. Ius prætorium est, quod prætores introduxerunt, adiuuandi vel supplendi vel corrigendi iuris ciuilis gratia, propter vtilitatem publicam: quod et honorarium dicitur, ad honorem prætorum sic nominatum. *L. 7. §. 1. b.*

§. 1.

ANNOTATIO.

Marcius L.
1. Inst. L. 8.

328. Nam et ipsum ius honorarium viua vox est iuris ciuilibus.
L. 8. b. Id est: ius praetorium sensum iuris gentium et ciuilibus ad aequitatem naturae reuocat, et interpretis officio fungitur.

ANNOTATIO.

329. Honor significat dignitatem publice consummatam. CORNELIVS FRONTO in voce HONOS: *Honos, qui sustinet rempublicam.*

OBSERVATIO.

Caius L. 1. Inst.
L. 9.

330. Omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium ciuitatis est: vocaturque ius ciuile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis.
L. 9. b.

ANNOTATIO.

331. Textus hic ab interpretibus, etiam ab ipso GVILIELMO BVDAEO in *Annotat. ad Pand.* ad ductum Glossatorum de consuetudine explicatur. RAEVARDVS in *Coniectan.* L. 3. c. 9. in alia omnia abit. Veriorem autumo sequentem explicationem. *Fuit aliquando regnorum distinctio in ea, quae per dominatum exercebantur, et alia, quae quidem regem tolerabant, cuius tamen arbitrio non vivebatur. Est et alia insuper Monarchiae species: qualia sunt apud quosdam Barbaros regna, vim habentia proximam tyrannidi, licet sint legitima et secundum morem parata. Ob id enim, quia magis aptae sunt natura ad seruendum nationes Barbarorum quam Graecorum: et eorum qui incolunt Asiam, quam eorum qui Europam: perferunt seruire iugum aequo animo: et ob hoc tyrannica sunt eiusmodi regna, sed habent securitatem, quia more vt legibus consistunt. Et ea de causa custodiam habent regiam, non tyrannicam. Reges enim a ciuibus custodiuntur, tyranni vero ab externis mercede conductis: et reges secundum reges et volentibus, tyranni vero inuitis dominantur. Itaque alteri a ciuibus custodiuntur, alteri contra ciues custodiam parant. Sic ARISTOTELES Politic. L. 3. cap. 6. De iusto autem regno eodem loco ait: In Lacedaemoniorum enim republica videtur rex esse maxime secundum leges: neque enim potestatem habet omnium. Ergo populi, qui secundum legem gubernantur, illi sunt, qui in Democratia viuunt, vel in alia forma reipublicae vbi summa potestas ad leges alligata est. Qui vero secundum mores, isti sunt, quibus rex secundum regem, id est, ex liberrimo arbitrio nullis legibus cohibito, dominatur: ita tamen, vt apud hos moris sit, regem ita accipere et imperare. Sed vbi illa ab Aristotele obseruata Europaeorum ferocitas et iugi impatientia? Hodie secundum LVCA-NVM de bello ciuili L. 8.*

*Sceptrorum vis tota perit, si pendere iusta
Incipit, euertitque arces respectus honesti.*

DEFINITIO.

332. Mos est institutum patrium pertinens maxime ad religiones caerimoniasque antiquorum. FESTVS de Signif. verb. et VARRO de Moribus: morem esse dicit in iudicio animi, quem sequi debeat consuetudo.

ANNO-

A N N O T A T I O.

333. Quod vero naturalis ratio inter homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtuntur. *L. y. h.*

D E F I N I T I O.

Iustitia est attributum voluntatis vel actionis, quo rationem aequi bonique sequi, adfucta esse dicitur.

A N N O T A T I O.

334. Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. *L. 10. h.* Constans haec et perpetua voluntas a multis reprehensa, qui tamen diffiteri nequeunt iustum neque ipse neque metu, neque amore neque excandescencia, nec alio quouis irritamento a tramite iusti dimoueri posse. Iustitiam fatum voluntatis esse statuerunt Icti formam adquisitionem, sed indelebilem, inseparabilem, ad instar voluntatis diuinae efformatam: de qua SENECA grauisime disserit *L. 1. Natural. quaestionum. Disco - - - quid sit Deus - - - liceat illi hodieque decernere, et ex lege factorum aliquid derogare? an maiestatis deminutio sit et confessio erroris, mutanda fecisse? Necessse est enim ei eadem placere, cui, nisi optima, placere non possunt. Nec ob hoc minus potens et liber est: ipse enim est necessitas sua.* Diuiditur iustitia communiter in vniuersalem et particularem.

Vlpianus L. 1. Reg. L. 10.

D E F I N I T I O.

335. Iustitia vniuersalis est attributum voluntatis omne iusti bonique officium explere consuetae.

D E F I N I T I O.

336. Iustitia particularis est attributum voluntatis, ex quo aequitatem (§. 219) seruat et seruare prona est.

A N N O T A T I O.

337. Huius diuisionem in distributiuam et commutatiuam Doctores ab Aristotele mutuati sunt. *ARISTOTELES Nicom. L. 5. c. 2. sequ.*

D E F I N I T I O.

338. Iustitia distributiuam est attributum actionis meritoriae, secundum rationem vel proportionem qualitatis personalis auctum.

A N N O T A T I O.

339. Docet Aristoteles, quod distributiuam seruet proportionem geometricam: quod ita capiendum. Eadem actio meritoria vilioris et dignioris hominis vel cuius plus minusue remuneranda, quo quis dignior vel vilior est. Sit e. gr. gregarii militis dignitas = 1 subalterni officialis = 2 superioris officialis = 3 meritum autem cuiusque = 2. Quodsi gregario praemium tribuatur = 2 per iustitiam distributiuam subofficiali 4 et officiali 6 debeatur. Nam proportio geometrica haec est:

$$2 : 4 = 3 : 6$$

Hoc recte viderunt antiqui, quod meritum se habeat vt nomen rationis, quod per gradum qualitatis personalis multiplicatur: vnde maius attributum digniori, minus viliori cedit. Donationes eandem proportionem seruant.

DEFINITIO.

340. Iustitia commutativa est attributum actionis secundum rationem vel proportionem facti, vel praestationis.

ANNOTATIO.

341. Solvo centum in pretio et recipio tantundem in merce: solvo centum mercedis nomine, et recipio centum in usu vel opera: mutuam contraxi centum, et restituo centum. Vbiq; attributum rationem facti vel praestationis servat: quod etiam in delictis et damno dato obtinet, in quibus pariter attributum ex facto mensuratur. Hinc iustitiae commutativae, vel uti alias vocatur, expletrici et correctoriae, proportio arithmetica adscribitur, quia dignitas vel qualitas personae attributum non multiplicat. Si vilissimus pro vna libra mercis vnum florenum soluit, dignissimus neque plus neque minus soluet. Irus centum debet et tantundem Croesus, neuter plus minusue soluere tenetur. Respectus personarum nihil ad attributum confert. Vtraque iustitia probe declaratur exemplo Cyri pueri, qui inter duos de tunica litigantes grandiori homini tunicam adiudicavit, quae tamen minoris litigantis erat propria: errans in applicatione iustitiae distributivae, quod maioris statuae viro ampliorem tunicam rectius convenire arbitrabatur, quam minori: correctus ideo a Praeceptore, qui per iustitiam commutativam tunicam domino suo restitui debere docuit, non inspecto habitu personae. Ita Leo apud Phaedrum in Fabulis iustitiam distributivam in praedae captae distributione male applicuit, cum ex contractu societatis commutativam observare debuisset:

*Ego, inquit, primam tollo, nominor quia leo:
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi:
Tum quia plus valui, me sequetur tertia:
Malo adficietur, si quis quartam tetigerit.*

In summa: Iustitia distributiva ab analogis ad maius et minus argumentum ducit: commutativa a paribus quantitate.

ANNOTATIO.

342. Potest iuste agere qui iniustum facit, et iterum iniuste agere qui iustum operatur. Qui in bello iniusto ordines non deserit, iuste agit: prodit autem ex eius actione iniuria: et qui legibus inique positis obtemperat, iusta non agit, sed iuste. Item, iustum iniuste fieri potest. *SENECA in Medea:*

*Qui statuit aliquid parte inaudita altera
Aequum licet statuerit, haud aequus fuit.*

REGULA.

§. 1.

343. Iuris praecepta sunt haec: honeste vivere, alterum non laedere, ius suum cuique tribuere. *L. 10. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

344. Multa in his praeceptis acutuli homines desiderant. Puto, vnum quodque ex definitione iustitiae derivari. Honestè viuendum: ita ut voluntas legi sponte obsequiosa manifestetur. (§. 333) Nemo laedendus: ob rationem boni

boni ex natura hominis animali oriundam (§. 97) Ius suum cuique tribuendum: propter rationem boni ex natura hominis, qua talis, deriuatum. (§. 175- 182)

DEFINITIO.

345. Iurisprudencia est diuinarum atque humanarum rerum notitia: iusti atque iniusti scientia. L. 10. §. 2. b. §. 2.

ANNOTATIO.

346. Ratio definitionis est, quod pars iuris ciuilibis in iure sacrorum constitit, *Fragm. LL. XII. Tabb.* Verum etiam Scaeuolam iura ciuium et caerimonias Deorum ordinasse, auctor est VALERIVS MAXIMVS: L. 8. c. 8. Siquando monumentum sepulchri restitendum fuerat, pontifices, diuinarum rerum scientes, explorare debebant, quatenus hoc salua religione fieri posset: L. ult. ff. *De mort. infer.* Ateius Capito ICtus librum composuit de iure sacrificiorum. Ad notitiam rerum diuinarum olim pertinuit, quod Ioui tauro, verre, ariete, immolare non licuerit, et quod quaedam illitata fuerint. MACROBIVS *Saturnal.* L. 3. c. 4. Iure quoque Papiriano statutum fuit, mensam posse arae vicem praestare: *ibid.* c. 5. Huc referenda lex antiquissima: *Pelex asam Iunonis ne tagito: si taget, Iunoni crinibous demissis arnum foeminam capto.* GELLIVS L. 4. c. 3. Sed et confarreatio, qua vxor adsumebatur, ad pontifices et ius sacrorum spectauit. BOETHIVS *Top. Comment.* 2.

ANNOTATIO.

347. Ius pluribus modis dicitur, vno modo, cum id, quod semper aequum et bonum est, ius dicitur, vt est ius naturale. Altero modo, quod omnibus aut pluribus in quaque ciuitate vtile est: vt est ius ciuile. Nec minus ius recte appellatur in ciuitate nostra ius honorarium. Praetor quoque ius reddere dicitur, etiam cum inique decernit: relatione scilicet facta, non ad id, quod ita praetor fecit, sed ad illud, quod praetorem facere conuenit. Alia significatione ius dicitur locus, in quo ius redditur: appellatione collata ab eo, vbi fit, quem locum determinare hoc modo possumus. Vbicunque praetor salua maiestate imperii sui, saluoque more maiorum ius dicere constituit, is locus recte ius appellatur. L. 1. b. Nonnunquam ius etiam pro necessitudine dicimus: veluti, est mihi ius cognationis vel adfinitatis. L. 12. b.

Paulus L. 14. ad Sabin. L. 10. 11.

Marcianus L. 1. Inst. L. 12.



* * * * *

DE
ORIGINE IVRIS ET OMNIUM MAGI-
STRATVVM, ET SVCCESIONE
PRVDENTIVM.

T I T V L V S II.

A N N O T A T I O.

*Caius L. 2. ad
L. 12. Tab. L. 1.*

1. Facturus legum veterarum interpretationem, necessario prius ab vrbis initiis repetendum existimaui: non quia velim verbosos commentarios facere: sed quod in omnibus animaduerti, id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constaret: et certe cuiusque rei potissima pars principium est. Deinde, si in foro causas dicentibus nefas, vt ita dixerim, videtur esse, nulla praefatione facta, iudici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus inconueniens erit omittis initiis, atque origine non repetita, atque illotis, vt ita dixerim manibus, protinus materiam interpretationis tractare. Namque, nisi fallor, istae praefationes et libentius nos ad lectionem propositae materiae producant, et cum ibi venerimus, euidentiore praestant intellectum. *L. 1. h.*

O B S E R V A T I O.

*Pomponius L.
sing. Euchir.
L. 2.*

§. 1.

§. 2.

§. 3.

§. 4.

2. Necessarium itaque nobis videtur ipsius iuris originem atque processum demonstrare. *L. 2. pr. h.* Et quidem initio ciuitatis nostrae populus sine lege certa, sine iure certo, primum agere instituit: omniaque manu a regibus gubernabantur. *L. 2. §. 1. h.* (Haec non satis conueniunt his, quae *DIONYSIVS Hal. L. 2. c. 2.* recenset:) nec sibi conuenire videtur Pomponius in §. sequenti) Postea aucta ad aliquem modum ciuitate, ipsum Romulum traditur populum in triginta partes diuissse, quas partes curias appellauit: propter ea quod tunc reipublicae curam per sententias partium earum expediebat (an verius a Quiritibus Quiriae dictae sunt Curiae) Et ita leges quasdam et ipse curiatas ad populum tulit: tulerunt et sequentes reges, quae omnes conscriptae extant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus, Demarati Corinthii filius (imo Tarquinius Priscus Demarati filius fuit. *LIVIVS L. 1. PLINIVS L. 35. c. 3. 6.*) ex principibus viris. Is liber, vt diximus, appellatur Ius ciuile Papirianum: non quia Papirius de suo quicquam adiecit, sed quod leges sine ordine latas in vnum composuit. *L. 2. §. 2. h.* Exactis deinde regibus lege Tribunitia, omnes leges hae exoleuerunt, iterumque coepit populus Romanus incerto magis iure et consuetudine ali, quam per latam legem: idque prope viginti annis passus est; *L. 2. §. 3. h.* Postea, ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate decem constitui viros, per

per quos peterentur leges a Graecis ciuitatibus; et ciuitas fundaretur legibus: quas in tabulas eboreas (alii: roboreas) perscriptas pro Rostris composuerunt, vt possint leges apertius percipi: datumque est eis ius eo anno in ciuitate summum: vti leges et corrigerent, si opus esset, et interpretarentur: neque prouocatio ab eis, sicut a reliquis magistratibus fieret. Qui ipsi animaduenterunt aliquid deesse istis primis legibus: ideoque sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adiecerunt: et ita ex accidentia appellatae sunt leges duodecim tabularum: quarum ferendarum auctorem fuisse decemuiris Hermodorum quendam Ephesium, exulantem in Italia, quidam retulerunt. *L. 2. §. 4. b.* His legibus coepit, vt naturaliter euenire solet, vt interpretatio desideraret prudentium auctoritate necessariam esse disputationem fori. Haec disputatio et hoc ius quod sine scripto venit, compositum a prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, vt caeterae partes iuris suis nominibus designantur, datis propriis nominibus caeteris partibus: sed communi nomine appellantur ius ciuile. *L. 2. §. 5. b.* Deinde ex his legibus eodem tempore fere actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne populus prout vellet institueret, certas solennesque voluerunt: et appellatur haec pars, iuris legis actiones, id est, legitimae actiones. Et ita eodem paene tempore tria haec iura nata sunt: leges duodecim tabularum, ex his fluere coepit ius ciuile, ex iisdem legis actiones compositae sunt. Omnium tamen harum et interpretandi scientia et actiones apud collegium Pontificum erant: ex quibus constituebatur, quis quoquo anno praecesset priuatis. Et fere populus annis prope centum hac consuetudine vsus est. *L. 2. §. 6. b.* Postea cum Appius Claudius proposuisset et ad formam redegisset has actiones, Cneus Flavius scriba eius, libertini filius, subreptum librum populo tradidit; et adeo gratum fuit id munus populo, vt tribunus plebis fieret, et senator et Aedilis curulis. (Huius facti diuersitatem aliquam vide apud VALERIVM MAXIMVM *L. 2. c. 1. et GELLIVM L. 6. c. 9.*) Hic liber qui actiones continet, appellatur ius ciuile Flavianum, sicut ille ius ciuile Papirianum. Nam nec Cneus Flavius de suo quicquam adiecit libro. Augescente ciuitate, quia deerant quaedam genera agendi, non post multum temporis spatium Sextus Aelius alias actiones composuit, et librum populo dedit, qui appellatur ius Aelianum. *L. 2. §. 7. b.* Deinde cum esset in ciuitate lex duodecim Tabularum, et ius ciuile, essent et legis actiones, euenit, vt plebs in discordiam cum patribus perueniret, et secederet, sibi iura constitueret, quae iura plebiscita vocantur. Mox cum reuocata est plebs, quia multae discordiae nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit et ea observari lege Hortensia: et ita factum est, vt inter plebiscita et legem species constituendi interessent, potestas (autem) eadem esset. *L. 2. §. 8. b. GELLIVS L. 15. c. 27.*

§. 5.

§. 6.

§. 7.

§. 8.

Deinde,

- §. 9. Deinde, quia difficile plebs conuenire coepit, populus (certe) multo difficilius in tanta turba hominum, necessitas ipsa curam reipublicae ad senatum deduxit. Ita coepit Senatus se interponere, et quicquid constituisset, obseruabatur: idque ius appellabatur Senatus consultum.
- §. 10. *L. 2. §. 9. b.* Eodem tempore et magistratus iura reddebant, et vt sci- rent ciues quod ius de quaqua re quisque dicturus esset, seque prae- muniret, edicta proponebant: quae edicta praetorum ius honorarium constituerunt. Honorarium dicitur, quod ab honore praetoris vene- rat. *L. 2. §. 10. b.* Nouissime, sicut ad pauciores iuris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus videbatur, per partes euenit, vt necesse esset reipublicae per vnum consuli. Nam Senatus non perinde omnes prouincias probe gerere poterant. Igitur constituto principe datum est ei ius, vt quod constituisset, ratum esset. *L. 2. §. 11. b.*
- §. 12. Ita in ciuitate nostra aut iure, id est, lege constituitur: aut est proprium ius ciuile, quod sine scripto in sola prudentium interpretatione confi- sit: aut sunt legis actiones, quae formam agendi continent: aut Ple- biscitum, quod sine auctoritate patrum est constitutum: aut est magi- stratum edictum, vnde ius honorarium nascitur: aut Senatusconsul- tum, quod solum Senatu constituente inducitur sine lege: aut est prin- cipalis constitutio, id est, vt quod ipse princeps constituit pro lege ser- uetur. *L. 2. §. 12. b.* Post originem iuris et processum cognitum, con- sequens est, vt de magistratum nominibus et origine cognoscamus; quia, vt exposuimus, per eos, qui iuri dicendo praesunt, effectus rei accipitur. Quantum est enim ius in ciuitate esse, nisi sint, qui iura regere possint. Posthaec dein de auctorum successione dicemus: quod constare non potest ius, nisi sit aliquis iuris peritus, per quem possit quotidie in melius produci. *L. 2. §. 13. b.* Quod ad magistratus atti- net, initio ciuitatis huius constat, Reges omnem potestatem habuisse.
- §. 15. *L. 2. §. 14. b.* Iisdem temporibus et Tribunum Celerum fuisse constat: is autem erat, qui equitibus praeerat, et velut secundum locum a regibus obtinebat: quo in numero fuit Iunius Brutus, qui auctor fuit regis eiiciendi. *L. 2. §. 15. b.* Exactis deinde regibus consules constituti sunt duo: penes quos summum ius vti esset, lege rogatum est. Dicti sunt ab eo, quod plurimum reipublicae consulerent: qui tamen, ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum est, vt ab eis prouocatio esset, neue possent in caput ciuis Romani animaduerte- re iniussu populi: solum relictum est illis, vt coercere possent, et in vincula publica duci iuberent. *L. 2. §. 16. b.* Post deinde, cum census iam maiori tempore agendus esset, et consules non sufficerent huic quoque officio, censores constituti sunt. *L. 2. §. 17. b.* Populo deinde aucto, cum crebra orirentur bella, et quaedam acriora a finitimis in- ferrentur, interdum re exigente placuit maioris potestatis magistratum constitui: itaque Dictatores proditi sunt, a quibus nec prouocandi ius fuit,

fuit, et quibus etiam capitis animaduersio data est. Hunc magistratum, quoniam summam potestatem habebat, non erat fas vltra sextum mensem retinere. *L. 2. §. 18. b.* Et his Dictatoribus magistri equitum iniungebantur, sic, quomodo regibus tribuni celerum, quod officium fere tale erat, quale hodie praefectorum praetorio, magistratus tamen habebantur (legitimi). *L. 2. §. 19. b.* Iisdem temporibus, cum plebs a patribus secessisset, anno fere decimo septimo post reges exactos, tribunos sibi in monte sacro creavit, qui essent plebei magistratus, dicti tribuni, quod olim in tres partes populus diuisus erat, et ex singulis singuli creabantur: vel qui a tribuum suffragio creabantur. *L. 2. §. 20. b.* Itemque, vt essent, qui aedibus praessent, in quibus omnia scita (sua) plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt, qui etiam aediles appellati sunt. *L. 2. §. 21. b.* Deinde, cum aerarium populi auctius esse coepisset, vt essent, qui illi praessent, constituti sunt quaestores, (qui pecuniae praessent) dicti ab eo, quod inquirendae et conseruandae pecuniae causa creati erant. *L. 2. §. 22. b.* Et quia, vt diximus, de capite ciuis Romani iniussu populi non erat lege permiffum Consulibus ius dicere, propterea quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praessent: hi appellabantur quaestores parricidii, quorum etiam meminit Lex XII. Tabb. *L. 2. §. 23. b.* Et cum placuisset leges quoque ferri, latum est ad populum, vti omnes magistratus se abdicarent, quo decemviri constituti anno vno, cum magistratum prorogarent sibi, et cum iniuriose tractarent, neque vellent deinceps sufficere magistratibus, vt ipsi et factio sua perpetuo rempublicam occupatam retinerent, nimia atque aspera dominatione eo rem perduxerant, vt exercitus a republica secederet. Initium secessionis fuisse dicitur Verginius quidam, qui cum animaduertisset Appium Claudium contra ius, quod ipse ex vetere iure in XII. Tabulas transtulerat, vindicias filiae suae a se abdixisse, et secundum eum, qui in seruitutem ab eo suppositus petierat, dixisse, captumque amore virginis omne fas ac nefas miscuisse: indignatus, quod vetustissima iuris obseruantia in persona filiae suae defecisset: vtpote cum Brutus, qui primus Romae Consul fuit, vindicias secundum libertatem dixisset in persona Vindicis, Vitelliorum serui, qui prodicionis coniurationem indicio suo detexerat: et castitatem filiae vitae quoque eius praefendam putaret, accepto cultro de taberna Ianionis filiam interfecit: in hoc scilicet, vt morte virginis contumeliam stupri arceret. Ac protinus recens a caede madenteque adhuc filiae cruore ad commilitones confugit, qui vniuersi de Alcido, vbi tunc belli gerendi causa legiones erant, relictis ducibus pristinis signa in Auentinum transtulerunt, omnisque plebs vrbana mox eodem se contulit (populique consensu partim in carcere necati). Ita rursus respublica suum statum recepit. *L. 2. §. 24. b.* (Hic §. penitus turbatus e Liuii Historiis L. 3. in ordinem redigendus). Deinde

§. 19.

§. 20.

§. 21.

§. 22.

§. 23.

§. 24.

§. 25.

F

- de cum post aliquot annos, quam duodecim tabulae latae sunt, et plebs contenderet cum patribus, et vellet ex suo quoque corpore consules creare, et patres recusarent: factum est, ut tribuni militum crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus consulari potestate: hique constituti sunt vario numero: interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores. *L. 2. §. 25. h.* Deinde, cum placuisset creari etiam ex plebe consules, coeperunt ex utroque corpore constitui. Tunc ut aliquo pluris patres haberent, placuit duos ex numero patrum constitui: ita facti sunt aediles curules. *L. 2. §. 26. h.*
- §. 27. Cumque Consules auocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in ciuitate ius reddere posset, factum est, ut praetor quoque crearetur, qui vrbanus appellatus est, quod in vrbe ius redderet. *L. 2. §. 27.* Post aliquot deinde annos, non sufficiente eo praetore, quod multa turba etiam peregrinorum in ciuitatem veniret, creatus est et alius Praetor, qui peregrinus appellatus est, ab eo, quod plerumque inter peregrinos ius dicebat. *L. 2. §. 28. h.* Deinde cum esset necessarius magistratus, qui hastae praefesset, decemviri in litibus iudicandis sunt constituti. *L. 2. §. 29.* (De hoc loco vide RAEVARDVM: *Protribunal. cap. 19.* SVETONIUS *in Augusto: c. 36.*) Eodem tempore et quatuor viri, qui curam viarum gererent, et triumviri monetales, aeris, argenti, auriflores, et triumviri capitales, qui carceris custodiam haberent; ut cum animaduerti oporteret, interuentu eorum fieret. *L. 2. §. 30. h.*
- §. 31. Et quia magistratibus vespertinis temporibus in publico esse inconueniens erat, quinque viri constituti sunt cis Tiberim et vltis Tiberim, qui possint pro magistratibus fungi. *L. 2. §. 31. h.* Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensi prouincia, totidem praetores, quot prouinciae in ditionem venerant, creati sunt, partim qui vrbanis rebus, partim, qui prouincialibus praefessent. Deinde Cornelius Sylla quaestiones publicas constituit, veluti de falso, de parricidio, de ficariis; et praetores quatuor adiecit. Deinde Caius Iulius Caesar duos praetores et duos aediles, qui frumento praefessent, et a Cerere Cereales, constituit. Ita duodecim praetores, sex aediles sunt creati. Diuus deinde Augustus sedecim praetores constituit. Post deinde Diuus Claudius duos praetores adiecit, qui de fideicommissis ius dicerent, ex quibus vnum Diuus Titus detraxit, et adiecit Diuus Nerua, qui inter fiscum et priuatos ius diceret: ita decem et octo praetores in ciuitate ius dicunt. *L. 2. §. 32. h.* Et haec omnia, quotiens in republica sunt magistratus, obseruantur: quotiens autem proficiscuntur, vnus relinquitur, qui ius dicat; is vocatur praefectus vrbi: qui praefectus olim constituebatur, postea vero Latinarum feriarum causa introductus est, et quotannis obseruatur. Nam praefectus annonae et vigilum non sunt magistratus, sed extra ordinem vtilitatis causa constituti sunt. Et tamen hi, quos Cistiberes diximus, postea aediles Senatus-

natus consulto creabantur. *L. 2. §. 33. b.* Ergo ex his omnibus decem §. 34.
tribuni plebis, consules duo, decem et octo praetores, sex aediles in
ciuitate iura reddebant. *L. 2. §. 34. b.* Iuris ciuiliſ scientiam plurimi §. 35.
et maximi viri profefſi ſunt: ſed qui eorum maximae dignationis apud
populum Romanum fuerunt, eorum in praefentia mentio habenda eſt,
vt appareat, a quibus et qualibus haec iura orta et tradita ſunt. Et qui-
dem ex omnibus, qui ſcientiam naſti ſunt, ante Tiberium Corunca-
nium publice profefſum neminem, traditur: caeteri vero ad hunc vel
in latenti ius ciuile retinere cogitabant, ſolumque conſultatoribus (va-
care) potius, quam diſcere volentibus ſe praefabant. *L. 2. §. 35. b.*
Fuit autem inprimis peritus Publius Papirius, qui leges regias in vnum §. 36.
contulit. Ab hoc Appius Claudius, vnus ex decemuiris, cuius maxi-
mum conſilium in duodecim tabulis ſcribendis fuit. Poſt hunc Ap-
pius Claudius eiſdem generis maximam ſcientiam habuit: hic Cen-
temmanus appellatus eſt, Appiam viam ſtrauit et aquam Claudiã in-
duxit, et de Pyrrho in vrbe non recipiendo ſententiam tulit: hunc et-
iam actiones ſcripſiſſe, traditum eſt, primum de vſucapionibus, qui
liber non extat. Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc proces-
ſiſſe, R literam inuenit, vt pro Valeſii Valerii eſſent, et pro Fuliiſ Fu-
riiſ. *L. 2. §. 36. b.* Fuit poſt eos maximae ſcientiae Sempronius, quem §. 37.
populus Romanus σοφόν, id eſt ſapientem appellauit, nec quiſquam an-
te hunc aut poſt hunc hoc nomine cognominatus eſt. Caius Scipio
Nafica, qui Optimus a Senatu appellatus eſt, cui etiam publice domus
in ſacra via data eſt, quo facilius conſuli poſſet. Deinde Quintus Mu-
tius, qui ad Carthaginenſes miſſus legatus, cum eſſent duae teſſerae
poſitae, vna pacis altera belli, arbitrio ſibi dato vtram vellet referre Ro-
mam, vtramque ſuſtulit, et ait, Carthaginenſes petere debere, vtram
mallent, accipere. *L. 2. §. 37. b.* Poſt hos fuit Tiberius Coruncanius, §. 38.
vt dixi, qui primus profiteri coepit: cuius tamen ſcriptum nullum ex-
tat, ſed reſponſa complura et memorabilia eiſ fuerunt. Deinde Sex-
tus Aelius et frater eiſ Publius Aelius et Publius Attilius maximam
ſcientiam in profitendo habuerunt, vt duo Aelii etiam Conſules fuerint:
Attilius autem primus a populo ſapiens appellatus eſt. Sextum Aelium
etiam Ennius laudauit, et extat illiſ liber, qui inſcribitur Tripertita:
qui liber veluti cunabula iuris continet. Tripertita autem dicitur,
quoniam lege duodecim Tabularum praepoſita, iungitur interpretatio,
dein ſubtextitur legis actio. Eiſdem eſſe tres alii libri referuntur,
quos tamen quidam negant eiſdem eſſe. Hos ſectatus ad aliquid eſt
(Cato. Deinde) Marcus Cato princeps Porciae familiae, cuiſ et li-
bri extant: ſed plurimi filii eiſ, ex quibus caeteri oriuntur. *L. 2. §. 38. b.*
Poſt hos fuerunt Publius Mutius, et Brutus et Manilius, qui fundauerunt §. 39.
iuſ ciuile: ex hiſ Publius Mutius etiam decem libellos reliquit: Brutus
ſeptem, Manilius tres: et extant volumina ſcripta, Manilii monumenta.

- de cum post aliquot annos, quam duodecim tabulae latae sunt, et plebs contenderet cum patribus, et vellet ex suo quoque corpore consules creare, et patres recusarent: factum est, ut tribuni militum crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus consulari potestate: hique constituti sunt vario numero: interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores. *L. 2. §. 25. b.* Deinde, cum placuisset creari etiam ex plebe consules, coeperunt ex utroque corpore constitui. Tunc ut aliquo pluris patres haberent, placuit duos ex numero patrum constitui: ita facti sunt aediles curules. *L. 2. §. 26. b.*
- §. 27. Cumque Consules auocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in ciuitate ius reddere posset, factum est, ut praetor quoque crearetur, qui urbanus appellatus est, quod in vrbe ius redderet. *L. 2. §. 27.* Post aliquot deinde annos, non sufficiente eo praetore, quod multa turba etiam peregrinorum in ciuitatem veniret, creatus est et alius Praetor, qui peregrinus appellatus est, ab eo, quod plerumque inter peregrinos ius dicebat. *L. 2. §. 28. b.* Deinde cum esset necessarius magistratus, qui hastae praeesset, decemviri in litibus iudicandis sunt constituti. *L. 2. §. 29.* (De hoc loco vide *RAEVARDV M: Protribunal. cap. 19. SVETONIVS in Augusto: c. 36.*) Eodem tempore et quatuor viri, qui curam viarum gererent, et triumviri monetales, aeris, argenti, auriflatores, et triumviri capitales, qui carceris custodiam haberent; ut cum animaduerti oporteret, interuentu eorum fieret. *L. 2. §. 30. b.*
- §. 31. Et quia magistratibus vespertinis temporibus in publico esse inconueniens erat, quinque viri constituti sunt cis Tiberim et vltis Tiberim, qui possint pro magistratibus fungi. *L. 2. §. 31. b.* Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensi prouincia, totidem praetores, quot prouinciae in ditionem venerant, creati sunt, partim qui urbanis rebus, partim, qui prouincialibus praeesent. Deinde Cornelius Sylla quaestiones publicas constituit, veluti de falso, de parricidio, de ficariis; et praetores quatuor adiecit. Deinde Caius Iulius Caesar duos praetores et duos aediles, qui frumento praeesent, et a Cerere Cereales, constituit. Ita duodecim praetores, sex aediles sunt creati. Diuus deinde Augustus sedecim praetores constituit. Post deinde Diuus Claudius duos praetores adiecit, qui de fideicommissis ius dicerent, ex quibus vnum Diuus Titus detraxit, et adiecit Diuus Nerua, qui inter fiscum et priuatos ius diceret: ita decem et octo praetores in ciuitate ius dicunt. *L. 2. §. 32. b.* Et haec omnia, quotiens in republica sunt magistratus, obseruantur: quotiens autem proficiscuntur, vnus relinquitur, qui ius dicat; is vocatur praefectus vrbi: qui praefectus olim constituebatur, postea vero Latinarum feriarum causa introductus est, et quotannis obseruatur. Nam praefectus annonae et vigilum non sunt magistratus, sed extra ordinem vtilitatis causa constituti sunt. Et tamen hi, quos Cistiberes diximus, postea aediles Senatus-

natus consulto creabantur. *L. 2. §. 33. b.* Ergo ex his omnibus decem tribuni plebis, consules duo, decem et octo praetores, sex aediles in ciuitate iura reddebant. *L. 2. §. 34. b.* Iuris ciuili scientiam plurimi et maximi viri professi sunt: sed qui eorum maximae dignationis apud populum Romanum fuerunt, eorum in praesentia mentio habenda est, ut appareat, a quibus et qualibus haec iura orta et tradita sunt. Et quidem ex omnibus, qui scientiam nacti sunt, ante Tiberium Coruncanium publice professum neminem, traditur: caeteri vero, ad hunc vel in latenti ius ciuile retinere cogitabant, solumque consultatoribus (vacare) potius, quam discere volentibus se praestabant. *L. 2. §. 35. b.* Fuit autem in primis peritus Publius Papirius, qui leges regias in vnum contulit. Ab hoc Appius Claudius, vnus ex decemuiris, cuius maximum consilium in duodecim tabulis scribendis fuit. Post hunc Appius Claudius eiusdem generis maximam scientiam habuit: hic Centemmanus appellatus est, Appiam viam strauit et aquam Claudiam induxit, et de Pyrrho in vrbe non recipiendo sententiam tulit: hunc etiam actiones scripsisse, traditum est, primum de vfucapionibus, qui liber non extat. Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc processisse, R literam inuenit, ut pro Valesii Valerii essent, et pro Fuliiis Furiis. *L. 2. §. 36. b.* Fuit post eos maximae scientiae Sempronius, quem populus Romanus σοφὸν, id est sapientem appellauit, nec quisquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatus est. Caius Scipio Nasica, qui Optimus a Senatu appellatus est, cui etiam publice domus in sacra via data est, quo facilius consuli posset. Deinde Quintus Mutius, qui ad Carthaginenses missus legatus, cum essent duae tesseræ positæ, vna pacis altera belli, arbitrio sibi dato vtram vellet referre Romanam, vtramque sustulit, et ait, Carthaginenses petere debere, vtram mallent, accipere. *L. 2. §. 37. b.* Post hos fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi, qui primus profiteri coepit: cuius tamen scriptum nullum extat, sed responsa complura et memorabilia eius fuerunt. Deinde Sextus Aelius et frater eius Publius Aelius et Publius Attilius maximam scientiam in profitendo habuerunt, ut duo Aelii etiam Consules fuerint: Attilius autem primus a populo sapiens appellatus est. Sextum Aelium etiam Ennius laudauit, et extat illius liber, qui inscribitur Tripertita: qui liber veluti cunabula iuris continet. Tripertita autem dicitur, quoniam lege duodecim Tabularum praeposita, iungitur interpretatio, dein subtextitur legis actio. Eiusdem esse tres alii libri referuntur, quos tamen quidam negant eiusdem esse. Hos sectatus ad aliquid est (Cato. Deinde) Marcus Cato princeps Porciae familiae, cuius et libri extant: sed plurimi filii eius, ex quibus caeteri oriuntur. *L. 2. §. 38. b.* Post hos fuerunt Publius Mutius, et Brutus et Manilius, qui fundauerunt ius ciuile: ex his Publius Mutius etiam decem libellos reliquit: Brutus septem, Manilius tres: et extant volumina scripta, Manilii monumenta.

§. 34.

§. 35.

§. 36.

§. 37.

§. 38.

§. 39.

- §. 40. Illi duo consulares fuerunt, Brutus praetorius, Publius autem Mutius etiam pontifex maximus. *L. 2. §. 39. b.* Ab his profecti sunt Publius Rutilius Rufus, qui Romae Consul et Asiae proconsul fuit: Paulus Verginius et Quintus Tubero, ille Stoicus, Pansa auditor, qui et ipse Consul: etiam Sextus Pompeius, Cnei Pompeii patruus fuit eodem tempore: et Caelius Antipater, qui historias conscripsit: sed plus eloquentiae, quam scientiae iuris operam dedit: etiam Lucius Crassus frater Publii Mutii, qui Mutianus dictus est: hunc Cicero ait Iuriconsultorum disertissimum. *L. 2. §. 40. b.*
- §. 41. Post hos Quintus Mutius, Publii filius, pontifex maximus, ius civile primum constituit, generatim in libros decem et octo redigendo. *L. 2. §. 41. b.*
- §. 42. Mutii auditores fuerunt complures, sed praecipuae auctoritatis Aquilius Gallus, Balbus Lucilius, Sextus Papirius, Caius Iuuentius: ex quibus Gallum maximae auctoritatis apud populum fuisse, Seruius dicit. Omnes tamen hi a Seruio Sulpicio nominantur. Alioquin per se eorum scripta non talia extant, ut ea omnes adpetant: denique nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum: sed Seruius libros suos compleuit: pro cuius scriptura ipsorum quoque memoria habetur. *L. 2. §. 42. b.*
- §. 43. Seruius, cum in causis orandis primum locum, aut pro certo post Marcum Tullium obtineret, traditur ad consulendum Quintum Mutium de re amici sui peruenisse: cumque eum sibi respondisse de iure Seruius parum intellexisset, iterum Quintum interrogasse, et a Quinto Mutio responsum esse, nec tamen percepisse: et ita obiurgatum esse a Quinto Mutio. Namque cum dixisse, turpe esse patricio, et nobili, et causas oranti ius, in quo versaretur, ignorare. Ea velut contumelia Seruius tractus operam dedit iuri civili, et plurimum eos, de quibus locuti sumus, audiit, institutus a Balbo Lucilio, instructus autem maxime a Gallo Aquilio, qui fuit Cercinae. Itaque libri complures eius extant Cercinae confecti. Hic cum in legatione perisset, statua ei populus Romanus pro Rostris posuit: et hodieque extat pro Rostris Augusti. Huius volumina complura extant: reliquit autem prope centum et octoginta libros. *L. 2. §. 43. b.*
- §. 44. Ab hoc plurimi profecerunt, fere tamen hi libros conscripserunt: Aenus Varus, Caius Aulus Ofilius, Titus Caesius, Aufidius Tuca, Aufidius Namusa, Flavius Priscus, Caius Ateius Pacuius, Labeo Antistius Labeonis Antistii pater, Cinna, Publius Gellius. Ex his decem, libros octo conscripserunt, quorum omnes qui fuerunt, libri digesti sunt ab Aufidio Namusa in centum quadraginta libros. Ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus et Aulus Ofilius, ex quibus Varus et consul fuit, Ofilius in equestri ordine perseveravit: is fuit Caesari familiarissimus, et libros de iure civili plurimos, et qui omnem partem operis fundarent, reliquit: nam de legibus vicensimae primus conscripsit de Iurisdictione: idem edictum praetoris diligenter composuit: nam ante eum Seruius duos libros

bro ad Brutum perquam breuissimos ad edictum subscriptos reliquit. *L. 2. §. 44. b.* Fuit eodem tempore et Trebatius, qui idem Cornelii Maximi auditor: fuit Aulus Cascelius, Quintus Mutius Volusii auditor: denique in illius honorem testamento Publium Mutium nepotem eius reliquit haerodem. Fuit autem quaestorius, nec ultra proficere voluit, cum illi etiam Augustus consulatum offerret. Ex his Trebatius peritior Cascelio, Cascelius Trebatio eloquentior fuisse dicitur, Ofilius vtroque doctior. Cascelii scripta non extant, nisi vnus liber Benedictorum, Trebatii complures, sed minus frequentantur. *L. 2. §. 45. b.* Post hoc quoque Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit: fuit autem patricius et transit a causis agendis ad ius ciuile, maxime, postquam Quintum Ligarium accusauit, nec obtinuit apud Caium Caesarem. Is et Quintus Ligarius, qui cum Africae oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permisit, nec aquam haurire; quo nomine eum accusauit, et Cicero defendit. Extat eius oratio (satis) pulcherrima, quae inscribitur, pro Quinto Ligario. Tubero doctissimus quidem habitus est iuris publici et priuati, et complures vtriusque operis libros reliquit: sermone etiam antiquo vsus affectauit scribere: et ideo parum libri eius grati habentur. *L. 2. §. 46. b.* Post hunc maximae auctoritatis fuerunt Ateius Capito, qui Ofilium secutus est, et Antistius Labeo, qui omnes hos audiuit: institutus autem est a Trebatio. Ex his Ateius Consul fuit: Labeo noluit, cum offerretur ei ab Augusto Consulatus, quo susceptus fieret, (et) honorem suscipere, sed plurimum studii operam dedit: et totum annum ita diuiserat, vt Romae sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus secederet, et conscribendis libris operam daret. Itaque reliquit quadringenta volumina, ex quibus plurima inter manus versantur. Hi duo primum veluti diuersas sectas fecerunt: nam Ateius Capito in his, quae ei tradita fuerunt, perseuerabat: Labeo ingenii qualitate et fiducia doctrinae, qui et caeteris operis sapientiae operam dederat, plurima innouare instituit: et ita Ateio Capitoni Massurius Sabinus successit, Labeoni Nerua, adhuc eas diffensiones auxerunt. (Hic etiam) Nerua Caesari familiarissimus fuit. Massurius Sabinus in equestri ordine fuit, et publice primus scripsit. Posteaque hoc coepit beneficium (dari) a Tiberio Caesare, hoc tamen illi concessum erat. Et obiter sciamus, ante tempora Augusti publice respondendi ius non a principibus dabatur: sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant, neque responsa vtique signata dabant. Sed plerumque iudicibus ipsi scribebant, aut testabantur, qui illos consulebant. Primus Diuus Augustus, vt maior iuris auctoritas haberetur, constituit, vt ex auctoritate eius responderent: et ex illo tempore peti hoc pro beneficio coepit. Et ideo optimus Princeps Hadrianus, cum ab eo viri praetorii peterent, vt sibi liceret respondere, rescripsit eis, hoc non peti, sed praestari solere: et ideo, si quis fiduciam

§. 45.

§. 46.

§. 47.

ciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum praepararet. (Si licet, vt *delectare* faciam frequentatiuum a *deligere*, sensus prodibit: *si quis fiduciam sui haberet, deligi se, se populo ad respondendum, praepararet.*) Ergo Sabino concessum est a Tiberio Caesare, vt populo responderet: qui in equestri ordine iam grandis natu et fere annorum quinquaginta receptus est. Huic nec amplae facultates fuerant, sed plerumque a suis auditoribus sustentatus est. Huic successit Caius Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quae fuit neptis Seruii Sulpitii, et ita proauum suum Seruium Sulpitium appellat. Hic consul fuit cum Quartino temporibus Tiberii, sed plurimum in ciuitate auctoritatis habuit, eo vsque donec eum Caesar ciuitate pelleret: expulsus ab eo in Sardiniam, reuocatus a Vespasiano, diem suum obiit. Neruae successit Proculus: fuit eodem tempore et Nerua filius: fuit et alius Longinus, ex equestri quidem ordine, qui postea ad praeturam vsque peruenit: sed Proculi auctoritas maior fuit: nam etiam plurimum potuit: appellatique sunt partim Cassiani, partim Proculeiani: quae origo a Capitone et Labeone coeperat. Cassio Caelius Sabinus successit, qui plurimum temporibus Vespasiani potuit: Proculo Pegafus, qui temporibus Vespasiani praefectus vrbis fuit: Caelio Sabino Priscus Iauolenus, Pegafus Celsus, patri Celso Celsus filius, et Priscus Neratius, qui vtrique Consules fuerunt, Celsus quidem et iterum. Iauoleno Prisco Aburnus Valens et Tuscianus, idem Saluius Iulianus. *L. 2. §. 47. b.*

A N N O T A T I O.

3. Integram hanc legem secundam Triboniani, fraudibus addicit HOTO-MANNVS in Anti Triboniano, qui Cap. 12. *Nihil, inquit, in hac lege nisi fabular et deliria Triboniani esse patet: suppositamque sub falso nomine Pomponii.* HEINECCIUS in praefatione Historiae iuris, editione secunda, hoc fragmentum *vbique luxatum mutilatumque* deprehendit. WISSENACHIVS in (§. 7) huius legis emblema Triboniani offendit. CUIACIVS in commentario ad eandem legem quaedam scribis vel notarum ambiguitati tribuit: pleraque excusat.



DE

LEGIBVS, SENATVSQVE CONSULTIS
ET LONGA CONSVETVDINE.

TITVLVS III.

DEFINITIO.

1. Lex est commune praeceptum, virorum prudentium consultum: delictorum, quae sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio, communis reipublicae sponso. *L. 1. b.* *Papinianus L. 2. Defin. L. 1.*

ANNOTATIO.

2. Lex est *commune praeceptum*: ita distinguitur a privilegio. **ATEIVS CAPITO** legem definit: quod sit *generale iussum populi aut plebis, rogante magistratu*. Quae definitio speciem iuris melius determinat. Per dicta placitum de imperio Pompeii, aut de reditu Ciceronis privilegium esse, non legem, ostenditur apud **GELLIVM L. 10. c. 20.** Porro, lex est *virorum prudentium consultum*. Viri prudentes magistratus sunt, ut Praetor, Dictator, &c. quibus consultum videbatur, legem ad populum ferri, Populus autem suffragiis suis legem adprobare debebat. Nam ea tum temporis fuit civium Romanorum libertas, ut nemo sine suo consensu iure aliquo externo teneretur. Quare magistratus legem ferens populum rogabat: *Velitis iubeatis Quirites: populus suffragiis spondebat*: hinc in textu lex dicitur *communis reipublicae sponso*. Ordo legis ferendae fere hic fuit. Legislator domi ex consilio amicorum et iurisperitorum legem conscribat, adiecta clausula: *Vt si quid ius non esset rogati, ne esset rogatum: et si quid contra alias leges eius legis ergo latum esset, ut ei, qui eam legem rogasset, impune esset.* **CICERO L. 3. Epist. ad Atticum.** Ferebatur deinde ad populum, id est, pro Rostris proponebatur a legislatore noua lex per trinundinum: excipiebatur per scribas: postea pro rostris tam pro lege quam contra legem orationes habebantur, quibus lex reipublicae vel utilis vel periculosa et damnosa populo ostendebatur. Post tertias nundinas, id est 27 dies, conuocabatur populus in campum Martium: praeco denuo recitabat legem: conuociebantur in sitellam nonnina tribuum vel centuriarum: fiebat sortitio de ordine, quod ad suffragia irent: et in curiatis quidem comitiis prima per sortem curia *principium*, in centuriatis *praerogatiua* nominabatur. Interdum tamen Consules exiuebant diem, vel augures triste quidquam obnunciabant: tum ergo cum populo agere non licebat. Caeteroquin in tribus, &c. discedebant ciues, tabellae suffragiorum ministrabantur siue diribebantur. Tabellarum vna signata erat *V. R. uti rogas*: altera *A. antiquo*. Positi erant pontes siue ponticuli, qui erant tabulae oblongae pro numero tribuum vel centuriarum: in extremo ponticulorum positae erant cistae, in quarum vna suffragia colligebantur, reiecta altera tabella in alteram cistam. Demum suffragia secernebantur, siue dirimebantur atque dinu-

meria-

merabantur : cognoscebatur tribuum vel centuriarum iussus plurimaeque vota, atque numerus maior a praecone renunciabatur : si scita erat lex, tabulis aeneis incisa in publico suspendebatur.

A N N O T A T I O.

Marcianus L.
1. Inst. L. 2.

3. Nam et Demosthenes orator sic definit : Τέτο ἐστὶν νόμος ὃ πάντας ἀνθρώπους προσήκει πειθεσθαι διὰ πολλὰ, καὶ μάλιστα ὅτι πᾶς ἐστὶν νόμος ἔννομα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονιμῶν, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἐκβασίων καὶ ἀκυσίων ἀμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινή, καθ' ἣν ἅπανσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει. Id est : Lex est, cui omnes obtemperare conuenit, tum ob alià multa, tum vel maxime eo, quod omnis lex inuentum ac munus Dei est : decretum vero prudentium hominum, coërcitio eorum, quae sponte vel inuoluntarie delinquuntur, communis sponso ciuitatis, ad cuius praescriptum omnes, qui in republica sunt, vitam instituere debent. Sed et Philosophus summae Stoicae sapientiae Chrysippus sic incipit libro, quem fecit περὶ νόμου. Νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς, θεῶν τὲ καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων δεῖ δὲ αὐτὸν προσάτην τε εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχυρῶν, καὶ ἀρχοντα καὶ ἡγεμόνα καὶ κατὰ τῆτο κανόνα τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζῶων προσητικὸν μὲν ὧν ποιητέον ἀπαγορεύτικόν δὲ ὧν ἐπιποιητέον. Id est : Lex est omnium diuinarum et humanarum rerum regina. Oportet autem eam esse praesidem et bonis et malis, et principem et ducem esse : et secundum hoc regulam esse et iustorum et iniustorum, et eorum, quae natura ciuilia sunt, animantium : praeceptricem quidem faciendorum, prohibetricem autem non faciendorum. L. 2. b.

R E G V L A.

Pomponius L.
25. ad Sab. L. 3.
Celsus. L. 5.
Dig. L. 4.
Idem. L. 17.
Dig. L. 5.
Paulus L. 17.
ad Plaut. L. 6.

4. Iura constitui oportet, vt dixit Theophrastus, in his quae ἐπὶ τὸ πλεῖστον, id est : vt plurimum accidunt : non quae ἐκ παραλόγου, id est : ex inopinato. L. 3. b. Ex his, quae forte vno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur. L. 4. b. Nam ad ea potius debet aptari ius, quae et frequenter et facile, quam quae perraro eueniunt. L. 5. b. Τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δις : id est : quod semel aut bis existit : vt ait Theophrastus, παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται. id est : praetereunt legislatores. L. 6. b.

A N N O T A T I O.

5. Eo forte respexit Solon, qui de patricida legem non condidit, quoniam non crediderat, quenquam tale facinus patraturum. Haec tamen lege non vacant, quoniam ratio legum ad ea extenditur. (§. 12)

A N N O T A T I O.

Modestinus L.
1. Reg. L. 7.

6. Legis virtus (haec) est : imperare, vetare, permittere, punire. L. 7. b.

A R G V M E N T V M.

Vlpianus L. 3.
ad Sab. L. 8.

7. Iura (leges) non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. L. 8. b. (§. 3)

DEFINITIO.

8. Senatus consultum est ius vniuersale, quo senatus vice populi consulens aliquid statuit faciendum.

ARGUMENTVM.

9. Non ambigitur, senatum ius facere posse. *L. 9. b. (§. 8) (L. 1. Id. L. 16. ad Ed. tit. 2. §. 2.)* *L. 9.*

ANNOTATIO.

10. Neque leges, neque senatus consulta ita scribi possunt, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: sed sufficit (et) ea, quae plerumque accidunt, contineri. *L. 10. b.* *Iul. L. 59. Dig. L. 10.*

ARGUMENTVM.

11. Et ideo de his, quae primo (de consultis tantum) constituuntur, aut interpretatione (extensiuua vel restrictiuua ad casum inopinato emergentem, aut per circumstantias variatum) aut constitutione optimi principis certius statuendum est. *L. 11. b. (L. 1. tit. 1. §. 233)* *Id. L. 90. Dig. L. 11.*

ARGUMENTVM.

12. Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus aut senatus consultis comprehendi: sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, (praeter verba) is qui iurisdictioni praeeft, (praetor vel alius magistratus: non iudex pedaneus) ad similia procedere, atque ita ius dicere debet. *L. 12. b. (L. 1. tit. 1. §. 246)* Nam, vt ait Pedius, quotiens lege aliquid vnum vel alterum introductum est, bona occasio est, caetera, quae tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certe iurisdictione supplere. *L. 13. b. (L. 1. tit. 1. §. 323)* *Id. L. 5. Dig. L. 12.* *Vlp. L. 1. ad ed. aedil. cur. L. 13.*

ARGUMENTVM.

13. Quod vero contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. *L. 14. b. (L. 1. tit. 1. §. 243)* *Paulus L. 54. ad ed. L. 14.*

DEFINITIO.

14. Regula iuris est positio generalis de rebus vel factis eiusdem generis, eodem signo notatis, sub idem ius cadentibus.

DEFINITIO.

15. Ius singulare est statutum ob rationem boni particularem exceptum ab vniuersali.

ARGUMENTVM.

16. In his, quae contra rationem iuris constituta sunt, non possumus sequi regulam iuris. *L. 15. b.* sunt enim exceptiones a regula (§. 14. 15) *Iul. L. 27. Dig. L. 15.*

ANNOTATIO.

17. Ius singulare est, quod contra tenorem rationis (vniuersalis) propter aliquam vtilitatem (particularem) auctoritate constituentium introductum est. *L. 16. b. (§. 15)* *Paul. L. sing. de I. sing. L. 16.*

ANNOTATIO.

18. Scire leges non (hoc) est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. *L. 17. b.* *Celsus L. 26. Dig. L. 17.*

ARGUMENTVM.

Cels. L. 29. Dig. L. 18. 19. Benignius leges interpretandae sunt, quo voluntas (finis) earum conseruetur. *L. 18. b.* (L. I. tit. I. §. 316)

ARGUMENTVM.

Id. L. 33. Dig. L. 19. 20. In ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio, quae vitio caret: praesertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit. *L. 19. b.* (L. I. tit. I. §. 249)

OBSERVATIO.

Iulianus L. 55. Dig. L. 20. 21. Non omnium, quae a maioribus constituta sunt, ratio reddi potest. *L. 20. b.* Hoc de ratione ciuili intelligendum, non de naturali aut ea, quae per iustam consequentiam ex ipsis rerum argumentis erui potest. Aliarum legum vel morum rationes vetustate obliterari potuerunt: ita nascitur, cur Lacedaemone Ephori statim inuito magistratu edixerint, ne mystacem quis alat. *PLVTARCHVS: de his, qui fero a numine puniuntur.*

ARGUMENTVM.

Neratius L. 6. Membran. L. 21. 22. Et ideo rationes eorum, quae constituuntur, inquiri non oportet: alioquin multa ex his, quae certa sunt, subuertuntur. *L. 21. b.* (§. 21)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 35. ad Ed. L. 22. 23. Cum lex in praeteritum quid indulget (condonat) in futurum vetat. *L. 22. b.* Sic enim interpretatio congruit condonationi, quae factum quidem non punit, tamen improbat, quia poenam remittit. (L. I. tit. I. §. 237) *SVETONIVS in Domitiano c. 9. Scribae quaestoris negotiationes ex consuetudine, sed contra Clodiam legem, venia in praeteritum donauit. Add. L. I. §. 1. ff. De fugitiuis.*

ARGUMENTVM.

Paul. L. 4. ad Plaur. L. 23. 24. Minime sunt mutanda (noua interpretatione) quae interpretationem certam semper habuerunt. *L. 23. b.* (L. I. tit. I. §. 234)

ARGUMENTVM.

Cels. L. 9. Dig. L. 24. 25. Inciuile est, nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere. *L. 24. b.* (L. I. tit. I. §. 248) (§. 18)

ARGUMENTVM.

Modestinus L. 8. Responf. L. 25. 26. Ciuitatis et proinde legum finis est salus publica et priuata. (L. I. tit. I. §. 316) ergo: Nulla iuris ratio aut aequitatis benignitas patitur, vt quae salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriora interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem. *L. 25. b.* (§. 19)

ARGUMENTVM.

Paulus L. 4. Quaest. L. 26. 27. Non est nouum, vt priores leges ad posteriores trahantur. *L. 26. b.* (L. I. tit. I. §. 248) Ita lex XII. Tabularum trahitur ad Legem Aquiliam, cum ambae simul consistere possint. *L. 2. §. 1. ff. de noxal. action.*

ANNOTATIO.

28. Oritur suspicio, legendum esse: *ad posteriores res:* per compendium enim

enim scribendi in Pandectis vsitatum forte scriptum extat: posteriores: maiusculis literis geminatam pronunciationem postulantibus. Coniectura iuuatur per textum sequentem.

ANNO TATIO.

29. Ideo, quia antiquiores leges ad posteriores (posteriores) trahi, vsitatum est: et semper hoc quasi legibus inesse credi oportet, vt ad eas quoque personas et ad eas res pertinerent, quae quandoque similes erunt. *L. 27. b.*

*Tertullianus
L. 7. Quaest.
L. 27.*

ARGVMENTVM.

30. Sed et posteriores leges ad priores pertinent: nisi contrariae sint: idque multis argumentis probatur. *L. 28. b.* (L. I. tit. I. §. 248) Sic lex Licinia ad legem Fanniam trahenda, et illius ex hac interpretatio petenda fuit. Docet enim de vtraque MACROBIVS L. 3. c. 17. *Lex vero haec paucis mutatis in plerisque cum Fannia congruit: in ea enim ferenda quaesita est nouae legis auctoritas, exolescente metu legis antiquioris: ita, hercules, vt de ipsis XII. tabulis factum est: quarum vbi contemni antiquitas coepit, eadem illa, quae illis legibus cauebantur, in alia latorum nomina transferunt.*

*Paul. L. 5. ad
L. Iul. et Papp.
L. 28.*

DEFINITIO.

31. Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem vero, qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit. *L. 29. b.*

*Id. L. fmg. ad
L. Cinciam.
L. 29.*

ANNO TATIO.

32. Fraus enim legi fit, vbi quod fieri noluit, fieri autem non vult, id fit. Et quod distat *ἐντὸν ἀπὸ διανομίας*, id est: dictum a sententia, hoc distat fraus ab eo, quod contra legem fit. *L. 30. b.* v. gr. Lex prohibet aratrum pignori capere; at vomerem cepi: prohibet lanam exportare, at oues cis limen abegi.

*Vlp. L. 4. ad
Edict.
L. 30.*

OBSERVATIO.

33. Princeps legibus solutus est. [Omniño ideo, ne potestas eius circumscribatur constituendi contra leges: cum alias legislatores cohibiti fuerint claufula: *vt si quid ius non esset rogati.* (§. 2)] Augusta autem, licet legibus soluta non est, principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quae ipsi habent. *L. 31. b.*

*Id. L. 13. ad L.
Iul. et Papp.
L. 31.*

ANNO TATIO.

34. Sequentes textus tractant de consuetudine, quam doctrinam aliquando disputatione publica genuinis suis fontibus restituere conatus sum. Quae legem non habent expressam, solam rationem potiore normam agnoscunt. Ast non omnes homines vel ciues hanc satis probe norunt: et si nouerint, interdum sequi recusant. Quod tamen plures obseruant, ratione recta et bene formata niti censetur. Hinc mos iudicium animi saniorum et sapientiorum ciuium dicitur, quod mereatur imitationem omnium, vt inde consuetudo oriatur. (L. I. tit. I. §. 332) Hoc sensu consuetudo nihil aliud est, quam *obseruantia similis et frequens actus eiusdem secundum rationem naturae vel publicae utilitatis, in ca-*

su a lege civili vacua: tum vero species iuris civilis non est in Monarchia. Secundum definitionem modo datam non nego, consuetudinem in Monarchia dari. Quodsi vero eam speciem iuris in eadem constituere adfirmes, in Monarchia consistere nequit. Repugnat enim sibi, seque mutuo evertit: vnum solum potestatem tenere, quod Monarchiae proprium est, et simul omnes. Dictis meis nonnemo meditationes suas opposuit, qui consuetudinem in Monarchia obtinere contendit. Defendi, consuetudinem qualicunque confirmatione Principis degenerare in constitutionem. Ergo rationes contrarias et palmarias negantes breuissime excutiamus: Prima est: *Quia accessorium sequitur naturam sui principalis:* ergo, confirmatio sequitur naturam consuetudinis, quae propterea in constitutionem non degeneret. Notanda hic est cauillatio vocis: *Accessorium:* Confirmatio ad usum accedit ordinaliter, ita vt oporteat, prius esse usum, deinde confirmationem: non autem integraliter, tanquam ad principale. Nam id quod essentiam tribuit rei, principale est: confirmatio essentiam legis vsui tribuit: ergo confirmatio est principale consuetudinis: ergo ad se trahit usum, quem in constitutionem degenerare oportet. In *Quaestione 3. §. 1.* Antagonista docet, id quod accedit, accidens esse: at in toto corpore iuris nullum accessorium inueniri memini, quod non prius per se subliterit. Concedam autem argumentum superius, quod contra aduersarium retorquere possum. Nam largitur, usum populi sine consensu principis legem non esse: *Quaest. 2. §. 6.* iam confirmatio sequitur, secundum ipsum, huius vsus naturam: ergo per ipsum Antagonistae argumentum vsus cum accessorio confirmationis non erit lex, vel ius, vel species iuris. Praesupponit autem contradicens generalem et antecedentem aliquem consensum, quantum ex citatae *quaestione 2. §. 6.* hariolari licet: quo iterum concesso, sequitur, quod consensus principis *generalis* seu vti vocat, *legalis* sit principale, tanquam prior, cuius naturam sequetur consuetudo populi, tanquam accessorium, vt inde demum fiat species legis. Cum ergo accessorium sequatur naturam principalis: *Quaest. 3. §. 1.* consuetudo fiet constitutio: et suo se iugulat gladio aduersarius. Ratio eius secunda haec est: *Quia princeps in eum finem confirmat consuetudinem, vt magis magisque valeat.* Quaeso, qui conciliari hoc potest cum eo, quod quaestione 2. §. 6. concedit: consuetudinem sine confirmatione legem non esse? Profecto, si consuetudo in Monarchia lex vere est, valor eius secundum maius minusque variare nequit. Premit contradicentem propria contradictio: consuetudinem aliquid valere, et eandem nihil valere ante confirmationem. Tertia ratio est: *Quod confirmans actum, nihil innouet.* At ecce! consuetudinis actus magis magisque valent ex confirmatione: nonne augmentum valoris nouum quid est, quod prius non erat? Reliquis obiectionibus discutiendis lectori molestus esse nolo: sunt enim contentioris adhuc furfuris.

R E G V L A.

35. De quibus caussis, scriptis legibus non vtimur, id custodiri oportet, quod moribus et consuetudine inductum est: et si qua in re hoc deficeret (si nec consuetudo introducta sit) tunc quod proximum et

Julian. L. 94.
Dig.
L. 32.

et consequens ei est: (tunc obseruatur, quod iuri scripto vel moribus simile reperitur) si nec id quidem appareat, tunc ius, quod vrbs Roma vitur, seruari oportet. *L. 32. pr. b.*

ANNOTATIO.

36. Negari nequit ICtum de iure prouinciali vel municipali loqui. Romae enim ius Romanum in subsidium adhibere, absonum esset.

REGVLA.

37. Eiusdem causae sub iisdem circumstantiis, idem est effectus.

ARGVMENTVM.

38. Inueterata consuetudo pro lege non immerito custoditur: et hoc est ius, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsae leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptae sunt: (quis hic Monarchiam somniauerit?) merito et ea, quae sine vlllo scripto populus probauit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis? Quare rectissime etiam illud receptum est, vt leges non solum suffragio legislatoris (populi, cuius suffragiis lex fiebat: §. 2) sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogetur. *L. 32. §. 1. b. (L. 1. tit. 1. §. 153)*

§. I.

ANNOTATIO.

39. Diuturna consuetudo pro iure et lege, in his, quae non ex scripto descendunt, obseruari solet. *L. 33. b.*

Vlp. L. 1. de off. procons.

L. 33.

ARGVMENTVM.

40. Cum de consuetudine ciuitatis vel prouinciae confidere quis videtur: primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicte aliquando iudicio consuetudo firmata sit. *L. 34. b.* quia tum iudicio virorum prudentium probatus mos fuerit. (§. 34)

Id. L. 4. de off. proc.

L. 34.

ANNOTATIO.

41. En! Consuetudo proprie ciuitatibus municipalibus et prouinciis tribuitur. De his plerumque intelligi debent textus huius tituli. Nam quia suffragia non habebant, nec proprie legem habebant.

ANNOTATIO.

42. Sed et ea, quae longa consuetudine comprobata sunt, et per annos plurimos obseruata, velut tacita ciuium conuentio, non minus quam ea, quae scripta sunt iura, seruantur. *L. 35. b.* Immo magnae auctoritatis hoc ius habetur, quod in tantum comprobatum est, vt non fuerit necesse, scripto id comprehendere. *L. 36. b.*

Hermog. L. 1.

Epitom.

L. 35.

Paul. L. 7. ad

Sab.

L. 36.

ANNOTATIO.

43. Si de interpretatione legis quaeratur, inprimis inspiciendum est, quo iure ciuitas retro in eiusmodi casibus vsa fuisset: optima enim est legum interpretis consuetudo. *L. 37. b. (§. 24)* Nam Imperator noster Seuerus rescripsit, in ambiguitatibus, quae ex legibus profiscuntur, consuetudinem aut rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere. *L. 38. b.*

Callistratus

L. 1. Quaest.

L. 37.

Callistr. L. 1.

Qu.

L. 38.

ARGUMENTVM.

*Celsus L. 23.
Dig.
L. 39.*

44. Quod non ratione (recte erudita (§. 34) L. I. tit. I. §. 332) sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. *L. 39. b. (L. I. tit. I. §. 243)*

ANNOTATIO.

*Modest. L. 1.
Reg.
L. 42.*

45. Ergo omne ius aut consensus fecit (per suffragia civium (§. 2) aut necessitas constituit (Imperium Senatus et principum. Consules enim cum regia potestate creati sunt. *DIONYSIVS HAL. Rom. Antiqu. L. 4. c. 10.*) aut firmavit consuetudo. *L. 40. b.*

ANNOTATIO.

*Vlp. L. 2. Iust.
L. 41.*

46. Totum autem ius consistit aut in acquirendo, aut in conferuando, aut in minuendo. Aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cuiusque fiat: aut quemadmodum quis rem vel ius suum conferuet: aut quomodo alienet aut dimittat. *L. 41. b.*

DE

CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM.

TITVLVS IV.

OBSERVATIO.

I. In statu populari Reipublicae Romanae nihil firnum fuit, quod lege non fuerat firmatum. Ita Consules primi lege creati sunt. *DIONYSIVS HALIC. Rom. Antiqu. L. 4. c. 10.* Cum igitur Iunius Brutus sententiam dixisset, omnes eum laudarunt: et statim de futuris magistratibus consultantes, censuerunt Interregem prodendum Sp. Lucretium, patrem mulieris, quae sibi manus attulerat, et ab illo magistratus regia potestate praeditos, inquisitione in eorum vitam facta, creandos. Interrex certe plus non valuit, quam ipsi reges. At Romulus regis haec munia eximia esse iussit, ut Senatum cogeret, populumque conuocaret, primusque sententiam diceret: et quae pluribus visa fuissent, ea faceret. Plebi vero haec tria concessit: magistratus creare, leges sancire et de bello decernere. *DIONYSIVS HALIC. L. 2. c. 2.* Leges XII. Tab. lege receptae sunt. Hi decemviri leges scriptas tum ex Graecorum iure, tum ex suis moribus non scriptis in decem tabulas cuiuslibet cognoscendas proposuerunt: omnium priuatorum correctionem admittentes, et hoc agentes, ut leges scriptae omnibus placerent. Diuque in publico cum optimis quibusque viris de iis legibus consultarunt, eas accuratissime examinantes, ubi vero leges scriptae visae sunt satis bene habere, primum coacto Senatu, nemine amplius eas leges reprehendente, scutum de ipsis fecerunt. Deinde populo ad comitia centuriata conuocato, pontificibus, auguribus aliisque Sacerdotibus praesentibus, et re diuina ex eorum praescripto de more facta, centurias in suffragia miserunt. *DIONYS. HALIC. L. 10. c. 13.* Addatur *LIVIVS-L. 2.* Legem de consulum potestate dubio procul respexit Valerius apud *Liuium L. 34.* dum mentionem facit legis regiae simul cum ipsa

vibe

vrbe natae. Ne ergo tyranni vel reges redire viderentur, Imperatores imperium sibi lege deferri curarunt. DIO CASSIVS *Histor. L. 53.* postquam iura imperatoria recensuit addit: *Haec igitur singula, cum legibus fuerint stabilita in ea reipublicae institutione, qua penes populum est summa rerum, Imperatores cum ipsis nominibus sibi sumunt: ut nihil sibi a subditis non datum habere videantur.* Et porro: *quod ne videantur Imperatores ex potentia potius quam legibus habere, omnia, et quae in populari forma reipublicae multum valuerant, senatu populoque volentibus, ea cum ipsis muneribus in se recipiunt.* Referunt fragmentum legis regiae de imperio Vespasiani MARIVS SALOMONIVS in libello de Principatu L. 6. et GRAVINA de Romano Imperio L. 3. quod inter alia multa habet: *ut Vespasiani iussa rata sint, ac si populi iussu acta essent.* Fuit ergo lex quaedam regia, cuius forte Imperatori peculiaris, quamvis saltem in speciem et scenice lata. Comititia populi etiam habebantur, tamen nihil praeter voluntatem principis agebatur. DIO CASSIVS *L. 53.* Senatus-consulta fiebant, sed ad petitiones Caesaris per quaestorem propositas, cui parandum erat. Hinc prouerbiū: *Sic petis, ut Candidatus Caesaris.* BRISONIVS *Ant. L. 1. c. 16. 17.* Tiberius Comititia populo interdixerat: Caligula restituit: mox iterum sustulit. DIO CASS. *L. 59.*

ANNOTATIO.

2. Quod principi placuit, legis habet vigorem; utpote cum lege regia, quae de imperio eius lata est, populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem conferat. *L. 1. pr. b.* Quodcunque igitur Imperator per epistolam et subscriptionem (id est, de plano: *L. 9. §. 1. ff. De offic. proconsf.*) statuit, vel cognoscens decreuit, (ut in *L. 2. ff. De his qui sui*) vel de plano interlocutus est, vel edicto praecepit, legem esse constat. Haec sunt, quas vulgo constitutiones adpellamus. *L. 1. §. 1. b.*

Vlp. L. 1. Inst.
L. 1.
§. 1.

ANNOTATIO.

3. Quid sit cognoscendo statuere, et de plano interloqui, explicabitur infra (*L. 1. tit. 10. et L. 3. tit. 5.*) Exemplum epistolae legis vigorem habentis vide in *lege 10. §. 1. ff. De off. proconsf.*

DEFINITIO.

4. Edictum est praecipuum vniuersale principis, proprio motu propositum.

DEFINITIO.

5. Decretum est enunciatum principis ad causam propositam, praecedente eius cognitione factum.

ARGUMENTVM.

6. Plane ex his quaedam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur. Nam quae princeps alicui ob merita indulget, vel si quam poenam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non egreditur. *L. 1. §. 2. b. (L. 1. tit. 3. §. 15)*

§. 2.

REGVLA.

7. In rebus nouis constituendis euidentis esse utilitas debet, ut recedatur ab eo iure, quod diu aequum visum est. *L. 2. b.*

Vlp. L. 4. fideic.

ARGV- *L. 2.*

ARGUMENTVM.

Iuol. L. 13. Epist. L. 3. 8. Beneficium Imperatoris, quod a diuina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus. *L. 3. b.* quia beneficium cum amaritudine beneficium non est. (*L. I. tit. I. §. 237*)

REGVLA.

Modest. L. 2. Excus. L. 4. 9. Αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ισχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσίν. Id est: Constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quae ipsas praecesserunt. *L. 4. b.*

DE STATV HOMINVM.

TITVLVS V.

OBSERVATIO.

Caius L. 1. Inst. L. 1. 1. Omne ius quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. *L. 1. b.*

ANNOTATIO.

Hermog. L. 1. Iur. Epis. L. 2. 2. Cum igitur hominum caussa omne ius constitutum sit, primo de personarum statu, ac post de caeteris, ordinem edicti perpetui secuti, et his proximos atque coniunctos applicantes titulos, vt res patitur, dicemus. *L. 2. b.*

ANNOTATIO.

Caius L. 1. Inst. L. 3. 3. Summa itaque de iure personarum diuisio haec est, quod omnes homines liberi sunt aut serui. *L. 3. b.*

DEFINITIO.

4. Libertas est status hominis (*L. I. tit. I. §. 278*) naturalis externae legis expers.

DEFINITIO.

5. Liber homo est, qui nullo iure cohibetur, nisi quod natura aut consensus ipsi constituit.

ANNOTATIO.

6. Ita ciues liberi sunt, quia voluntate et consensu legem modumque societatis et regiminis sibi imposuerunt. Filius familias quidem sub lege et iure patriae potestatis est, sed per naturam eiusque legem: ideo liber est. Seruus est sub iure domini, neque natura, quae omnes homines liberos producit, neque voluntate, cum serui pacto non fiant, sed inuiti seruiant.

ANNOTATIO.

Flor. L. 1. Inst. L. 4. 7. Libertas est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibeatur. *L. 4. pr. b.* Seruus vi iusta et iure praeter naturam et consensum suum prohibetur (*L. I. tit. I. §. 275*) ergo non est liber. Ciuis vi iniusta prohiberi potest, et iure quoque, quod autem natura vel ipsius consensus constituit: ergo est liber. (*§. 5*)

DEFI-

DEFINITIO.

8. Seruitus est status hominis, qui alieno dominio citra naturam et consensum suum subiectus, inter res familiae priuatas numeratur, et domino instrumenti loco est.

sue:

Seruitus est status hominis praeternaturalis externae legi subiectus.

ANNOTATIO.

9. Seruitus est constitutio iuris gentium (L. 1. Tit. 1. §. 275) qua quis dominio alieno contra naturam subiicitur. L. 4. §. 1. b.

§. 1.

ANNOTATIO.

10. Serui ex eo appellati sunt, quod Imperatores captiuos vendere ac per hoc seruare, nec occidere solent. L. 4. §. 2. b. Mancipia vero dicta, quod ab hostibus manu capiuntur. L. 4. §. 3. b.

§. 2.

§. 3.

ANNOTATIO.

11. Et seruorum quidem vna est conditio: liberorum autem hominum quidam ingenui sunt, quidam libertini. L. 5. pr. b. Serui autem in dominium nostrum rediguntur aut iure ciuili aut gentium: Iure ciuili, si quis se maior viginti annis ad pretium participandum venire passus est. L. 5. §. 1. b. Emblema Triboniani hic notat Wissenbachius. Nam et mulier seruo alieno se iungens ex Scto Claudiano in seruitutem trahebatur TACITVS L. 12. *Annal.*

Marcianus L.

1. Inst.

L. 5.

§. 1.

ARGVMENTVM.

12. Iure gentium serui nostri sunt, qui ab hostibus capiuntur. L. 5. §. 2. b. (L. 1. Tit. 1. §. 269)

§. 2.

POSITIO.

13. Seruus iure gentium res est.

PROBATIO.

Seruus et verna omnis vsus, acquisitionem et ius externe accipere aptus est (L. 1. tit. 1. §. 276) et per hoc inter res merito refertur. (Ib. §. 188)

POSITIO.

14. Aut qui ex ancillis nostris nascuntur. L. 5. §. 2. b.

PROBATIO.

Verna, ex ancillis nostris natus, est res (§. 13) et nullius. (L. 1. tit. 1. §. 190) At in familia a nobis occupatus est. Quoniam autem res nullius ab aliquo occupata, eius est (L. 1. tit. 1. §. 187) ergo verna, siue qui ex ancillis nostris nascitur, noster est.

DEFINITIO.

15. Ingenuus est homo liber, qui ex libero parente natus ipsa natiuitate et vi originis liber est.

ARGVMENTVM.

16. Ingenui sunt, qui ex matre libera nati sunt. L. 5. §. 2. b. (§. 15)

H

ARGV-

A R G V M E N T V M.

17. Sufficit enim liberam fuisse eo tempore, quo nascitur, licet ancilla concepit: et e contrario, si libera conceperit, deinde ancilla pariat: placuit eum, qui nascitur, liberum nasci. Nec interest, iustis nuptiis concepit, an vulgo: quia non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre est, *L. 5. §. 2. b.* (L. I. tit. I. §. 245)

A R G V M E N T V M.

§. 3

18. Ex hoc quaesitum est: si ancilla praegnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta (veluti propter ingratitudinem in patronum) aut expulsâ ciuitate (ad peregrinitatem redacta: de qua inferius) pepererit: liberum an seruum pariat? Et tamen rectius probatum est, liberum nasci: et sufficere ei, qui in ventre est, liberam matrem vel medio tempore habuisse. *L. 5. §. 3. b.* (cit. §. 245)

D E F I N I T I O.

Caius L. i. Inst.
L. 6.

19. Libertini sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. *L. 6. b.* (L. I. tit. I. §. 280)

A R G V M E N T V M.

Paul. L. sing.
de port.
L. 7.

20. Qui in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quotiens de commodo ipsius partus quaeritur: quanquam alii, antequam nascatur, nequaquam proficit. *L. 7. b.* (L. I. tit. I. §. 249)

A N N O T A T I O.

21. Ita non prodest tertio, ut haereditas in eum transferatur. Interdum per indirectum prodest, e. gr. mulieri, quae ventris nomine in possessionem mittitur.

R E G V L A.

22. Error rerum gestarum non praeiudicat veritati. *L. 4. C. de testam.*

A R G V M E N T V M.

Papin. L. 3.
quaest.
L. 8.

23. Imperator Titus Antoninus rescripsit: non laedi statum liberorum, ob tenorem instrumenti male concepti. *L. 8. b.* (§. 22)

A N N O T A T I O.

Id. L. 51. quaest.
L. 9.

24. In multis iuris nostri articulis deterior est conditio foeminarum, quam masculorum. *L. 9. b.* (L. I. tit. I. §. 144)

R E G V L A.

25. A potiori fit denominatio.

A R G V M E N T V M.

Vlp. L. 1. ad
Sib.
L. 10.

26. Quaeritur, hermaphroditum cui comparamus? et magis puto eius sexus aestimandum, qui in eo praeualet. *L. 10. b.* (§. 25)

D E F I N I T I O.

27. Paterfamilias est masculus primus ascendens familiae, gaudens potentia auctoritatis in rebus et personis familiae, eisque imperandi voluntatem.

D E F I -

DEFINITIO.

28. Filius familias est homo familiae liber ex legitimo matrimonio viuo adscendente paterno vel patre procreatus.

DEFINITIO.

29. Patria potestas, secundum ius Romanum, est ius primi adscendentis masculi in familia, in liberos legitimos competens, quo ipsis voluntatem in negotiis familiae imperat.

POSITIO.

30. Paulus respondit: eum qui viuente patre et ignorante de coniunctione filiae conceptus est, licet post mortem aui natus sit, iustum filium ei, ex quo conceptus est, non videri. *L. 11. b.*

Paulus L. 12. Resp. L. 11.

PROBATIO.

Clarum fatis est, quod conceptus viuente et ignorante patre coniunctionem filiae, procreatus sit ex coniunctione filiae sine voluntate patris expressa, id est, sine eius iussu et imperio contracta. Qui autem ita procreatus est, ex iusto matrimonio non est procreatus: quippe quod familiae negotium est, et sine voluntate et imperio patris nullum est (§. 29) qui autem procreatus non est ex matrimonio, filius non est (§. 28) ideo is, qui viuente patre et ignorante de coniunctione filiae conceptus est, filius non est.

ARGUMENTVM.

31. Quod ab initio nullum est, ex postfacto non conualefcit. (*L. 1. tit. 1. §. 216*)

ARGUMENTVM.

32. Ergo morte eius, qui natiuitate huius concepti auus factus fuisset, nec matrimonium conualefcit, nec natus post mortem illius filius ei fit, ex quo conceptus est.

ANNOTATIO.

33. Iustus filius hic dicitur legitimus, id est, secundum iuris ciuilibus formam quaesitus.

OBSERVATIO.

34. Septimo mense nasci perfectum partum, iam receptum est, propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis. *L. 12. b.*

Id L. 19. Resp. L. 12.

ARGUMENTVM.

35. Et ideo credendum est, eum, qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum filium esse. *L. 12. b.* et talem quidem, qui in matrimonio conceptus sit.

ANNOTATIO.

36. Manumissio est actus legitimus, quia ius gentium repugnat seruum liberum fieri. (*L. 1. tit. 1. §. 317*) equidem ius naturae non obstaret.

ANNOTATIO.

37. Manumissus nouus quasi homo ex vertigine prodiit. *PERSIVS Satyra 5.*

*Verterit hunc dominus: momento turbinis exit
Marcus Damas,*

H 2

Domi-

Dominus enim vindicta, id est virgula percussum seruum in gyrum agebat, ex qua vertigine pristini status seruilis obliuio manumissum quasi peruadebat, novusque homo prodire fingebatur. *BRISSENIUS Antiqu. L. 1. c. 11. CUIACIUS Obs. L. 5. c. 13.*

ARGUMENTVM.

Hermog. L. 1. Jur. Epitom. L. 13. 38. Seruus in caussa capitali fortunae iudicio a domino commissus (non defensus) etsi fuerit absolutus, non fit liber. *L. 13. b.* quia manumissio non est, quod dominus non defenderit (§. 36)

DEFINITIO.

39. Prodigium siue phantasma est productio naturae causae suae non respondens, et a solitis eius effectibus toto genere aberrans.

ARGUMENTVM.

Paulus L. 4. Sent. L. 14. 40. Non sunt liberi, qui contra formam humani generis conuerso more procreantur, veluti, si mulier monstruosum aliquid aut prodigiosum enixa sit. *L. 14. b.* (§. 39) Negari nequit, Tribonianum interpolasse textum hunc, quod ex Pauli Libro sent. 4. c. 9. liquet. Nam antinomiae mederi voluit, quae inter Paulum h. loco et Vlpianum lege 135. ff. de V. S. accidisset, quorum ille stricto iure argumentatur, hic ex aequitate sententiam dicit. Vlpianus conditioni S^Cti Tertulliani satisfactum esse vult ex obedientia parentum: Paulus autem ex euentu. (*L. 1. tit. 1. §. 238*)

ARGUMENTVM.

41. Partus autem, qui membrorum humanorum officia ampliauit, aliquatenus videtur effectus (naturae respondens) et ideo inter liberos connumerabitur. *L. 14. b.* nec erit prodigium vel monstrum. (§. 39)

ARGUMENTVM.

42. Conditio ius existentia sua committit: dum expectatur, eius efficaciam suspendit: defectu vero soluit. (*L. 1. tit. 1. §. 205. 206*)

ARGUMENTVM.

Trophonius L. 10. Disp. L. 15. 43. Arescusa, si tres peperit, libera esse testamento iussa, primo partu vnum, secundo tres peperit: (atque adeo secundo in altero partu edito, conditioni satisfecit: quia hic connumerato uno ex prioro partu tertius erat) quaesitum est, an et quis eorum liber esset? Haec conditio libertati apposita iam implenda mulieri est, sed non dubitari debet, quin vltimus (secundi partus) liber nascatur. Nec enim natura permittit, simul vno impetu duos infantes de vtero matris excedere, vt ordine nascentium incerto non adpareat, vter in seruitute libertateue nascatur. Incipiente igitur partu (quarti) existens conditio efficit, vt ex libera edatur. quod postea nascitur. Veluti, si quaelibet alia conditio, libertati mulieris apposita, parturiente ea existat, vel manumissa sub hac conditione: si decem millia haeredi Titioe dederit: eo momento quo parit, per alium impleuerit conditionem, iam libera peperisse credenda est. *L. 15. b.* (Sic eo momento quo tertium enititur, conditionem adimplet, libera fit, et ex libertate matris is qui postea editus est. (§. 17) Idem erit, si eadem Arescusa

scusa primo duos pepererat, postea geminos ediderat: dicendum est enim, non posse dici, vtrumque ingenuum nasci, sed eum qui, (ex geminis) posterior nascitur. *Quaestio ergo facti potius est, non iuris. L. 16. b.* *Quaestio facti in hoc versatur, vtrum tertius an potius quartus conditioni satisfaciat.* *Vlp. L. 6. Disp. L. 16.*

DEFINITIO.

44. Cuius est persona libera iuris et consortii reipublicae eius particeps, in qua viuuit.

ANNOTATIO.

45. Ius ciuitatis Romanae consistit in participatione honorum et commodorum eiusdem Reipublicae: vt, in testamenti factione actiua et passiuua, in patria potestate secundum formam iuris ciuilibus, in vsucapione, contractibus mere ciuilibus, puta, nexu, mancipatione, in iure cessione, stipulatione: item, in iure suffragiorum, togae, magistratus, militiae, patronatus, connubiorum, &c. quae coniunctim ius Quiritium siue Quiritarium dicebantur. *BRISSENIUS Antiquit. L. 1. c. 13.*

OBSERVATIO.

46. In orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imperatoris Antonini ciues Romani effecti sunt. *L. 17. b.* *Idem L. 22. ad Ed. L. 17.*

ANNOTATIO.

47. Qui in Italico solo habitauerunt, praecipue coloniarum aut municipiorum iure vsi sunt. Cognitio municipiorum et municipum multa caligine impeditur. Conqueritur iam de suo, aeuo *GELLIVS L. 16. c. 13. Municipales et municipia verba sunt dictu facilia et vsu obuia: et neuiquam reperies, qui haec dicit, quin scire se plane putet, quid dicat: sed profecto aliud est, aliud dicitur.* *FESTVS* municipem varie dixit: alium, qui in municipio liber natus erat: alium iterum, qui in municipio ex seruitute (*vide omnino §. 60. sequ.*) se liberavit: item, qui ex alia ciuitate Romam venisset, qui muneris partem capere potuit, non autem magistratum. Videtur ius municipii aliud fuisse ciuitatum, aliud hominum. *FESTVS in voce: municipalia sacra:* Municipia legibus et iure suo utebantur, nullis aliis necessitatibus, neque vlla populi Romani lege adstricti, nisi populus eorum fundus, id est, auctor erat. *GELLIVS ibid. vide (L. 2. tit. 14)* Hos etiam autumo fuisse Aricinos, Caerites, Anagninos, quorum ciuitates Romam translatae sunt. Coloniae aliae ciuium Romanorum fuerunt, aliae Latinae. Latini iure ciuitatis (§. 45) carebant: *VLPIANVS in fragm. tit. 3.* Ergo multae coloniae et municipia ad ius ciuitatis adspirabant. Praecludebantur autem a participatione eiusdem multis legibus: vt, Claudia, Papia, Seruilia, Mucia, Licinia, fauentibus e contrario aliis: vt Sempronia, Fulua, Liuia. Iulius Caesar lege lata Italiae sociis et Latinis ciuitatem concessit, qui nondum a populo Romano defecerant, aut in fidem sponte redierant. Quid Antoninus praestiterit, lex praecedens indicat. Non tamen omnes coeco studio ciuitatem ambierunt. Nam lege Iulia lata, magna contentio Heraclensium et Neapolitanorum fuit: cum magna pars in iis ciuitatibus iuris sui libertatem ciuitati anteferebant.

referrent. CICERO *pro Balbo*. Familiis quoque et singulis hominibus ciuitatem datam esse, ex inscriptione constat, quam PANCIOLOVS refert Variar. Lect. L. 2. c. 7. *Imperator Caesar D. Traiani Parthici F. D. Neruae nepos Traianus Hadrianus August. Pontif. Max. Trib. potest. XII. Cos. III. P. P. iis, qui militauerunt in classe praetoria Misinensi, quae est sub Iulio Frontino, sex et viginti stipendiis emeritis, dimissis honesta missione, quorum nomina subscripta sunt, ipsis, liberis, posterisque eorum ciuitatem dedit et connubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum est ciuitas iis data: aut si qui coelibes essent, cum iis, quas postea duxissent duntaxat singuli singulas. ad 12. Cal. Mart. P. Iuuentio Celfo II. Q. Iulio Balbo Coss.*

ARGUMENTVM.

*Id. m. L. 17.
et Sabinum.
L. 18.*

48. Imperator Hadrianus Publicio Marcello rescripsit: Liberam, quae praegnans ultimo supplicio damnata est, liberum parere: et solitum esse seruari eam, dum partum ederet. Sed et si ei, quae ex iustis nuptiis concepit, aqua et igni interdictum est, ciuem Romanum parit, et in potestate patris. *L. 18. b. (§. 17)*

ANNOTATIO.

49. Ciuis Romanus ultimo supplicio adfici non poterat. Si quando igitur necesse erat in aliquem animaduertere: *L. 12. 17. ff. De poen.* prius per sententiam seruus poenae efficiebatur, et seruilem in modum virgis caedebatur, quam capite plecteretur. An igitur ex eiusmodi damnata et ad seruilem conditionem redacta liber homo nascatur, quaesitum fuit. Porro ciuitatem Romanam amittebat is, cui aqua et igni interdicebatur. Per aquae et ignis communionem vitae consortium significarunt antiqui. OVIDIVS *L. 4. Fastor.* Noua nupta aqua et igne accipi solita est: *L. pen. ff. De donat. inter V. et V.* quasi per haec symbola in vitae societatem et familiare foedus adscisceretur. Videatur CUIACIVS *Obs. L. 11. cap. 3.* VIRGILIVS *L. 12. Aeneid. V. 119.* pactiois vel foederis ab Aenea cum Turno ferendi apparatus describit:

alii fontemque ignemque ferebant.

E contrario, per horum interdictionem ciuitas et communio interdicebatur. CICERO *pro domo: Id autem cum esset faciendum,* (vt ciuitate quis priuaretur) *non ademtione ciuitatis, sed tecti et aquae et ignis interdictione faciebant.* Interdictio legitimi exilii et amittendae ciuitatis nuncius erat, qui id praecipiebat, ex quo exilium sequebatur.

ARGUMENTVM.

*Celf. L. 29. Dig.
L. 19.*

50. Cum legitimae nuptiae factae sunt, patrem liberi sequuntur (§. 27) *L. I. tit. I. (§. 276)* vulgo quaesitus matrem sequitur. *L. 19. b.*

ANNOTATIO.

51. Quoniam alterutrius parentis statum sequi debet: primum dignioris, deinde sequioris sexus ratio habetur.

DEFINITIO.

52. Dignitas est attributum ciuile, quo homo in ciuitate aliis meritis praestare censetur, et maiori honore afficitur.

DEFI-

DEFINITIO.

53. Magistratus est dignitas ciuilis, qua civis iurisdictioni praest.

DEFINITIO.

54. Imperium est potestas ciuilis qua magistratus iure coërcere et cogere potest.

POSITIO.

55. Qui furere coepit, et statum et dignitatem in qua fuit, et magistratum et potestatem videtur retinere: sicut rei suae dominium retinet, *L. 20. b.* *Vlpian. L. 38. ad Sab. L. 20.*

PROBATIO.

Status, dignitas, magistratus, imperium siue potestas sunt impositiones ciuiles (§. 52. 53. 54) et dominium facultas iuris gentium (*L. 1. tit. 1. §. 187*) quae omnia ex sanitate non sunt quaesita: cumque morbo non amittantur, quae sanitate quaesita non sunt (*L. 1. tit. 1. §. 153*) praeterea quoque furiosi ea voluntas praesumatur, quae sani hominis fuerit (*L. 1. tit. 1. §. 226*) ergo dictae impositiones et facultates ex morbo furoris (*L. 1. tit. 1. §. 211*) non amittuntur, sed retinentur.

POSITIO.

56. Homo liber qui se vendidit, manumissus, non ad suum statum reuertitur, quo se abdicauit, sed efficitur libertinae conditionis. *L. 21. b.* *Modest. L. 7. Reg. L. 21.*

PROBATIO.

Liber homo, maior 20 annis qui se vendidit, iure ciuili seruus fit (§. 11) At libertinae conditionis fit, qui ex iusta seruitute manumittitur (§. 19) Ideo liber homo qui se vendidit, manumissus, fit libertinae conditionis.

ARGUMENTVM.

57. Herennius Modestinus respondit: si eo tempore enixa est ancilla, quo secundum legem donationis (donata est ancilla ea lege, vt certo tempore manumittatur) manumissa esse debuit: cum ex constitutione (vide *L. 4. tit. 4. infra. L. 53. pr. ff. De fideicom. libertat.*) libera fuerit, ingenuum ex ea natum. *L. 22. b. (§. 16)* *Id. L. 17. Resp. L. 22.*

DEFINITIO.

58. Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt: vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet. Qui et spurii appellantur: *παρὰ τὴν σποράν*, id est: a fatione. *L. 23. b.* *Id. L. 1. Pand. L. 23.*

ARGUMENTVM.

59. Lex naturae haec est (i. e. consequentia ex ratione probe erudita promanans. *Tit. 1. §. 1.*) vt qui nascitur sine legitimo matrimonio matrem sequatur: (§. 50) nisi lex specialis aliud inducit. *L. 24. b.* *Vlp. L. 27. ad Sab. L. 24.*

ANNOTATIO.

60. Lege Manfia cautum fuit, vt alterutro peregrino natus deterioris conditionis parentem sequeretur: quia matrimonium cum peregrino non erat. Sic eueniebat, vt ex peregrino et ciue Romana genitus, peregrinus nasceretur, *VLPPIANVS tit. 5. §. 8.* Talis progeniei illustre exemplum apud *LIVIVM* libro 43. habetur,

habetur ex contubernio militum Romanorum cum mulieribus Hispanis procreatae. Cum orassent filii isti, ut sibi oppidum daretur, senatus decreuit, ut nomina sua apud L. Canuleium profiterentur: eorumque si quos manumisisset, eos Carteium ad Oceanum deduci placere. Hanc coloniam Latinam libertinorum dictam esse. Idem auctor est L. 41. Socios latini nominis liberos suos quibusquibus Romanis, in eam conditionem, ut manumitterentur, mancipia dedisse, utque libertini ciues essent. Inde sensum loci eiusdem Liuii L. 40. collige: *ibi: nauis 20. deductae naualibus sociis, ciuibus Romanis, qui seruitutem seruissent.*

REGVLA.

61. Res iudicata, item quod causa cognita per magistratum decretum est, pro veritate accipitur.

ARGVMENTVM.

*Id. L. 1. ad. L.
Iul. et Papp.
L. 35.*

62. Ingenuum accipere debemus etiam eum, de quo sententia lata est: quamuis fuerit libertinus: quia res iudicata pro veritate accipitur, L. 25. b. (§. 61)

OBSERVATIO.

*Iul. L. 69 Dig.
L. 26.*

63. Qui in utero sunt, in toto pene iure ciuili intelliguntur in rerum natura esse. L. 26. b.

ARGVMENTVM.

64. Nam et legitimae haereditates his restituuntur: et si praegnans mulier ab hostibus capta sit, id quod natum erit, posthuminum habet: (vide infra. §. 1. tit. 7.) item patris vel matris conditionem sequitur. L. 26. b.

DEFINITIO.

65. Res furtiua est, quae inuito domino, clam eo furripitur animo lucri faciendi.

DEFINITIO.

66. Usucapio est modus ciuilis adquirendi dominium speciei non vitiosae, bona fide quaesitae per legitimi temporis continuam possessionem.

DEFINITIO.

67. Res vitiosa est, quae per modum adquirendi iure gentium reprobatur occupata, et vitio infecta est.

ARGVMENTVM.

68. Res vitiosae possessa non usucapitur: (§. 67) ergo nec res furtiua. (§. 65)

REGVLA.

69. Pars et accessorium est eiusdem iuris, quo totum et principale.

ARGVMENTVM.

70. Ergo accessorium corporis furtiui censetur furtiuum.

REGVLA.

71. In alium plus iuris transferre non possum, quam ipse habeo.

POSITIO.

72. Praeterea, si ancilla praegnans surrepta fuerit, quamuis apud bonae fidei emptorem pepererit, id quod natum erit, tanquam furtiuum usu non capitur. L. 26. b.

PROBA-

PROBATIO.

Qui ex ancilla praegnante surrepta nascitur, tanquam pars rei furtivae matri cohaesit (L. 1. tit. 1. §. 115) et quia ancilla ipsa res furtiva est (§. 65) partus quoque talis censetur (§. 70) imo magis, quia et ipse partus surreptus fuit, vitioque ipsa surreptione affectus (§. 67) furtiva vero, cum vsucapi non possint, (§. 68) nec in bonae fidei possessorem res vitiosa purgatio transferri possit, (§. 71) ideo, qui ex ancilla praegnante surrepta natus est, licet apud bonae fidei emptorem editus sit, non vsucapitur

ANNO TATIO.

73. Iureconsultorum circa hanc doctrinam notabilis observatur dissensio. Iuliani sententiam ex nostro textu novimus, cui consentit Ulpianus L. 48. §. 5. ff. *De furtis. Ancilla, si subripiatur praegnans, vel apud furem concepit, partus furtivus est*, (quoniam et partus continuata detensione contrectatur et contrectatione vitio adficitur) *sive apud furem edatur, sive apud bonae fidei emptorem.* (§. 72) *Sed si concepit apud bonae fidei emptorem, ibique pepererit, eveniet, ut partus furtivus non sit.* (Quia vitio non est adfectus) Veruntamen idem Ulpianus L. 10. §. 2. ff. *De Vsurp. et Vsucap.* refert: *Marcellum existimasse: si bos apud furem concepit, vel apud furis haeredem, vsucapi ab haerede distractum iuencum non posse: sic inquit, quemadmodum nec ancillae partus. Scaeuola autem scribit: se putare, vsucapere posse et partum: nec enim esse partum rei furtivae partem. Caeterum si esset pars, nec si apud bonae fidei emptorem peperisset, vsucapi poterit.* Marcellus loquitur de haerede, qui omnino in vitium defuncti succedit: sed Scaeuola de alio successore singulari, qui tituli vitio non impeditur. In ipso vero partu vitium non est, qui apud furem conceptus, surreptus non fuit.


ARGUMENTVM.

74. His consequens est, ut libertus quoque, quamdiu patroni filius (posthumus) nasci possit, eo iure sit, quo sunt, qui patronos habent. L. 26. b. De patronis eorumque iure in libertos suo loco tractabitur.

ARGUMENTVM.

75. Quia ingenuus sola natiuitate fit (§. 15) idcirco Eum, qui se libertinum esse fatetur, nec adoptando patronus ingenuum facere potuit. L. 27. b.

*Ulpian. L. 5.
Opin.
L. 27.*



DE
HIS, QUI SUI VEL ALIENI IURIS SVNT.
TITVLVS VI.

ANNOTATIO.

Caius L. 1. h. f.
L. 1.

1. De iure personarum alia diuisio sequitur; quod (quaedam) personae sui iuris sunt, quaedam alieno iuri subiectae sunt. Videamus itaque de his, quae alieno iuri subiectae sunt: nam si cognouerimus, quae istae personae sunt, simul intelligemus, quae sui iuris sunt. Dispiciamus itaque de his, quae in aliena potestate sunt. *L. 1. pr. h.*

ARGVMENTVM.

§. 1.

2. Igitur in potestate sunt serui dominorum: quae quidem potestas iuris gentium est: nam apud omnes peraeque gentes animaduertente possumus, dominis in seruos vitae necisque potestatem fuisse. *L. 1. §. 1. h.* Nam serui inter res referuntur, aut ad minimum rerum iure habentur (*L. 1. tit. 5. §. 13*) quarum dominus liberrimus arbiter est (*L. 1. tit. 1. §. 191.*)

ARGVMENTVM.

3. Quoniam seruus instrumenti loco est (*L. 1. tit. 1. §. 275*) nihil sibi adquirere aut proprium habere potest.

ARGVMENTVM.

4. Et quodcunque per seruum acquiritur, id domino acquiritur, *L. 1. §. 1. h.* nam per instrumentum dominus acquirit; et seruus instrumentum est. (*L. 1. tit. 1. §. 191*)

ANNOTATIO.

§. 2.

5. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub Imperio Romano sunt, licet supra modum et sine causa legibus cognita in seruos suos saeuire. Nam ex constitutione Diui Antonini, qui sine causa seruum suum occiderit, non minus puniri iubetur, quam, qui alienum seruum occiderit. Sed et maior asperitas dominorum eiusdem principis constitutione coercetur. *L. 1. §. 2. h.*

ANNOTATIO.

6. Hoc benigne et humane constitutum fuit. *SENECA* aliquando dixit: *Cum omnia liceant in seruum, est aliquid, quod non licet in hominem.*

ANNOTATIO.

*Vlp. L. 1. de
off. proc.
L. 2.*

7. Si dominus in seruos saeuierit, vel ad impudicitiam turpemque violationem compellat, quae sint partes praesidis, ex rescripto Diui Pii ad Aelium Marcianum proconsulem Baeticae manifestabitur, cuius rescripti verba haec sunt: Dominorum quidem potestatem in suos seruos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi: sed dominorum interest, ne auxilium contra saeuitiam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur his, qui iuste deprecantur. Ideoque cogno-

cognosce de querelis eorum, qui ex familia Iulii Sabini ad statuam confugerunt: et si vel durius habitos, quam aequum est, vel infami iniuria affectos cognoveris, venire iube, ita ut in potestate domini non reuertantur: qui si meae constitutioni fraudem fecerit, sciat me admissum se verius executurum. Diuus etiam Hadrianus Vmbricium quandam matronam in quinquennium relegauit, quod ex leuissimis causis ancillas atrocissime tractasset. *L. 2. b.*

ARGUMENTVM.

8. Pater liberis legitimis voluntatem imperat, atque sic mouens et dirigens est: filius autem est instrumentum (*L. 1. tit. 5. §. 27. 29*) Hinc iuris dispositio: Item, in potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptiis procreauerimus: quod ius proprium ciuium Romanorum est. *L. 3. b. (L. 1. tit. 5. §. 29)* *Caius L. 1. Inst. L. 3.*

ANNOTATIO.

9. Dominium tantopere arrisit Romanis, ut non contenti fuerint more aliarum gentium seruos dominio subiicere, sed et ipsos liberos eidem iure subesse voluerunt. Ideo supra ius naturae extensa fuit potestas patria Romanorum: unde eam propriam ciuium Romanorum appellat Caius.

OBSERVATIO.

10. Nam ciuium Romanorum quidam sunt patres familiarum, alii filii familiarum: quaedam matres familiarum, quaedam filiae familiarum. *Vlp. L. 1. Inst. L. 4.*
L. 4. b.

DEFINITIO.

11. Materfamilias est ciuis Romana, quae per coëntionis solemniam in eam commigravit familiam, in qua maritus est.

ANNOTATIO.

12. Tradit GELLIVS *L. 18. c. 6.* quod ea materfamilias dicatur, quae in eius manu mancipioque esset, in cuius maritus est, et quae venerit in sui haereditatis locum. Est enim suus haeres, qui cum antea in alicuius potestate esset, eius morte in potestate et iure suo constituitur. Sic mulier, quae in manum mancipiumque loceri conuenerat, huius morte sui iuris efficiebatur. A matrefamilias differt matrona, quae tantum in matrimonium conuenit. SERVIUS interpretatur *Virgilii*. GELLIVS *cit. loco*. SIGONIVS *de ant. Iure. T. 1. L. 1. c. 9. L. fin. C. De verb. Signif.*

ANNOTATIO.

13. Patres familiarum sunt, qui sunt suae potestatis, siue puberes, siue impuberes: simili modo matres familiarum (*L. 1. tit. 5. §. 27.*) 12) Filii familiarum et filiae, quae sunt in aliena potestate. Nam qui ex me et uxore mea nascitur, in mea potestate est: item, qui ex filio meo et uxore eius nascitur, id est, nepos meus et neptis, aequae in mea sunt potestate, et pronepos et proneptis: et deinceps caeteri. *L. 4. b. (L. 1. tit. 5. §. 28)*

ARGUMENTVM.

14. Nepotes ex filio mortuo auo recidere solent in filii potestatem, hoc est in patris sui: simili modo et pronepotes et deinceps, vel in filii *Id. L. 36. ad Sab. L. 5.*

fili potestatem, si viuit, et in familia mansit, vel in eius parentis, qui ante eos in potestate est. *L. 5. b.* (L. 1. tit. 5. §. 27. 29)

DEFINITIO.

15. Adoptio in genere est actus legitimus adoptantis et adoptandi, quo hic ciuiler extraneus ad imitationem naturae in subsidium generationis ex accidenti praecclusae et orbitatis solatium in familiae communionem adsumitur.

ANNOTATIO.

16. Adoptionum vsus olim frequens fuit propter euitandas poenas orbitatis.

ARGUMENTVM.

17. Liberi naturales in primi adscendentis potestatem recidunt (§. 14) et hoc non tantum in naturalibus, verum in adoptiuis quoque iuris est. *L. 5. b.* nam adoptio naturam imitatur. (§. 15)

ARGUMENTVM.

*Id. L. 9. ad Sab.
L. 6.*

18. Filium cum definimus, qui ex viro et vxore eius nascitur; (conueniente tamen naturae tempore) sed si fingamus abfuisse maritum, verbi gratia, per decennium, reuersum anniculum inuenisse in domo sua: placet nobis Iuliani sententia, hunc non esse mariti filium. *L. 6. b.* (L. 1. tit. 1. §. 237.)

ANNOTATIO.

19. Tempus naturae ordini conueniens inter conceptionem et partum est 280 dierum.

ANNOTATIO.

20. Non tamen ferendum Iulianus ait eum, qui cum vxore sua affidue moratus nolit filium agnoscere quasi non suum. Sed mihi videtur, quod et Scaeuola probat, si constet, maritum aliquandiu cum vxore non concubuisse, infirmitate interueniente vel alia caussa, vel si ea valetudine paterfamilias fuit, vt generare non possit: hunc, qui in domo natus est, licet vicinis scientibus, filium non esse. *L. 6. b.*

ANNOTATIO.

21. Ciuiler mortuus dicebatur; qui ciuitatem amiserat.

ARGUMENTVM.

*Id. L. 25. ad
Sab.
L. 7.*

22. Si qua poena pater fuerat adfectus, vt vel ciuitatem amittat, vel seruus poenae afficiatur: (L. 1. tit. 5. §. 49) sine dubio nepos loco filii succedit. *L. 7. b.* Nam qui filius fuerat, sui iuris factus est. (§. 21. 14)

ARGUMENTVM.

*Id. L. 26. ad
Sab.
L. 8.*

23. Patre furioso liberi nihilominus in patris sui potestate sunt. Idem et in omnibus est parentibus, qui habent liberos in potestate: nam cum ius potestatis moribus sit receptum, (§. 9) nec possit desinere quis habere in potestate, nisi exierint liberi, quibus casibus solent: (L. 1. tit. 1. §. 153) nequaquam dubitandum est, remanere eos in potestate. Quare non solum eos liberos in potestate habebit, quos ante furorem genuit; verum et si qui ante furorem concepti, in furore editi sunt.

Sed

Sed et si in furore agente eo, vxor concipiat, videndum, an in potestate eius nascatur filius: nam furiosus licet vxorem ducere non possit, (L. i. tit. i. §. 212. 136) retinere tamen matrimonium potest: (L. i. tit. i. §. 226) quod cum ita se habeat, in potestate filium habebit. Proinde et si furiosa sit vxor, ex ea ante conceptus in potestate nascetur: sed et in furore eius conceptus ab eo, qui non furebat, sine dubio in potestate nascetur, quia retinetur matrimonium. Sed et si ambo in furore agant, et vxor et maritus, et tunc concipiat, partus in potestate patris nascetur: quasi voluntatis reliquiis in furiosis manentibus: nam cum consistat matrimonium altero furente, consistet et vtroque. *L. 8. pr. b.* (L. i. tit. i. §. 226)

POSITIO.

24. Adeo autem retinet ius potestatis pater furiosus, vt et adquiratur illi commodum eius, quod filius adquisiuit. *L. 8. §. i. b.* §. i.

PROBATIO.

Pater furiosus retinet potestatem et manet dirigens et mouens (L. i. tit. 5. §. 55 (§. 23) Quod autem per instrumentum adquiritur, dirigenti adquiritur. (L. i. tit. i. §. 42) Igitur patri furioso adquiritur, quod filius adquisiuit.

ARGUMENTVM.

25. Potestas patria vltra res et negotia familiae non extenditur (L. i. tit. 5. §. 29) propterea Filius familias in publicis caussis loco patris familias habetur: veluti vt magistratum gerat: vt tutor detur. *L. 9. b.* *Pompon. L. 16. ad Qu. Murium. L. 9.*

DEFINITIO.

26. Praeiuudicium rei vel caussae facit id, quod ita expresse statuitur, vt de re vel caussa comprehensa simul implicite statuatur.

REGVLA.

27. De quaestione praieiuudicali prius disquirendum.

DEFINITIO.

28. Alimentorum caussa est quaestio de iure, quo cogente quis media vitae alii suppeditare debet.

REGVLA.

29. Alimentis mora fieri non debet.

ARGUMENTVM.

30. Quare seposito haec tenus veritatis respectu, an quis filius sit, solummodo de alimentis decernendis ex humanitatis ratione et vitae seruandae necessitate interdum decerni debet.

ARGUMENTVM.

31. Vnde non implicite de filiatione statuitur, quando de alimentis decernitur, quia filiationis caussa alimentorum caussa non comprehenditur; sed alimentorum caussa filiationi recte inest. (L. i. tit. i. §. 163)

POSITIO.

32. Si iudex nutriri vel ali oportere pronunciauerit, dicendum est, *Vlp. L. 4. ad L.*

*Iul. et Pap-
pian.
L. 10.*

est, de veritate (adhuc) quaerendum, filius sit an non: neque enim alimentorum causa veritati facit praeiudicium. *L. 10. b.*

PROBATIO.

Causa et quaestio de filiatione non comprehenditur in causa et quaestione de alimentis, (§. 31) quae autem causa filiationis causam non comprehendit, eius causae iudicium praeiudicium non facit causae filiationis. (§. 26) Ergo, si iudex ali oportere pronunciauerit, veritati praeiudicium non facit, filius sit nec ne: sed haec quaestio adhuc integra manet, deque ea quaerendum est.

DEFINITIO.

33. Emancipatio est actus ciuilis, quo patriae potestati subiectus voluntate patris ex eius familia exit, et sui iuris fit.

ANNOTATIO.

34. Filius masculus trinis emancipationibus de potestate patris exhibit, filia vel nepos vna. Mancipatio fuit imaginaria quaedam venditio coram quinque testibus et libripende, ciuibus Romanis puberibus: id est, in figura fori et concionis Romanae. Qui mancipio accipiebat, aere lancein percutiebat: *hunc, inquit, hominem ex iure Quiritium meum esse dico: isque mihi emtus est hoc aere aeneaque libra.* Vendens autem aes accipiebat, filioque in iure cedebat. Hoc ritu in emancipatione filiorum ter peracto, pater naturalis a fiduciario patre, quasi emtore stipulabatur, vt filium suum sibi remanciparet, quo facto filium quasi seruum sibi emtum manumittebat atque ita emancipabat. *CAIUS Instit. L. 1. tit. 6. BRISSONIVS Antiqu. L. 1. cap. 7.* Formula imperatae cessionis erat: *Ego vero hunc filium meum tibi mancipio, ea conditione, vt mihi remancipes: vti inter bonos bene agi oportet: ne propter te bonamque fidem frauder.* *SIGONIVS de ant. Iure Ital. L. 1. c. 11. BRISSONIVS de Form. L. 6. c. 63.* Quando filius in adoptionem dabatur, solemnia ista omnia fiebant excepta saltem clausula remancipationis: et ita filius iure Quiritium in patris adoptiui potestate remanebat. (*L. 1. tit. 7. §. 105*) *BOETHIVS Commentario 3.*

DEFINITIO.

35. Sui iuris est, qui in rebus familiae efficaciter velle et agere valet.

ARGUMENTVM.

36. Emancipatus (§. 33) et vulgo quaesitus (*L. 1. tit. 5. §. 58*) sunt sui iuris: item naturalis ex concubina natus.

POSITIO.

37. Inuiti filii naturales, vel emancipati non rediguntur in patriam potestatem. *L. 11. b.*

*Modestinus L.
1. Pandect.
L. 11.*

PROBATIO.

Naturales et emancipati sunt sui iuris (§. 35. 36) et possunt ipsi efficaciter velle in rebus ad familiam spectantibus. (§. 35) Proinde inuiti non rediguntur in patriam potestatem.



* * * * *

DE
ADOPTIONIBVS ET EMANCIPATIONI-
BVS, ET ALIIS MODIS, QVIBVS PATRIA
POTESTAS SOLVITVR.

T I T V L V S VII.

D E F I N I T I O.

1. Adoptio in specie sic dicta, est filiifamilias imperio magistratus per patrem vi potestatis in aliam familiam facta translatio.

D E F I N I T I O.

2. Arrogatio est hominis sui iuris auctoritate populi vel principis in familiam arrogatoris facta receptio.

A N N O T A T I O.

3. Filios familias non solum natura, verum et adoptiones faciunt. *Modest. L. 2. L. 1. pr. b.* Quod adoptionis nomen est quidem generale, in duas species diuiditur: quarum altera adoptio similiter dicitur, altera adrogatio. Adoptantur filiifamilias: adrogantur qui sui iuris sunt. *L. 1. §. 1. b. Reg. L. 1. §. 1.*

A N N O T A T I O.

4. Adrogatio dicta est a rogando. Populus enim in comitiis curiatis rogabatur: *Velitis, iubeatis Quirites, uti Lucius Valerius Lucio Titio tam iure legeque filius sibi fiet, quam si ex eo patre matreque familias eius natus esset: utique ei vitae necisque in eo potestas fiet, uti patri endo filio est: haec ita uti dixi, ita vos Quirites rogo.* A. GELLIUS L. 5. tit. 19. Inter alias adrogationis leges idem Gellius refert, quod *vesticeps* esse debuerit adrogandus: id est: *quiam vestitus est pubertate.* FESTVS voce *Vesticeps* puer. Et NONIVS MARCELLVS Cap. I. *Inuestes dicuntur impuberes, quibus propter teneram aetatem nulla pars corporis pilat.* VIRGILIUS *Aen. L. 5.*

Aurea Caesaries ollis atque aurea vestis.

Adoptio testamento quoque fieri solita fuit: ea tamen confirmari debuit, et iterata dicta fuit. Adrogatus bonorum et nominis successor fiebat, nisi hoc infamia maculatum fuisset. PLINIUS L. 35. c. 11. *Extat Messallae oratoris indignatio, qua prohibuit inseri genti suae Lacuinorum alienam imaginem.* Formula adrogationis apud principem videtur haec fuisse: *Iube, ut lege agatur: sitque Aurelianus haeres sacrorum, nominis et bonorum totiusque iuris Vlpio Crinito.* VOPISCVS in *Aureliano.* Ad morem suscipiendi nomen adrogantis spectat, quod de Octauio testamento Iulii Caesaris adoptato PATERCVLVVS scribit: *L. 2. Non placebat Acciae matri Philippoque vitrico adiri nomen inuidiosae fortunae Caesaris.*

A N N O T A T I O.

5. In principatu ius comitorum ad Imperatores migravit (L. 1. tit. 4. §. 1) et

et quae olim rogatio ad populum facta est, ea iam ad principem directa. In textu sequenti Wiffenbachijs emblemata obseruat Triboniani.

OBSERVATIO.

*Caius L. 1.
Instit.
L. 2.*

6. Generalis enim adoptio duobus modis fit: aut principis auctoritate, aut magistratus imperio. Principis auctoritate adoptamus eos, qui sui iuris sunt: quae species adoptionis dicitur adrogatio: quia et is, qui adoptat rogatur, id est, interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus sit, iustum sibi filium esse: et is, qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur. *L. 2. pr. b.*

ARGUMENTVM.

7. Imperio magistratus adoptamus eos, qui in potestate parentis sunt: siue primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius, filia; siue inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis. *L. 2. pr. b. (§. 1)*

ARGUMENTVM.

8. Adoptio naturam imitatur (*L. 1. tit. 6. §. 15*) et fit in subsidium generationis per accidens praecclusae. Ergo sufficit, aliquando potentia generandi valuisse adoptantem. Qui nunquam generare potuit, nec adoptare potest: e. gr. qui impubes castratus fuit.

ARGUMENTVM.

§. 1. 9. Illud vtriusque adoptionis commune est, quod et hi, qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt. *L. 1. §. 1. b. (§. 8)*

ARGUMENTVM.

§. 2. 10. Hoc vero proprium est eius adoptionis, quae per principem fit, quod is, qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit, non solum ipse potestati adrogatoris subiicitur, sed et liberi eius in eiusdem fiunt potestate tanquam nepotes. *L. 1. §. 2. b.* Nam adoptio imitatur naturam et iure familiae competit patria potestas in omnes descendentes. (*L. 1. tit. 6. §. 15.*) §. 2)

DEFINITIO.

11. Actio legis est facultas vi magistratus competens, actum naturali aut gentium iure impossibilem, quoad effectus iuris ciuilibus auctorandi, quasi populi lege peractus sit.

ANNOTATIO.

12. Multa sunt, quae nec naturali nec gentium iure consistere possunt, populi autem iussu, lege et auctoritate, effectum ciuilem tenent subsistunt. (*L. 1. tit. 1. §. 317*) Firmum omnino in republica esse debebat, quod populus voluit, et cuius auctor factus fuerat. Gratum autem ciuibus fuit et ciuitati vtile, eiusmodi commodis frui. Adoptio autem facit filium, quem natura non fecit: emancipatio eum filiatione exiit, qui natura filius est. Neutrum naturaliter consistet, a iure vero gentium penitus est alienum: nam secundum hoc emancipationis et adoptionis iura nulla dantur. Vt autem citra naturae et gentium ius eman-

emancipatio et adoptio valeant, ius civile efficere debuit, vel potius lex, et indubitata populi Romani auctoritas. Sed comitia semper haberi non poterant, quoties quis adoptare vel similem actum celebrare vellet: nec non molestum erat comitia expectare. Hinc facultatem et actionem legis magistratibus quibusdam concessit populus, ut vice populi actionis eiusmodi auctores fierent: qui adeo actionem legis habere dicebantur. Haec ergo erat facultas expediendi actus legitimos. Diuersa autem fuerunt: actionem legis habere: et lege agere: quae confundere videtur *ALCIATVS Parergon L. 3. c. 2.* Hoc ad partes litigantes et ministros iudicii spectabat. *LIVIVS L. 26. c. 16.* *CICERO L. 1. De Orat.* Actus isti legitimi naturae similitudinem sequuntur, et ideo conditionem, diem et partem respuunt. Etenim filius non potest suscipi vel esse sub conditione, in diem, ex die vel pro parte.

ARGVMENTVM.

13. Si consul vel praeses filius familias sit, posse eum apud semetipsum (quia in his actibus pro patrefamilias est (*L. 1. tit. 6. §. 25*) vel emancipari, vel in adoptionem dari, constat. *L. 3. b.* Nam habet legis actionem. (*§. 14*) *Paulus L. 4. ad Sab. L. 3.*

ANNOTATIO.

14. Videtur quidem auctor in rem propriam fieri, quod nemo potest: quia tamen non suo nomine, sed populi auctoritatem interponens agit, in rem suam auctor non fit: modo causae cognitio non requiratur.

ARGVMENTVM.

15. Magistratum, apud quem legis actio est, et emancipare filios suos, et in adoptionem dare apud se posse, Neratii sententia est. *L. 4. b.* (*§. 13*) *Modest. L. 2. Regul. L. 4.*

OBSERVATIO.

16. Amor parentum et liberorum naturalis est.

REGVLA.

17. In negotio, quod non est mere lucratium, non videtur consentire qui tacet. (*L. 1. tit. 1. §. 214*)

ARGVMENTVM.

18. In adoptionibus eorum duntaxat, qui suae potestatis sunt, voluntas imploratur. *L. 5. b.* Versatur enim adrogandi praeiudicium. (*§. 2. 10*) *Celsus L. 28. Dig. L. 5.*

ARGVMENTVM.

19. Sin autem a patre dantur in adoptionem, in his vtriusque arbitrium spectandum est: vel consentiendo (expresse) vel non contradicendo. *L. 5. b.* Quia tum patris voluntati adquietere praesumitur adoptandus. (*§. 1*) Sin contradicat, auersationem a patre adoptiuo declarat, quae adoptionem impedire debet, haec enim naturam imitatur (*L. 1. tit. 6. §. 15*) et amorem requirit. (*§. 16*)

ARGVMENTVM.

20. Cum nepos adoptatur, quasi ex filio natus, consensus filii (expressus) exigitur: idque etiam Iulianus scribit. *L. 6. b.* (Nam praeiudicium eius *Paul. L. 35. ad Edict. L. 6.*

eius versatur, cui haeres suus adgnascitur, (L. 1. tit. 1. §. 214) ergo tacitus consensus non sufficit. Requiritur etiam ob rationem textus praecedentis. (§. 19)

DEFINITIO.

21. Agnatio est personae in civile vinculum familiae accessio.

ARGUMENTUM.

*Cels. L. 39.
Dig.
L. 7.*

22. Cum adoptio fit, non est necessaria in eam rem auctoritas eorum, inter quos iura agnationis consequuntur. *L. 7. b.* Nam horum non est negotium, cum solus adrogator in re familiae velle et nolle possit. (L. 1. tit. 5. §. 27)

ANNOTATIO.

*Modest. L. 2.
Reg.
L. 8.*

23. Quod, ne curatoris auctoritas intercederet in adrogatione, ante tenerat, sub Diuo Claudio recte mutatum est. *L. 8. b.*

ANNOTATIO.

24. Curatoris auctoritate opus non fuit, ex ratione, quia adrogandus ut sui iuris in negotio familiae personali solus recte velle et decernere potuit (L. 1. tit. 6. §. 35) quandoquidem curator personae non datur. Sed hoc recte, id est utiliter, inmutatum dicitur, respectu bonorum, quae per adrogationem adrogatori acquirebantur, (L. 1. tit. 6. §. 24) bonis enim curator datus est. Textum nostrum, quantumlibet generalem, ad foeminarum adrogationes restringit *CVIACIUS Obs. L. 26. c. 7.* ex ratione, quod abrogata Claudia lege foeminae perpetua cura liberatae, etiam in adoptionibus curatore vacauerint. Sed praeterquam quod Cuiacius lege Claudia sublatam esse foeminarum tutelam adserit, dum titulo *Vlpiani II. §. 8. pro sustinet, legit sustulit*: constitutione Constantini abrogata fuisse traditur: *l. 3. C. De legit. tut.* Ergo fundamentum Cuiacii nimis fluxum videtur, ut aliquid solidi superstruatur, quod masculos curatoris auctoritate liberaret.

ARGUMENTUM.

*Vlp. L. 1. ad
Sab.
L. 9.*

25. Etiam coecus adoptare vel adoptari potest. *L. 9. b.* Nam potest natura esse pater et filius. (L. 1. tit. 6. §. 15)

ANNOTATIO.

26. Dubitatum forte fuit, an amor ad adoptionem requisitus in coeco deprehendatur. Sed multae rationes amoris citra visum sunt.

DEFINITIO.

27. Haeres suus est, qui morte eius, in cuius potestate immediate fuerat, familiae atque sui ipsius haeres, et sui iuris simul fit. §. 2. I. *De haered. qualis.* *L. 10. ff. b. t.*

ARGUMENTUM.

*Paul. L. 2. ad
Sab.
L. 10.*

28. Si quis nepotem, quasi ex filio natum, quem in potestate habet, (§. 20) consentiente filio adoptauerit, non adgnascitur aucto suus haeres: quippe cum post mortem aui quasi in patris sui recidit potestatem. *L. 10. b. (§. 27)*

OBSERVATIO.

29. Quando apud Romanos infans nascebatur, ab obstetrice humi ponebatur: si patri partus placebat, cum tollebat, atque in sinu suo ponebat: quasi rem

rem nullius occuparet. Inde forte fons iuris dominici Romanorum in liberos. (L. 1. tit. 6. §. 9) Si pater eum non sustulisset, exponebatur. De hoc ritu testimonia veterum collegit DEMSTERVS *ad Rosini Antiquit.* L. 2. c. 19.

ANNO TATIO.

30. Secundum hunc ritum: Si is, qui filium haberet, in nepotis locum (aliquem) adoptasset, atque si ex eo filio natus esset: et is filius auctor factus non esset (non consensisset adoptioni) (§. 20) mortuo auctore non esse nepotem in potestate filii. L. 11. b. Quasi eum non sustulisset: auus autem quasi expositum suum fecisset. (§. 29)

Paul. L. 4. ad Sab.
L. 11.

OBSERVATIO.

31. Liberi ingrati emancipati iterum in patriam potestatem reuocabantur. L. vii. C. De ingratis. lib.

ARGUMENTVM.

32. Qui liberatus est patria potestate, is postea in potestatem honeste (sine suspitione poenae ingrati) reuerti non potest: nisi adoptione. L. 12. b. (§. 31)

Vlp. L. 14. ad Sab.
L. 12.

REGVLA.

33. Cessante causa cessat effectus.

REGVLA.

34. Soluitur ex nunc, cuius modus resoluens post perfectam rem exterius accidit.

REGVLA.

35. Soluitur ex tunc, cuius internus modus resoluens, cum re perfecta natus, ex postfacto manifestatur.

ANNO TATIO.

36. Solutum ex tunc dicitur ipso iure tale. L. 8. §. 6. ff. De inoffic. testam.

ARGUMENTVM.

37. In omni fere iure finita patris adoptiui potestate, nullum ex pristino retinetur vestigium: denique et patria dignitas quaesita per adoptionem, finita ea deponitur. L. 13. b. (§. 33)

Papin. L. 36. Quaesit. L. 13.

ARGUMENTVM.

38. Sed etiam nepos ex filio apud adoptatum patrem conceptus et natus, per emancipationem iura omnia perdit. L. 14. b. (§. 33)

Pompon. L. 5. ad Sab. L. 14.

ARGUMENTVM.

39. Si paterfamilias adoptatus sit, omnia quae eius fuerunt, et acquiri possunt (acquiri non possunt pure personalia) tacito iure ad eum transeunt qui adoptauit. (L. 1. tit. 6. §. 24) Hoc amplius, liberi eius, qui in potestate sunt, eum sequuntur. L. 15. pr. b. (§. 10)

Vlp. L. 26. ad Sab. L. 15.

OBSERVATIO.

40. Qui ab hostibus captus fuit, et deinde ex captiuitate liberatus ad limum Imperii Romani redierat, pro eo habebatur, qui eo momento, quo captus fuerat, statim ex captiuitate euasisset: dempto intermedio tempore. Haec, ex benignitate contra rigorem iuris ciuili recepta fictio, dicebatur ius postliminii. Nec solum reditum ex hostico, verum et ex alia quauis ciuitate antiqui postliminium

minium dixerunt. **FESTVS** auctor est: *Postliminium receptum Gallus Aelius in libro primo significationum, quae ad ius pertinent, ait esse eum, qui liber ex qua ciuitate in aliam ciuitatem abierat, in eandem ciuitatem redit eo iure, quod constitutum est de postliminiis. Item, qui seruus a nobis in hostium potestatem peruenit, postea ad nos rediit in eius potestatem, cuius antea fuit iure postliminii. Equi et muli et naui cadem ratio est postliminium receptum, quae serui. Quae genera rerum ab hostibus ad nos postliminiq. redeunt, eadem genera rerum a nobis ad hostes redire possunt.* Qui vero a patre suo erat venditus, vel a populo, vel quem pater patratus dedidisset, ei nullum erat postliminium. **CICERO** *L. 1. de Orat.* Pater patratus facialium princeps est, secundum **POMPONIUM LAETVM** *de Sacerdot.* ad pacem ferendam delectus. Quando dux Romanorum sponsonem iniquam aut Reipublicae ignominiosam cum hoste fecerat, cuius Consules auctores fieri nolebant, eum pater patratus, hosti vinctum dedebat, vt respublica voto solueretur. Quos Populus Romanus ita dediderit, enarrat **CICERO** *de Officiis L. 3.* Populus autem vendebat eum, qui militiam detrectabat, aut qui cenferi nolebat.

ARGUMENTVM.

41. Sed et hi, qui postliminio redeunt, vel qui in vtero fuerunt, cum adrogaretur, simili modo in potestatem adrogatoris rediguntur. *L. 15. pr. b. (§. 39)*

ANNOTATIO.

42. Iura ciuitatis omnia, itemque familiae post liminium receptum, reuiuifcebant, vel potius nunquam defuisse fingebantur: quia tempus a momento captiuitatis ad momentum reditus, nequidem extitisse censebatur.

ARGUMENTVM.

§. 1. 43. Qui duos filios, et ex altero eorum nepotem habet; si vult nepotem quasi ex altero natum sic adoptare: potest hoc efficere, si eum emancipauerit, et sic adoptauerit, quasi ex altero natum. Facit enim hoc quasi quilibet, non quasi auus: et qua ratione quasi ex quolibet natum potest adoptare, ita potest et quasi ex altero filio. *L. 15. §. 1. b.* Emancipatus enim extraneus fit. (*L. 1. tit. 6. §. 33*)

ARGUMENTVM.

§. 2. 44. Quoniam adoptio naturam imitatur, et in praclusae generationis subsidium surrogatur. (*L. 1. tit. 6. §. 15*) In adoptionibus cognitio vertitur, num forte minor sexaginta annis sit qui adrogat: quia magis liberorum creationi studere debeat: nisi forte morbus aut valetudo in causa sit, aut alia iusta causa adrogandi; veluti, si coniunctam sibi personam velit adoptare. *L. 15. §. 2. b. (L. 1. tit. 1. §. 71)*

ARGUMENTVM.

§. 3. 45. Item, non debet quis plures adrogare, (quia in subsidium vna proles sufficit, (*L. 1. tit. 1. §. 15*) nisi ex iusta causa. (*L. 15. §. 3. h. §. 44*) vel quia prior adoptatus furore correptus est.

OBSER-

OBSERVATIO.

46. Magna similitudo patris et patroni, filii et liberti clientis est. Ita enim **FESTVS de Verbor. signif.** Patronus ab antiquis cur dictus sit, manifestum: quia ut patres filiorum, sic hi numerari inter dominos clientum consueverunt. **AELIVS DONATVS:** Patronus aut temporale nomen est defensoris, aut certe appellatio, per quam ostenditur, quid illi cultus aut obsequii debeatur. Parens autem veri amoris nomen est.

ARGVMENTVM.

47. Libertus igitur quasi parentem et patrem patronum habet.

ARGVMENTVM.

48. Sed nec libertum alienum (adrogare quis debet: propter imaginem potestatis patroni, per quam libertus vix sui iuris esse videtur: (§. 2) et ne fraudentur patroni obsequiis a liberto debitis) nec maiorem (natu) minor. *L. 15. §. 3. b.* Adoptio enim in his personis locum habet, in quibus etiam natura potest habere. *L. 16. b. (L. I. tit. 6. §. 15)*

*Iavolenus L. 6.
ex Cassio.
L. 16.*

ANNOTATIO.

49. Quod libertum suum quis adrogare potuerit, *lex ultima ff. De statu bom.* innuere videtur. Nam et **GELLIO** teste **Massurius Sabinus** scripsit: *Libertinos ab ingenuis adoptari iure posse, modo iura ingenuorum per adoptionem non inuadant. Noct. Attic. L. 5. c. 19.* Adeo patronus libertum suum adoptare potuit, aut quiuis eum, cuius patronus nullus erat.

DEFINITIO.

50. Turpitude est, quando quis sprete religione, pietate, dignitate, honestate et pudore sibi lucrum, vel gloriam ex inutili et ludicra virtute, vel mercedem ex eo, quod alias et gratis debet, quaerit.

ARGVMENTVM.

51. Adoptio ad imitationem naturae ex amore sincero et in subsidium prolis, non ad velandum flagitium aut turpe lucrum permittitur: (L. I. tit. 6. §. 15) quare Nec ei permittitur adrogare, qui tutelam vel curam alicuius administravit: si minor viginti quinque annis sit, qui adrogatur: ne forte eum ideo adroget, ne rationes reddat. Item, inquirendum est, ne forte turpis causa adrogandi subsit. *L. 17. pr. b.*

*Ulpianus L.
26. ad Sab.
L. 17.*

ANNOTATIO.

52. Turpis causa etiam impudica adrogatoris libido recte intelligitur.

DEFINITIO.

53. Tutor est, qui muneris publici ratione auctoritatem capiti libero sui iuris praestat, ad tuendum et regendum eum, qui per aetatem se defendere et regere nequit.

ARGVMENTVM.

54. Ergo pupillus tutor esse non potest.

ARGVMENTVM.

55. Quoniam adrogatio est in patriam potestatem traditio, (§. 2) officium tutoris adrogatione finitur. (§. 53)

REGULA.

56. Non debet esse in cuiusquam potestate, se subtrahendi debito, officio vel muneri.

ARGUMENTVM.

§. 1. 57. Eorum duntaxat pupillorum adrogatio permittenda est his (tutoribus) qui vel naturali cognatione vel sanctissima adfectione ducti adoptarent: caeterorum prohibenda: ne esset in potestate tutorum et finire tutelam (§. 55. 56) et substitutionem a parente factam extinguere. *L. 17. §. 1. b.*

DEFINITIO.

58. Substitutio pupillaris est institutio haeredis in locum filii impuberis sui haeredis, qui succedat in haereditate, quae ab impubere vacat.

ARGUMENTVM.

59. Extinguitur ergo substitutio pupillaris, quando per adrogationem pupillus in potestatem patriam venit, (§. 57) omniaque sua adrogatori acquirit. (§. 39)

ARGUMENTVM.

60. Quia substitutus impuberi haeres fit: ergo testamentum eatenus impuberis est, quod pater vi potestatis filio fecit.

DEFINITIO.

61. Causae cognitio est inquisitio magistratus an bene petatur vel statuat, quod an bene fiat, non praesumitur.

ARGUMENTVM.

62. Quoniam adrogatio male peti potest ob turpem vel iniquam vel naturae suae contrariam causam: cognitione causae prius opus erit, quam ea concedatur.

ARGUMENTVM.

§. 2. 63. Et primum quidem excutiendum erit, quae facultates pupilli sint, et quae eius, qui adoptare eum velit: ut aestimetur ex comparatione earum, an salubris adoptio possit pupillo intelligi. Deinde cuius vitae sit is, qui velit pupillum redigere in familiam suam: tertio, cuius idem aetatis sit: ut aestimetur an melius sit, de liberis procreandis cogitare eum (§. 44) quam ex aliena familia quenquam redigere in potestatem suam. *L. 17. §. 2. b.*

§. 3. Praeterea videndum est, annon debeat permitti ei, qui vel vnum habeat, vel plures liberos, adoptare alium: ne aut illorum, quos iustis nuptiis procreauerit, deminuat spes, quam vnusquisque liberorum obsequio paret sibi: aut qui adoptatus fuit, minus percipiat, quam dignum erit eum consequi. (pro modo facultatum, quas adrogatori acquirit, §. 39) *L. 17. §. 3. b.*

§. 4. Interdum et ditiores permittetur adoptare pauperiori, si vitae eius sobrietas clara sit vel affectio honesta, nec incognita. *L. 17. §. 4. b. GELLIVS l. 5. c. 19.*

DEFINITIO.

64. Satisfactio est prouisio de iure suo per fideiussores ut saluum sit, contra eum, qui istud indefinite laedere potest.

ARGV-

ARGVMENTVM.

65. Satisfatio autem in his casibus dari solet. *L. 17. §. 5. b.*

ARGVMENTVM.

66. Ne adrogator potius lucro haereditatis quam amore naturali permotus pupillum adroget, cautela adhibetur; Non aliter enim voluntati eius, qui adrogare pupillum volet, si causam eius ob alia probabit (si probam intentionem remotis aliis suspicionibus comprobabit) subscribendum erit, quam si cauerit seruo publico, se restitutum (ea) quae ex bonis eius consecutus fuerit, illis, ad quos res peruentura esset, si adrogatus permanisset in suo statu. *L. 18. b.*

*Marcellus L.
26. Dig.
L. 18.*

ANNOTATIO.

67. Serui publici varii ministerii fuerunt, sacrorum, Martiales, Calatores, qui incendia restinguebant, aquarii, etc. Qui hic nominatur, magistratui apparuit, et licitor vel scriba intelligitur. *FRONTINVS de aquaeduct. L. 3. C. De seruo reipubl. manumitt.* Serui hi in praetoriis cautionibus stipulabantur. *L. 1. ff. De magistrat. conuen.* pecuniam publicam exigebant *L. 29. ff. De compensat.* *PRIGNORIVS de seruis p. 29. sequ.* Emebantur pecunia publica: *DION. HALIC. L. 1.* ab habitu licii vel limi vocabantur limocincti: nam et lictores a licio dicti sunt. *L. 6. §. 1. ff. De R. D.* Illi, qui vectigalia curabant, publicani dicebantur. *CICERO L. 3. in Verrem.*

ANNOTATIO.

68. His verbis satisfactionis, quae ab adrogatore praestari debet: Ad quos ea res pertinet: et libertatibus prospectum esse, quae secundis tabulis datae sunt (tabulis substitutionis pupillaris: hac fere formula: si filius meus impubes moriatur: Caius haeres esto: Stichus liber esto) et multo magis substituto seruo: item legatariis, nemo dubitat. *L. 19. pr.*

*Vlp. L. 26. ad
Sab.
L. 19.*

DEFINITIO.

69. Actio utilis dicitur quaeuis directa, quae terminis propriis, ex quibus competit, deficientibus, ob aequitatis et analogiae rationem datur.

ARGVMENTVM.

70. Quae satisfatio, si omissa fuerit, utilis actio in adrogatorem datur. *L. 19. §. 1. b.* §. I.

ANNOTATIO.

71. Intelligo utilem haereditatis petitionem, actionem ex testamento, et similes.

ANNOTATIO.

72. Haec autem satisfatio locum habet (committitur *L. 1. tit. 1. §. 206*) si impubes decesserit. *L. 20. pr. b.*

*Marcellus L.
26. Dig.
L. 20.*

ARGVMENTVM.

73. Sed et si de pupillo loquitur (satisfactionis formula) tamen hoc et in pupilla obseruandum est. *L. 20 §. 1. b.* Conuenit interpretatio extensiva ad pupillam. (*L. 1. tit. 3. §. 12*) *L. 1. tit. 1. §. 246*

§. I.

OBSER-

OBSERVATIO.

Caius L. *sing.*
Reg.
L. 21.

74. Foeminae non potuerunt adrogari, quia comitiis interesse non poterant: *VLPIANVS* Tit. 8. §. 5. Eis postea principis rescripto subuentum est. Nam et foeminae ex rescripto principis adoptari possunt. L. 21. b.

DEFINITIO.

75. Haeres est successor in personam ciuilem defuncti, et in ius legemque bonorum, quae fuit tempore mortis.

OBSERVATIO.

76. Haeres non fit nisi voluntate defuncti, aut legis prouidentia.

ARGUMENTVM.

77. Nemo pro parte testatus et pro parte intestatus decedere potest: quia persona vna et tota est, in quam succeditur (§. 75.) §. 12. in fine.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 26. ad
Sab.
L. 22.

78. Si adrogator decesserit impubere relicto filio adoptiuo, et mox impubes decedat: an haeredes adrogatoris teneantur? Et dicendum est, haeredes quoque restitutos et bona adrogati, et praeterea quartam (bonorum adrogatoris) partem. L. 22. *pr. b.* Succedunt enim in huius personam et ius. (§. 75)

OBSERVATIO.

79. Impubes haeres suus transmittit haereditatem delatam, etiamsi non adiutam. L. 27. *C. De testam.* L. 32. *C. De appellat.* L. 9. §. 1. et 4. *ff. Dereb. dub.* Quod et rationi conuenit. (L. 1. tit. 1. §. 226)

ARGUMENTVM.

§. 1. 80. Sed an impuberi adrogator substituere possit, quaeritur? Et puto non admitti substitutionem, nisi forte ad quartam solum, quam ex bonis eius consequitur et haec tenus ut ei usque ad pubertatem substituatur. L. 22. §. 1. *b.* Substitui enim non potest, nisi in haereditate patris a filio vacante (§. 58) et obstat praeterea fatisdatio. (§. 65)

DEFINITIO.

81. Fideicommissum est haereditatis ab haerede instituto precaria auocatio et in alium translatio.

REGVLA.

82. Nemo potest in testamento suo cauere, ne leges in eo locum habeant. L. 55. *ff. De legatis. 1.*

ARGUMENTVM.

83. Caeterum si fidei eius committat: ut quandoque restituat: non oportet admitti fideicommissum: quia hoc non iudicio eius ad eum peruenit, sed principali prouidentia. L. 22. §. 1. *b.* (§. 83) L. 1. tit. 1. §. 201)

ANNOTATIO.

§. 2. 84. Haec omnia dicenda sunt, siue in locum filii, siue in locum nepotis aliquis impuberem adrogauerit. L. 22. §. 2. *b.*

DEFINITIO.

85. Cognatio est personarum plurium commune vinculum, quatenus in eadem familia sunt, in qua vere vel ficte secum nati sunt. (§. 21)

ARGUMENTVM.

86. Qui in adoptionem datur, (per adrogationem) his, quibus adgnascitur, cognatus fit: quibus vero non adgnascitur, nec cognatus fit. *L. 23. pr. b. (§. 85)*

*Paulus L. 35
ad Edict.
L. 23.*

ANNOTATIO.

87. Alias cognatio dicitur coniunctio diuersarum personarum per eiusdem sanguinis participationem: quae et necessitudo adpellatur. Haec est naturalis, et inter seruos quoque obtinet: *Rubr. ff. De seruii cogn.* illa, quae ipsa agnatio est, ciuilis est et legalis, atque personas eiusdem familiae non egreditur.

REGVLA.

88. Adoptio enim non ius sanguinis, sed ius adgnationis adfert. *L. 23. b. (§. 2. 21)*

ARGUMENTVM.

89. Vxor in familia non est nata, sed in familiam assumta, vel in manum conuenit: nec adrogata est (*L. 1. tit. 6. §. 11. 12.*) Et ideo si filium adoptauerim, vxor mea illi matris loco non est: neque enim adgnascitur ei, propter quod nec cognata eius fit. Item nec mater mea auiae loco illi est: quoniam his, qui extra familiam meam sunt, (vt matri) non adgnascitur. Sed filiae meae is quem adoptaui, frater fit: quoniam in familia mea est filia. *L. 23. b. (§. 85)*

ANNOTATIO.

90. Nuptiis tamen etiam eorum prohibitis. *L. 23. b. ad imitationem naturae (L. 1. tit. 6. §. 15) L. 1. tit. 1. §. 149)*

ARGUMENTVM.

91. Neque absens neque dissentiens adrogari potest. *L. 24. b. Primum ideo, quia adoptio actus legitimus erat, in comitiis a praesentibus peragendus (L. 1. tit. 6. §. 34) §. 12) Alterum vero, ob rationem datam (§. 19)*

*Vlp. L. 1. Disp.
L. 24.*

REGVLA.

92. Contra factum proprium venire, vel factum suum in aliis reprehendere, nemo sine turpitudine potest. *L. 25. pr. b. L. 2. C. De reb. cred.*

ARGUMENTVM.

93. Post mortem filiae suae, quae vt mater familias quasi iure emancipata vixerat (patre sciante et patiente) et testamento scriptis haeredibus decessit: aduersus factum suum, quasi non iure eam, nec praesentibus testibus emancipasset, pater mouere controuersiam prohibetur. *L. 25. b. (§. 92)*

*Id. L. 5. Opin.
L. 25.*

OBSERVATIO.

94. Qui lege agebat, quasi in figura Comitiorum agebat (§. 12) quae praesentiam requirebant. Nam et ipse testator in comitiis teste populo testamentum scribere vel condere et nuncupare debebat: THEOPHILVS *L. 2. Inst.*

ARGUMENTVM.

§. 1. 95. Neque adoptare, neque adrogare quis absens, nec per alium eiusmodi solennitatem peragere potest. *L. 25. §. 1. b.*

DEFINITIO.

96. Extraneus est, qui vinculo potestatis et agnationis familiae iunctus non est, *L. 6. ff. De ventre in possess. mitt.*

ARGUMENTVM.

97. Filius per emancipationem extraneus efficitur (*L. 1. tit. 6. §. 33. 34*) eius familiae, a qua exiit.

DEFINITIO.

98. Familia est plurium personarum sub eiusdem adscendentis vel patris-familias potestatem collectio.

DEFINITIO.

99. Nepos est descendentium in eadem familia persona secundae generationis.

ARGUMENTVM.

100. Qui ab extraneo adoptatur, non est in familia mea. (§. 96)

POSITIO.

Julian. L. 70. Dig. L. 26. 101. Quem filius meus emancipatus adoptauerit, is nepos meus non erit. *L. 26. b.*

PROBATIO.

Filius meus emancipatus non est in familia mea, et est extraneus (§. 196) et qui ab extraneo adoptatur, non magis est in familia mea (§. 100) et per hoc nec nepos meus (§. 99) quoniam autem, quem filius meus emancipatus adoptavit, ab extraneo adoptatus est: (§. 97) ideo, qui a filio meo emancipato adoptatus est, nepos meus non est.

ARGUMENTVM.

Id. L. 85. Dig. L. 27. 102. Ex adoptiuo natus, adoptiui locum obtinet (in) iure ciuili *L. 27. b.* nam non participat de sanguine. (§. 87)

ARGUMENTVM.

Caius L. 1. Inst. L. 28. 103. Quoniam emancipatio voluntate patris fit (*L. 1. tit. 6. §. 33*) hinc Liberum arbitrium est ei, qui filium et ex eo nepotem in potestate habebit, filium quidem potestate demittere, nepotem vero in potestate retinere: vel ex diuerso, filium quidem in potestate retinere, nepotem vero manumittere: vel omnes sui iuris efficere. Eadem et de pronepote dicta esse, intelligemus. *L. 28. b.* Est enim pater familias princeps et dominus familiae (*L. 1. tit. 6. §. 9*) eiusque liberrimum habet arbitrium. (*L. 1. tit. 1. §. 188*)

ARGUMENTVM.

Callistrat. L. 2. Inst. L. 29. 104. Quoniam adoptio est filii patris voluntate in aliam familiam facta translatio (§. 1. 2) sequitur, quod Si pater naturalis loqui quidem non possit, alio tamen modo, quam sermone manifestum facere possit, velle se filium suum in adoptionem dare: perinde confirmatur adoptio, ac si iure,

fi iure, (per solennia imaginariae venditionis formulis cautionibusque diserte enunciatis (L. I. tit. 6. §. 34. in f.) facta esset. L. 29. b. (L. I. tit. I. §. 213)

ANNOTATIO.

105. Referri hic meretur locus GELLII L. 5. c. 19. *Adoptantur autem, cum a parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure ceduntur, atque ab eo qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, vindicantur.* Mancipationes singulas vel eodem die, vel discretis temporibus fieri potuisse, testatur PAVLVS *Sens. L. 2. tit. 25. v. 2.* Addatur CAIVS *Inst. L. I. tit. 6. §. 4. (L. I. tit. 6. §. 34)*

ARGUMENTVM.

106. Adoptio est remedium subsidiarium generationis praeclusae (L. I. tit. 6. §. 15) ergo: Et qui vxores non habent, filios adoptare possunt. L. 30. b.

Paulus L. 1. Reg. L. 30.

ARGUMENTVM.

107. Non potest filius, qui est in potestate patris, vilo modo compellere eum, ne sit in potestate: siue naturalis, siue adoptiuus. L. 31. b. Nam emancipatio arbitrii paterni est. (L. I. tit. 6. §. 33)

Marcian. L. 5. Reg. L. 31.

ANNOTATIO.

108. Nonnunquam autem impubes, qui adoptatus est, audiendus erit, si pubes factus emancipari desideret. L. 32. b. Nam adultiore aetate demum auersationem a patre adoptiuo recte sentire potest: at haec adoptionem impedit. (§. 19)

Papin. L. 31. Quaest. L. 32.

ARGUMENTVM.

109. Quando pubes petit, vt emancipetur, non praesumitur bene petere. Aut enim iudicium populi vel magistratus accusat, aut patris naturalis, qui praesumitur eum filio patrem dedisse, quem ei habere expediebat. Audiendus autem est ob adoptionis cum natura similitudinem: Idque caussa cognita per iudicem statuendum erit. L. 32. pr. b. (§. 61)

ARGUMENTVM.

110. Propter sanctissimam affectionem et affinitatis necessitudinem Imperator Titus Antoninus rescripsit: priuignum suum tutori adoptare permittendum L. 32. §. 1. b. (§. 57)

§. 1.

ANNOTATIO.

III. Et si pubes factus, non expedire sibi in potestatem eius redigi probauerit: aequum esse emancipari eum a patre adoptiuo, atque ita pristinum ius recipere. L. 33. b. (§. 109)

Marcian. L. 5. Reg. L. 33.

ARGUMENTVM.

112. (Quaesitum est) si tibi filius in adoptionem hac lege sit datus, vt post triennium puta eundem mihi in adoptionem des: an actio vlla sit: et Labeo putat, nullam esse actionem. Nec enim moribus nostris conuenit, filium temporalem habere. L. 34. b. (§. 12)

Paul. L. 11. Quaest. L. 34.

OBSERVATIO.

113. Senatorium ordinem more solito amittebat senator, si censoria nota senatu motus esset. C. SIGONIVS *de ant. Iure Rom. P. 1. c. 16.*

ARGUMENTVM.

Id. L. 1. Resp.
L. 35.

114. Cum non definit, quod non contrario fiendi modo definit (L. 1. tit. 1. §. 153.) ideo Per adoptionem dignitas non minuitur: sed augetur. (quoniam ad imitationem naturae (L. 1. tit. 5. §. 50) adoptiui liberi patrem sequuntur) vnde senator, et si a plebeio adoptatus est, manet senator: similiter manet et senatoris filius. *L. 35. h.* Sed et dignitas extra familiam est (L. 1. tit. 6. §. 25) qui fauor in fauorabilibus extenditur. (L. 1. tit. 1. §. 239) non in odiosis, vt plebeius a senatore adrogatus senatoris filius non fiat.

REGVLA.

115. Facultas personae cohaerens personam vbique comitatur: vbi populus, ibi comitia et forum.

ARGUMENTVM.

Id. L. 18. Resp.
L. 36.

116. Emancipari filium a patre quocunque loco posse, constat, vt exeat de patria potestate. *L. 36. pr. b.* Quia emancipatio saltem fori figuram non comitorum requirit. (L. 1. tit. 6. §. 34) populus non fiebat auctor: concio tantum erat testis. Quandoquidem venditio filii iure gentium agnita (L. 1. tit. 6. §. 9. et tit. 7. §. 29) auctore populo opus non habebat (L. 1. tit. 7. §. 12) nec etiam iure naturae aduersante emancipatio fiebat. (L. 1. tit. 1. §. 164)

ARGUMENTVM.

117. Apud proconsulem etiam in ea prouincia, quam fortitus non est, et manumitti et in adoptionem dari posse, placet. *L. 36. §. 1. b.* Quia actione legis pollet: comitia et forum vbique sunt, vbi ipse est. (§. 115)

ARGUMENTVM.

Id. L. 2. Sens.
L. 37.

118. Quia nepos naturaliter in patria potestate retinetur mortuo filio: ideo Adoptare quis nepotis loco potest, etiam si filium non habet. *L. 37. pr. b.* (L. 1. tit. 6. §. 15.)

ARGUMENTVM.

§. 1.

119. Eum, quem quis adoptauit, emancipatum, vel in adoptionem datum, iterum non potest adoptare. *L. 37. §. 1. h.* Quoniam maiestate populi indignum erat, auctoritatem suam infirmare. Aliud obseruatur in filii naturalis emancipatione, quem adoptare patri licebat (§. 32) Etenim in emancipatione populus auctor non fiebat, sed concio tantum erat testis (§. 116) vnde auctor fieri poterat ad adoptionem confirmare sine erroris argumento vel leuitatis nota.

DEFINITIO.

120. Princeps est, cui populus Romanus omne imperium reipublicae legumque potestatem lege commisit. (L. 1. tit. 4. §. 2.)

ANNOTATIO.

121. Quantum princeps valuerit, legis regiae vel vnicus articulus demonstrat, quo cauetur: *Vtique, quaecunque ex usu reipublicae, maiestate, diuinarum, humanarum, publicarum priuatarumque rerum esse censabit, ei agere ius potestaque sit.* GRAVINA de Romano Imp. §. 24. Addatur (L. 1. tit. 4. §. 1) cum quibus, quomodo consistere possint quae GRAVINA De Rom. Imp. §. 3. et GER. NOODT Obseru. L. 1. c. 3. adserunt, non capio.

ARGV-

A R G V M E N T V M.

122. Adoptio non iure facta, a Principe confirmari potest. *L. 38. b. Marcell. L. 26. Dig. L. 38.*
 (§. 120) vt: adoptio in testamento facta: *Caesaris deinde testamentum apertum est, quo C. Octauium nepotem Sororis Suae Iuliae adoptabat. VELLEIVS PATERC. L. 2. haec ipsa adoptio comitiis curiatis confirmata fuit.*

A R G V M E N T V M.

123. Nam ita Diuus Marcus Eutyichiano rescripfit: Quod desideras, an impetrare debeas, aestimabunt iudices, adhibitis etiam his, qui contradicent: id est, qui laederentur confirmatione adoptionis. *L. 39. b. Vlp. L. 3. de Off. Conf. L. 39. (§. 61)*

A N N O T A T I O.

124. Adrogato patrefamilias, liberi, qui in eius erant potestate nepotes apud adrogatorem efficiuntur: simulque cum (suo) patre in eius recidunt potestatem (§. 10) quod non similiter in adoptione contingit: nam nepotes ex eo in aui naturalis retinentur potestate. *L. 40. pr. b. quia restrictiue egit (L. 1. tit. 1. §. 225) Modest. L. 1. Different. L. 40.*

A R G V M E N T V M.

125. Non tantum cum quis adoptat, sed et cum adrogat, maior esse debet eo, quem sibi per adrogationem vel per adoptionem filium facit: et vtique plenae pubertatis, id est decem et octo annis (eum) praecedere debet. *L. 40. §. 1. b. (§. 48) §. 1.*

A R G V M E N T V M.

126. Haerodem suum sibi adsciscere potest, qui filium adrogare potest, eumque loco liberorum habere, vt se mortuo sui iuris fiat. (§. 27)

P O S I T I O.

127. Spado adrogando suum haerodem sibi adsciscere potest: nec et corporale vitium impedimento est. *L. 40. §. 2. b. §. 2.*

P R O B A T I O.

Qui potest adrogare, is filium in potestatem suam potest redigere, eumque illo loco liberorum habere vt se mortuo sui iuris fiat (§. 126) adeoque et suum haerodem sibi adsciscere potest. (§. 27) Quoniam autem spado adrogare potest (§. 9) idcirco etiam adrogando suum haerodem sibi adsciscere potest.

A R G V M E N T V M.

128. Qui suos haeres fit, non recidit in alienam potestatem patre suo mortuo, cui immediate loco descendens est: fit enim sui iuris (§. 27) atqui verum est, quod nepos, cuius pater est emancipatus, auo suo, in cuius potestate remansit, haeres suus fiat: vnde Si pater filium, ex quo nepos illi est in potestate, emancipauerit, et postea eum adoptauerit, mortuo eo nepos in patris non reuertitur potestatem; nec is nepos in patris reuertitur potestatem, quem auus retinuerit filio dato in adoptionem, quem denuo redadoptauit. *L. 41. b. Id. L. 2. Reg. L. 41.*

ARGUMENTVM.

*Id. L. 1. Pand.
L. 42.*

129. Datio in adoptionem fit vi patriae potestatis (§. 1) ergo Etiam infantem in adoptionem dare possumus. *L. 42. b.*

ANNOTATIO.

*Pomp. L. 20.
ad Qu. Mus.
L. 43.*

130. Adoptiones non solum filiorum, sed et quasi nepotum fiunt: vt aliquis nepos noster esse videatur, perinde quasi ex filio vel incerto natus sit. *L. 43. b. (§. 118)*

ARGUMENTVM.

131. Quae personae non in eadem familia sunt, inter eas cognatio non est. (*§. 85*)

ARGUMENTVM.

132. Quorum nepotum alter non in patriam potestatem recidit mortuo aucto communi, hi non amplius sunt in eadem familia (*§. 98*)

ARGUMENTVM.

133. Quando duo nepotes sunt, quorum alter ex filio est, alter vero non quasi ex filio adoptatus fuit (§. 130): horum alter sui iuris fit (§. 27) alter in potestatem patris sui recidit. (*L. 1. tit. 6. §. 14.*)

POSITIO.

*Proculus L. 8.
Epist.
L. 44.*

134. Si is, qui nepotem ex filio habet, in nepotis loco aliquem adoptauit: non puto mortuo aucto iura consanguinitatis inter nepotes futura esse. *L. 44. b.*

PROBATIO.

Nepotum horum mortuo aucto alter in potestatem patriam recidit, alter sui iuris efficitur (§. 132) vnde in eadem familia mortuo aucto non sunt. (§. 131) et quoniam inter eas personas iura consanguinitatis tantum durant, quae in eadem familia sunt: (§. 89. 90) Ergo inter dictos nepotes mortuo aucto iura consanguinitatis non consequuntur.

ANNOTATIO.

135. Sed si sic adoptauit, vt etiam iure legis nepos suus esset, quasi ex Lucio, puta filio suo et ex matrefamilias eius natus esset: contra puto. *L. 44. b.* Ratio euidens est, quia in filii Lucii, tanquam patris potestatem recidit, et in familia manet: licet non consanguinitas, tamen iura consanguinitatis, ad imaginem naturae seruantur.

REGVLA.

136. Nemo fructum doli sui capere debet.

REGVLA.

137. Quod contra aequitatem, pietatem, honestatem, fidem vel ius est, iure impossibile habetur.

ARGUMENTVM.

138. Quod ergo quis inique habet (*L. 1. tit. 1. §. 220*) vel petit, ei est extorquendum vel negandum. (*§. 136*)

REGVLA.

139. Qui commodum rei percipit, eum commodi onus sequi aequum est. (L. I. tit. I. §. 219)

ARGVMENTVM.

140. Onera eius, qui in adoptionem datus est, ad patrem adoptivum transferuntur. L. 45. b. Qui commodum omnium percipit quae filii sunt. (§. 39) Paul. L. 3. ad L. Iul. et Papp. L. 45.

ARGVMENTVM.

141. In servitute mea quaesitus mihi filius in potestatem meam redigi beneficio principis potest. L. 46. b. (§. 120. 121) Vlp. L. 4. ad L. Iul. et Papp. L. 46.

ARGVMENTVM.

142. Libertinum tamen eum manere non dubitatur. L. 46. b. quia arrogatio ingenuum non facit. (L. I. tit. 5. §. 74)

DE

DIVISIONE RERVM ET QVALITATE.

TITVLVS VIII

OBSERVATIO.

1. Summa rerum diuisio in duos articulos deducitur: nam aliae sunt diuini iuris, aliae humani. Diuini iuris sunt, veluti res sacrae et religiosae: sanctae quoque res, veluti muri et portae quodammodo diuini iuris sunt. L. 1. pr. b. Cai. L. 2. Inst. L. 1.

ANNOTATIO.

2. Quid res sit, supra (L. I. tit. I. §. 188) definitum est. Sic libertas percipitur tanquam ens quod usum et acquisitionem recipit, et cui ius externe statui potest, cum alia sit in ingenuis, alia in libertinis: propterea res esse intelligitur: L. 53. ff. De fideicomm. libertat. Ea de caussa in verbis cautionis ab arrogatore praestandae: ad quos ea res pertinet; libertatibus, tabulis substitutionis relictis prospicitur: quare libertas rei nomine venit. L. 19. ff. De adopt.

DEFINITIO.

3. Res sacra est, quae Deo per pontifices rite consecrata, et communi hominum iuri publice exempta est. L. 8. I. De R. D. L. 6. §. 3. ff. eod.

ANNOTATIO.

4. Sacrum est, ut Trebatius libro 1. de religionibus refert, quidquid est quod deorum habetur. MACROBIVS Saturnal. L. 3. Et sacer alicui deorum fiebat, id est, omnis humani iuris expers, et quasi immolandus, qui leges plebis sacratas, durante secessione latas violauerat. FESTVS de V. S. voce: sacrosanctum.

DEFINITIO.

5. Res religiosa est, quae priuato arbitrio et iure diis manibus vel Diti est relictæ.

ANNO-

ANNOTATIO.

6. A relinquendo religiosum adpellatum esse, traditum est. MACROB. *Saturnal. L. 3.* Crediderunt Stoici, animas post mortem circa corpus morari, diuque cum ipso habitare: proinde manibus sepulchra, quasi habitationi animarum relicta sunt. Quod autem ita relictum erat, repositum et a commercio hominum semotum esse volebant. Relictione et abstentione eiusmodi priuata res sacra non fiebat, quamuis per occupationem deorum manium, siue animarum diuini iuris facta credita fuerit: sacra enim priuata nemo sibi efficere vel habere poterat. PAVLVS *L. V. Sentent. tit. 21.* et quod quis rei suae priuatae religionis causa deo dedicauerat, pontifices non aestimabant sacrum. FESTVS *de V. S. voce: sacer. L. 6. §. 3. ff. h. t.* Religiosa autem priuata auctoritate illatione cadaveris effecta sunt. *Cit. l. 6.*

DEFINITIO.

7. Res sancta est, quae a Deo quodam tutelari obiri atque custodiri creditur.

ANNOTATIO.

8. Urbibus, moeniis portisque deos suos custodes attribuerunt Romani, quos ex obsecris soleanni ritu et carmine euocare solebant, cum spes erat eas capi posse. Ipsi autem Romae deum tutelarem inter occultissima arcana habuerunt, ne vnquam simili incantamento euocaretur. MACROB. *L. 3. Saturn. c. 9.* Hinc VIRGILIUS ait:

*Excessere omnes aditis arisque relictis
Dī quibus imperium hoc steterat.*

Ex his coniectura magis quam certa scientia, res sanctas definitio: nam et antiqui auctores saltem vage descripserunt quid sanctum sit. FESTVS *de V. S. voce sanctum: Opilius Aurelius sanctum dici ait, quod nec sacrum est, nec religiosum: at Aelius Stilo, quod vtrumque esse videatur: plerique, quod ei, qui violauit poena sit multaeque sancita: Conf. L. 8. pr. ff. h. t.* Legati, et per legem Hortensiam magistratus quoque sacrosancti erant: id est: sanctione poenali inuiti, qua sacer esse iuebatur, qui eos violasset. LIVIUS *L. 2. DIENYSIUS HAL. L. 5.*

ARGUMENTVM.

9. Quare res sacrae, sanctae, religiosae diuini iuris sunt. (§ 1)

ARGUMENTVM.

10. Quod autem diuini iuris est, id nullius in bonis est. *L. 1. pr. b.*

OBSERVATIO.

11. Id vero quod humani iuris est, plerumque alicuius in bonis est, potest autem et nullius in bonis esse: nam res haereditariae antequam aliquis haeres existat, nullius in bonis sunt. *L. 1. pr. b.*

ANNOTATIO.

12. Hae autem res quae humani iuris sunt, aut publicae sunt, aut priuatae. *L. 1. pr. b.*

DEFI-

DEFINITIO.

13. Quae publicae sunt, nullius (priuati) in bonis esse creduntur: (ipsum enim vniuersitatis esse creduntur.) *L. 1. pr. b.*

DEFINITIO.

14. Priuatae autem sunt, quae singulorum sunt. *L. 1. pr. b.*

DEFINITIO.

15. Res corporalis est, quae spatio et numero percipitur tanquam existens.

ANNOTATIO.

16. Quaedam praeterea res corporales sunt, quaedam incorporales: corporales hae sunt, quae tangi possunt (quae sensu percipi possunt) veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, et denique aliae res innumerabiles. *L. 1. §. 1. b.*

§. 1.

DEFINITIO.

17. Res incorporalis est, quae rei corporali accedit, et per hoc existere percipitur.

ANNOTATIO.

18. Incorporales (res) sunt, quae tangi non possunt, qualia sunt ea, quae in iure consistunt: sicut haereditas (ius haereditarium) vsusfructus, obligationes quoquo modo contractae (consensu vel delicto vel facto alio) nec ad rem pertinet, quod in haereditate res corporales continentur: (nam) et fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt: et id quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerumque corporale est: veluti fundus, homo, pecunia. Nam ipsum ius haereditatis, et ipsum ius vtendi fruendi, et ipsum ius obligationis incorporale est. Eodem numero sunt (et) iura praediorum vrbano- rum et rusticorum, quae et seruitutes vocantur. *L. 1. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

19. Hoc argumento Ictus videtur respondere *SENECAE L. 6. de beneficiis c. 15.* *Istae, inquit, iureconsultorum acutae nugae sunt, qui haereditatem negant vsucapi posse, sed ea, quae in haereditate sunt: tanquam quidquam aliud sit haereditas, quam ea, quae in haereditate sunt.*

OBSERVATIO.

20. Quaedam naturali iure communia sunt omnium, quaedam vniuersitatis, quaedam nullius, pleraque singulorum, quae variis ex causis cuique adquiruntur. *L. 2. pr. b.*

Marcian. L. 2. Inst. L. 2.

ANNOTATIO.

21. Et quidem naturali iure omnium communia sunt illa: aer, aqua profluens et mare, et per hoc littora maris. *L. 2. §. 1. b.* (*L. 1. tit. 1. §. 177*) Nam et eodem nomine maris aqua et littora nominantur.

§. 1.

ANNOTATIO.

22. Item lapilli, gemmae, caeteraque, quae in littore inueniuntur, iure naturali statim nostra fiunt. *L. 3. b.* Quoniam de littore sunt et nullius. (*L. 1. tit. 1. §. 175*)

Florent. L. 6. Inst. L. 3.

ARGUMENTVM.

Marcan. L. 3.
Inst.
L. 4.

23. Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur piscandi causa. L. 4. pr. b. Etenim pisces in mari sunt communes. (L. 1. tit. 1. §. 180)

POSITIO.

24. Dum tamen villis et aedificiis et monumentis absteineatur. L. 4. pr. b.

PROBATIO.

Villae, aedificia et monumenta in littore maris quantumvis posita, praesumptive sunt res alterius propriae, (L. 1. tit. 1. §. 184) dum vero a re alterius propria abstinendum sit: (lb. §. 182) ideo villis, aedificiis et monumentis in maris littore extractis, abstinendum est.

DEFINITIO.

25. Accessio est rei ad rem, tanquam partis ad totum adiectio.

DEFINITIO.

26. Principale est, sine quo alterum non subsistit, et cuius nomen recipiunt, quae accedunt.

ANNOTATIO.

27. Textus quoque rationem superioris positionis reddit: *Quia non sunt iuris gentium sicut et mare: idque et Diuus Pius piscatoribus Formianis et Capenatis rescriptis.* Aedificata in littore maris accedunt quidem littori, non tamen tanquam accessorium eiusdem naturae et iuris fiunt: (L. 1. tit. 5. §. 69) quoniam illico ab aedificante censentur occupata. (L. 1. tit. 1. §. 184)

ARGUMENTVM.

§. 1.

28. Sed et flumina paene omnia et portus publica sunt. L. 4. §. 1. b. (§. 13)

ARGUMENTVM.

Cai. L. 1. rer.
quot. f. aur.
L. 5.

29. Riparum usus publicus est iure gentium: sicut ipsius fluminis. L. 5. pr. b. Nam ripa pars fluminis est, et eiusdem iuris esse censetur, (L. 1. tit. 5. §. 69) quemadmodum litora maris, (§. 21) quousque aqua nondum plene recedit.

ARGUMENTVM.

30. Itaque nauem ad eas appellere, funes ex arboribus ibi natis religare, retia ficare et ex mari reducere, onus aliquid in his reponere cuilibet liberum est: sicuti per ipsum flumen nauigare. L. 5. pr. b. (§. 29)

ANNOTATIO.

31. Notat CUIACIUS ad *Institutionum libri 2. tit. 1.* ad vocem: *religare*: quod in nostro textu male addatur; *retia ficare et ex mari reducere*: rectiusque in dicto titulo *Institutionum* haec verba ad litorum usum translata esse. Verumtamen et ex mari retia in ripam fluminis reduci possunt, ubi flumen in mare delabitur.

ANNOTATIO.

32. Commune et publicum differunt in hoc, quod illud sit nullius, hoc autem

autem in alicuius, nempe vniuersitatis, dominio: vsu faltem omnibus concesso.

ARGVMENTVM.

33. Quoniam ripa praediis priuatorum tanquam pars adhaeret, vsus quidem earum publicus est: sed proprietas illorum est, quorum praediis haerent. *L. 5. pr. b. (§. 29) (L. I. tit. 5. §. 69)*

ARGVMENTVM.

34. Qua de caussa arbores quoque in his natae eorundem sunt. *L. 5. pr. b. (L. I. tit. 5. §. 69)*

ARGVMENTVM.

35. In mare piscantibus liberum est casam in litore ponere, qua se recipiant. *L. 5. §. 1. b. Sunt enim litora communia. (§. 21)* §. I.

POSITIO.

36. In tantum, vt et soli domini constituentur, qui ibi aedificant. *Marcianus L. 6. Inst. L. 6.*

PROBATIO.

Quando in solo litoris aedificium collocatur, solum aedificio accedit, et aedificii nomine continetur, (§. 26) quia vero accessorium eiusdem iuris est cuius est principale, (L. I. tit. 5. §. 69) et aedificium aedificantis est, (L. I. tit. I. §. 181) ergo soli in littore domini efficiuntur, qui ibi aedificant.

ARGVMENTVM.

37. Sed quamdiu aedificium manet: alioquin aedificio dilapso, quasi iure postliminii reuertitur in pristinam caussam. (Non amplius aedificii pars solum istud est, sed fit litus: ergo iure commune est) et si alius in eodem loco aedificauerit, eius fiet. *L. 6. pr. b. Commune enim et quod nullius est, cedit occupanti. (L. I. tit. I. §. 175)*

DEFINITIO.

38. Vniuersitas est plurium hominum in idem corpus, vel plurium corporum in eandem ciuitatem collectio.

ANNOTATIO.

39. Vniuersitatis sunt, non singulorum, veluti quae in ciuitatibus sunt theatra et stadia et similia, et si qua alia sunt communia ciuitatis. *L. 6. §. 1. b.* §. I.

ARGVMENTVM.

40. Ideoque nec seruus communis ciuitatis singulorum pro parte intelligitur, sed vniuersitatis. *L. 6. §. 1. b. (§. 39)*

OBSERVATIO.

41. Prouerbum Romanis fuit: Omnis seruus hostis: **MACROBIUS Saturnal. L. 1. c. 10.** et **THEOPHILVS:** natura seruus hostis domini. Hinc testimonium eius contra dominum suspectum: sed et pro domino, cuius gratiam venari cogitur, vel vindictam timere potest.

ARGVMENTVM.

42. Et ideo tam contra ciuem quam pro eo posse seruum ciuitatis torqueri, Diui fratres rescripserunt. *L. 6. §. 1. b. (§. 41)*

DEFINITIO.

43. In ius vocatio est rei contumacis publica ad tribunal facta euocatio, violenta protractio, iuris controuersi experiundi caussa.

ARGUMENTVM.

44. Hinc in ius absque venia a praetore impetrata vocari non poterant personae, quibus vocans reuerentiam debebat, aut quas vocare pudor vetabat: nec actio infamans in eos intentari poterat.

OBSERVATIO.

45. Libertas inaeestimabilis res est.

ARGUMENTVM.

46. Ergo libertus domino suo pristino reuerentiam et obsequia debuit, cuius beneficio liber factus fuerat, cuiusque libertus erat.

POSITIO.

47. Ideo et libertus ciuitatis non habet necesse veniam edicti petere, si vocet in ius aliquem ex ciuibus. *L. 6. §. 1. h.*

PROBATIO.

Libertus vniuersitatis non est singulorum ciuium libertus, (§. 40) quibus singulis adeo nec reuerentiam debet, (§. 46) prohibentur autem solum sine venia in ius vocare, qui reuerentiam vocandis personis debent. (§. 44) Eapropter libertus vniuersitatis singulos ciues in ius sine venia edicti vocare potest.

ARGUMENTVM.

§. 2. 48. Sacrae res et religiosae et sanctae in nullius bonis sunt. *L. 6. §. 2. b. (§. 9. 10)*

ANNOTATIO.

§. 3. 49. Sacrae autem res sunt hae, quae publice consecratae sunt, non priuate. Si quis ergo priuatim sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum. *L. 6. §. 3. b. (§. 3. 4. 6)*

ARGUMENTVM.

50. Semel autem aede sacra facta etiam diruto aedificio locus sacer manet. *L. 6. §. 3. b. (§. 3)* Nam et locus nisi euocatione religionis et exauguratione, profanus fieri non potuit. *RAEVARDVVS Coniectan. L. 2. c. 17.*

ANNOTATIO.

51. Aedes siue templum vouebatur deo ab illo qui condere volebat: *MACROBIVS Saturn. L. 3. c. 9.* deinde definiebatur, id est, locus designabatur: post dedicabatur conditum: demum a pontificibus consecrabatur. *Fragmenta XII. Tab. De Augur.* Ergo locus diis deuotus et humanis rebus exemptus sacer mansit.

ARGUMENTVM.

§. 4. 52. Religiosum autem locum vnusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. *L. 6. §. 4. b. (§. 6)*

DEFINITIO.

53. Commune est, cuius administratio, vsus et libera dispositio plurium simul est.

ARGV-

ARGVMENTVM.

54. In commune autem sepulchrum etiam inuitis caeteris licet (mortuum) inferre. *L. 6. §. 4. b. (§. 53)*

DEFINITIO.

55. Licitum est, quod sine iniuria legis vel alterius fit.

REGVLA.

56. Volenti non fit iniuria. (*L. 1. tit. 1. §. 119*)

ARGVMENTVM.

57. Igitur iniuria non fit, quando mortuus in locum alienum volente domino infertur.

ARGVMENTVM.

58. Libertas imminuitur, et iniuria infertur, quando homini libero externe lex ponitur, in quam non consensit. (*L. 1. tit. 1. §. 119*) *L. 1. tit. 5. §. 5*

POSITIO.

59. Sed et in locum alienum concedente domino inferre licet. *L. 6. §. 4. b.*

PROBATIO.

Quando consentiente domino mortuus in locum eius infertur, domino non infertur iniuria. (§. 58) Quoniam autem id licet, quod sine iniuria alterius fit (§. 55) sequitur, quod in locum alienum concedente domino liceat inferre mortuum.

DEFINITIO.

60. Ratihabitio est declaratio voluntatis consequentis per dominum negotii facta, quod ab alio domini periculo peractum est.

DEFINITIO.

61. Mandatum est contractus verus, nominatus, consensualis et bonae fidei, quo negotium suae facultatis alteri volenti gratis expediendum committitur.

ARGVMENTVM.

62. Mandans ergo confidit in integritate et dexteritate mandatarii.

REGVLA.

63. Ratihabitio aequipollet mandato, et consensui.

ARGVMENTVM.

64. Et licet postea ratum habuerit quam illatus est mortuus, religiosus locus fit. *L. 6. §. 4. b. (§. 59)*

DEFINITIO.

65. Cenotaphium est monumentum purum et inane. *L. 42. ff. De religiofir. honorarium, memoriae et pompae gratia extructum, ad quod Manes aduocare solitum erat. VIRGILIUS Aen. L. 3.*

Manesque vocabat

Hecforeum ad tumulum: viridi quem cespide inanem.

ARGUMENTVM.

§. 5. 66. Cenotaphium quoque magis placet locum esse religiosum (quia manibus dedicatum (§. 65) sicut testis in ea re est Vergilius. L. 6. §. 5. b. Sed Diui fratres contra rescripserunt. L. 7. b. quia manibus cenotaphium non infeditur. (§. 6) Nulla tamen hic Antinomia a compilatoribus commissa est, qui priorem sententiam historice relatam, altera Imperatorum sustulerunt. Multo minus ex hoc textu euinci potest, ius sibi non constare, nullaque ratione niti; nam rationes pro vtraque sententia militantes hic loci fere aequiponderant.

Vlp. L. 25. ad Ed. L. 7.

DEFINITIO.

Mar. L. 4. 67. Sanctum est, quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est. L. 8. pr. b.

Reg. L. 8.

ANNOTATIO.

§. 1. 68. Sanctum autem dictum est a sagminibus, sunt autem sagmina quaedam herbae, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quiseos violaret, sicuti legati Graecorum ferunt ea, quae vocantur cerycia. L. 8. §. 1. b.

ANNOTATIO.

69. FESTVS in voce sagmina. *Sagmina vocantur Verbenae, id est, herbae purae, quia ex loco sancto arcebantur a Consule Praetoreue legatis proficiscentibus ad foedus faciendum bellumue indicendum.*

ANNOTATIO.

70. In municipiis quoque muros esse sanctos, Sabinum recte respondisse, Cassius refert: prohiberique oportere, ne quid in his immitteretur. L. 8. §. 1. b. Necessesse ergo est, vt et his dii tutelares fuerint. (§. 7)

OBSERVATIO.

71. Inter dedicationem et consecrationem interest. Dedicatur Deo, quod ipsi ex voto debetur; consecratur autem, quod profanum est. CORNELIVS FRONTO.

DEFINITIO.

Vlp. L. 68. ad Ed. L. 9. 72. Sacra loca sunt, quae publice sunt dedicata: siue in ciuitate sint, siue in agro. L. 9. pr. b. (§. 51. 71)

ARGUMENTVM.

§. 1. 73. Sciendum est, locum publicum tunc sacrum fieri posse, cum princeps (L. 1. tit. 7. §. 120) eum dedicauit, vel dedicandi dedit potestatem. L. 9. §. 1. b. vt praefidi prouinciae.

ANNOTATIO.

§. 2. 74. Illud notandum est, aliud esse sacrum locum, aliud sacrarium. Sacer locus est consecratus: sacrarium est locus, in quo sacra reponuntur, quod etiam in aedificio priuato esse potest: et solent, qui eum locum religione liberare volunt, sacra inde euocare. L. 9. §. 2. b. (§. 50)

A N N O T A T I O.

75. Oportet hanc aliam esse euocationem quam illam (§. 8)

A N N O T A T I O.

76. Proprie dicimus sancta, quae neque sacra neque profana sunt, sed sanctione quadam sunt confirmata: vt leges sanctae sunt: sanctione enim quadam sunt subnixae: quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi Deo non sit consecratum: et interdum in sanctionibus adiicitur: vt qui ibi aliquid commisit, capite puniatur. L. 9. §. 3. b.

§. 3.

A N N O T A T I O.

77. Variarunt Grammatici de significatione vocis *sanctum*. (§. 8) Alia forsan ratione moenia et portae sancta dicta sunt, alia iterum legati et leges. Leges etiam sacrae dicuntur, quibus sanctum fuerat, qui quid aduersus eas fecisset, vt sacer alicui Deorum esset cum familia pecuniaque. Alias sacras leges eas appellarunt, quas plebs iurata in monte sacro sciuerat. FESTVS de V. S. voce: *sacro sanctum*.

A R G V M E N T V M.

78. Muros autem municipales nec reficere licet sine principis vel praefidis auctoritate, nec aliquid eis coniungere vel superponere. L. 9. §. 4. b. Habuit enim potestatem rerum diuinarum. (L. 1. tit. 7. §. 121)

§. 4.

D E F I N I T I O.

79. Aestimatio est rei quantae per pretium, ad vsum hominum relatum, repraesentata aequalitas.

A R G V M E N T V M.

80. Igitur Res sacra non recipit aestimationem. L. 9. §. 5. b. Nam rebus humanis exempta quanta dici nequit (§. 79)

§. 5.

A R G V M E N T V M.

81. Aristo ait, sicut id, quod in mare aedificatum sit, fieret priuatum: ita quod mari occupatum sit, fieri publicum L. 10. b. nam accedit mari (L. 1. tit. 5. §. 61) §. 36. 37)

Pomp. L. 6. ex
Plautio.
L. 10.

A N N O T A T I O.

82. Si quis violauerit muros, capite punitur: sicuti si quis transcendet scalis admotis, vel alia qualibet ratione: nam ciues Romanos aliò quam per portas egredi non licet, cum illud hostile et abominandum sit. Nam et Romuli frater Remus occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit. L. 11. b.

Pomp. L. 2. ex
var. lect.
L. 11.



DE SENATORIBVS.

TITVLVS IX.

ARGVMENTVM.

Vlp. L. 62. ad
Ed.
L. 1.

1. Consulari foeminae vtique consularem virum praefendum esse, nemo ambigit. *L. 1. pr. b. (L. 1. tit. 1. §. 138)*

OBSERVATIO.

2. Praefectus vrbi post Consules primae dignitatis magistratus in vrbe fuit: hic absentibus consulibus aliquando vrbis custodiam, curam et iurisdictionem obtinuit: *LIVIVS L. 1. cap. 59.* Postquam aliquandiu potestas praefectorum praetoribus concessa fuerat, Augustus praefectum vrbi iterum instituit. *SVENTONIV in August. c. 37.* Feriarum Latinarum concipiendarum causa vrbis Praefectus singularis constitutus fuit, qui cum ea aetate esse non debuerit, qua senatorem esse oportebat, nec senator fuit. *MACROBIVS: Saturn. L. 1. l. 16. GELLIVS L. 14. cap. 8.* patricii omnino ordinis fuit: *DIO CASSIVS L. 49. in f.* vbi velut insolitum recenset, quod Caesar causa feriarum ad ludos Veneris praefectos vrbi impuberes, neque hos patricos creauerit. Patricii autem erant, qui ex curiae primae Senatoribus oriundi fuerant. Nam Romulus ab initio centum Senatores legerat, *Dionysius Halic. L. 2. c. 2.* qui maiorum gentium dicti sunt: *PLVTARCHVS in Romulo.* Alii post adlecti sequioris quasi curiae et minorum gentium habiti sunt.

ARGVMENTVM.

3. Sed vir praefectorius, an consulari foeminae praeferatur, videndum? Putem praeferri: quia maior dignitas (est) in sexu virili. *L. 1. pr. b. (L. 1. tit. 1. §. 144)*

ANNOTATIO.

§. 1. 4. Consulares autem foeminas dicimus consularium vxores. (participant enim de familiae dignitate: *(L. 1. tit. 6. §. 11)* Adiicit Saturninus etiam matres: quod nec usquam relatum est, nec vnquam receptum. *L. 1. §. 1. b.*

OBSERVATIO.

5. Censorum officium moribus custodiendis erat constitutum. Multa enim sunt, quae male in republica fiunt, ob quae tamen iudicia prodita non sunt. In haec animaduertendi potestas censoribus concredita fuit. Solebat autem censor propria auctoritate eum notare, quem factum indignum patrasse nouerat. Censoria nota differebat a iudicum sententia, quod censori satis fuerat dixisse: se scire, quid hic vel ille indignum fecerit: iudici vero nihil probatum esse debuit, nisi testibus aut alia ratione manifestum factum esset. Censoris auctoritati stabatur, iudicis iuramento. Censor famam sequebatur, iudex veritatem. *CICERO pro Cluentio.* Defendit ibi, nihil ad infamiam valuisse notam, opinionem

tionem et subscriptionem censorum: nec ullam efficaciam his tribuit, nisi cum re coniunctae, id est, de vera facti turpitudine latae fuerint. Probat porro **FESTVS**, voce: *Praeteriti* quod olim quidem, cum reges senatores legissent, praeteriti in opprobrio non fuerint: sed postea ignominiosos factos, quam lege **Ovinia** Tribunitia sancitum esset, ut censores ex omni ordine optimum quemque curiatim in senatum legerent: quo factum fuerit, ut qui praeteriti essent et loco moti, ignominiosi habiti sint.

DEFINITIO.

6. Iudex est vir bonus, prudens et medius inter litigantes, postulationes eorum secundum ius et aequitatem pensitans, publica auctoritate sententia dirimens.

ARGUMENTVM.

7. Quia secundum ius et aequitatem sententiam iudex ferre debet, studio partium eum vacare oportet. (§. 6)

REGVLA.

8. Nemo in causa propria vel coniuncta potest esse iudex, vel fieri auctor, vel seipsum probare.

ARGUMENTVM.

9. In quo non praesumitur prudentia et integritas, ei non permittitur iudicare. (§. 6)

DEFINITIO.

10. Testis est persona facti controuersi alieni conscia, a qua vera rei gestae series speratur.

ARGUMENTVM.

11. Quare testis esse nequit, a quo facti veritas non speratur.

REGVLA.

12. Nemo in causa propria vel coniuncta potest esse testis.

ARGUMENTVM.

13. Integritas ab eo non speratur, qui propter turpitudinem a senatu motus, nec restitutus est. (L. I. tit. 7. §. 50)

ARGUMENTVM.

14. **Cassius Longinus** non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem senatu motus nec restitutus est, iudicare vel testimonium dicere: (§. 13. 12. 9) nec publica auctoritas in persona turpi consistere debet. (§. 6) quia lex **Iulia** repetundarum hoc fieri vetat. L. 2. *b.*

*Marcell. L. 3.
Dig.
L. 2.*

ANNOTATIO.

15. Censorum opinationi eatenus fides habita fuit, dum contrarium non apparuit. Sic **C. Geta** antea a censoribus **L. Metello** et **Cn. Donitio** senatu motus, ipse denique Censor factus, horum moribus praesuit. **CICERO** pro **Cluentio**. De Lege **Iulia** videatur L. 6. §. 1. ff. De **L. Iulia** repetund.

DEFINITIO.

16. Capitis deminutio est personae ciuilis, status ciuilis et facultatis inde competentis amissio.

ARGUMENTVM.

Modestim. L.
6. Reg.
L. 3.

17. Ea propter Senatorem remotum senatu capite non minui; sed Romae morari, Diuus Seuerus et Antoninus permiserunt. *L. 3. b.* Dignitas enim non est de statu vel persona ciuili (*L. 1. tit. 1. §. 272*) 192)

ANNOTATIO.

18. Censoria nota ignis, aquae tectique interdictionem, id est, deportationem secum non tulit. (*L. 1. tit. 5. §. 49*) et dignitas caput, siue personam ciuilem non afficit (*ib. §. 52*) ergo ius ciuitatis et statum retinebat, qui senatu movebatur. Rescripti vero occasio procul dubio inde orta, quod milites ignominiose missi, ibi morari prohibebantur, vbi Imperator erat. (*L. 2. §. 4. ff. De his qui notantur infamia.*)

REGVLA.

Pomp. L. 12. ex
var. lect.
L. 4.

19. Qui indignus est inferiore ordine, indignior est superiore. *L. 4. b.*

ANNOTATIO.

20. De ordinibus Romanorum, senatorio, equestri, plebeio; item de aliis ex gente, studio vel aliunde defumtis populi distinctionibus, vide C. SIGONIVM *de ant. iure ciuit. Rom. L. 11. PANCIROLV. Thes. var. lect.*

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 1. adL.
Iul. et Papp.
L. 5.

21. Senatoris filium accipere debemus non tantum eum, qui naturalis est, verum adoptiuum quoque: nec intererit, a quo vel qualiter adoptatus fuerit (vtrum a patre senatoris nepotis loco: an arrogatione vel simplici adoptione) nec interest, iam in senatoria dignitate constitutus eum susceperit, an ante dignitatem senatoriam. *L. 5. b.* Sufficit enim filium esse vt quis patrem sequatur. (*L. 1. tit. 7. §. 39*) (*L. 1. tit. 5. §. 50*)

ANNOTATIO.

Paul. L. 2. ad
L. Iul. et Papp.
L. 6.

22. Senatoris filius est et is, quem in adoptionem accepit (§. 21) quamdiu tamen in familia eius manet. *L. 6. pr. b.* (*L. 1. tit. 7. §. 27*)

ARGUMENTVM.

23. Emancipatus vero nomen filii emancipatione amittit. *L. 6. pr. b.* (*L. 1. tit. 7. §. 27.*) Aliter in senatoris filio naturali, de quo intelligenda est lex *7. pr. b. t.* Eodem sensu accipiendus (§. 114. tit. 7. L. 1.)

ARGUMENTVM.

§. 1.

24. A senatore in adoptionem filius datus ei, qui inferioris dignitatis est, quasi senatoris filius videtur. Quia non amittitur senatoria dignitas adoptione inferioris dignitatis: non magis, quam vt consularis desinat esse. *L. 6. §. 1. b.* (*L. 1. tit. 7. §. 114.*)

ANNOTATIO.

25. Verosimile est, etiam adoptiuum senatoris filium in adoptionem plebeio datum (*L. 1. tit. 7. §. 112. 119*) Senatorii ordinis dignitatem retinere, quod in emancipato adoptiuo qui natiuitate plebeius fuerat, aliter obseruabatur (§. 23) Difficile videtur huius rei rationem reddere. Dicerem, filium Senatoris naturalem emancipatum dignitatem retinere iure sanguinis: adoptiuum ideo, quia
Senator

Senator emtori auctor fiebat: *PAVLVS Sent. L. 2. tit. 17.* Dicebat enim in formula emancipationis: *Ego vero hunc filium meum &c.* (L. 1. tit. 6. §. 34) denique adoptium emancipatum senatorium non mansisse, quia familiae ius omne per emancipationem soluebatur. (L. 1. tit. 7. §. 37)

ARGVMENTVM.

26. Emancipatum (naturalem) a patre senatore, quasi senatoris filium haberi, placet. *L. 7. pr. b. (§. 25)*

Vlp. L. 1. ad L. Iul. et Papp. L. 7.

ANNOTATIO.

27. Notat Gothofredus ad hunc locum: *Atqui is in familia non est: et recte.* Iure ciuili senatoris filius non est: Quasi filius tamen habetur, quia natura eius filius est, qui senator est. Militat pro emancipato color quidam, quo casu benignior sententia praeualet. (L. 1. tit. 1. §. 243)

ARGVMENTVM.

28. Item, Labeo scribit, etiam eum, qui post mortem patris senatoris natus sit, quasi senatoris filium esse. Sed eum, qui posteaquam pater eius de senatu motus est, concipitur et nascitur, Proculus et Pegasus opinantur, non esse quasi senatoris filium; quorum Sententia vera est. Nec enim proprie senatoris filius dicetur is, cuius pater senatu motus est antequam iste nasceretur. Si quis conceptus quidem sit, antequam pater eius senatu moueatur, natus autem post patris amissionem dignitatem, magis est, vt quasi senatoris filius intelligatur. *L. 7. §. 1. b.*

§. 1.

ARGVMENTVM.

29. Tempus enim conceptionis spectandum, plerisque placuit. *L. 7. §. 1. b.* Ob fauorem nascendi. (L. 1. tit. 5. §. 20.)

ARGVMENTVM.

30. Si quis et patrem et auum habuerit Senatorem, et quasi filius et quasi nepos Senatoris intelligitur. Sed si pater amiserit dignitatem ante conceptionem huius, quaeri poterit, an quamuis quasi senatoris filius non intelligatur, quasi nepos tamen intelligi debeat, et magis est, vt debeat: vt aui potius ei dignitas profit, quam oblit casus patris. *L. 7. §. 2. b.* (L. 1. tit. 1. §. 249)

§. 2.

ANNOTATIO.

31. Gothofredus notat, obflare *Legem u. C. De quaestione.* per quam dignitas parentum prodest descendentibus vsque ad pronepotes: *si tamen propioris gradus liberos, per quos id priuilegium ad ulteriorem gradum transgreditur, nulla violati pudoris macula adspersit.* Concilio textus: ignominiam, quae priuilegium et exemptionem a quaestionibus adimit, veram et probatam esse debere: at illam, quae dignitati non nocet, censoriam esse, non probatam, iuramento censoris minime munitam (§. 5. 10) quae iuris infamiam non attulit.

DEFINITIO.

32. Vxor est socia vitae, familiae et dignitatis mariti particeps, cum affectu amoris et prolis suscipiendae voto assumta.

ARGUMENTVM.

*Id. L. 6. fideic.
L. 8.*

33. Foeminae nuptae clarissimis personis, clarissimarum personarum appellatione continentur. *L. 8. b.*

ANNOTATIO.

34. Clarissimarum personarum nomine veniunt Senatores, et qui ab ipsis descendebant. LAMPRIDIUS *in Seuero: pag. 212. n. 4. Edit. Sylburg. L. 1. C. De equ. dign. PANCIROLVVS var. Lect. L. 1. c. 3.* Spectabilis dicebatur Praefectus vigilum (L. 1. tit. 15. §. 1) nisi encomium hoc Triboniano debetur: sapit enim aeuum Iustiniani, qui e vigilum praefecto Praetorem plebis fecit. *Nou. 13. Nou. 79. c. 2.*

ARGUMENTVM.

35. Clarissimarum foeminarum nomine senatorum filiae (nuptae) nisi quae viros clarissimos fortitae sunt, non habentur. Foeminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt: parentes vero, donec plebeii nuptiis fuerint copulatae. Tamdiu igitur clarissima foemina erit, quamdiu senatori nupta est vel clarissimo: aut separata ab eo, alii inferioris dignitatis non nupsit. *L. 8. b. (§. 32)*

ANNOTATIO.

36. Vlpianus, qui Alexandri Seueri Imperatoris tempora attigit, videtur respexisse ad huius constitutionem, qua *praefectis praetorii senatoriam addidit dignitatem, ut viri clarissimi et essent et dicerentur: quod antea vel raro fuerat vel omnino non fuerat. - - Alexander autem idcirco senatores voluit esse praefectos praetorio, ne quis non senator de Romano senatore iudicaret.* LAMPRIDIUS *l. cit.* Ideo Vlpianus ait: *Senatori vel clarissimo.*

ARGUMENTVM.

37. Quae ab initio non fuit vxor ex postfacto, et casu patris a senatu remoti; non fit vxor. (L. 1. tit. 5. §. 31)

ANNOTATIO.

38. Dignitatem senatorum et auctoritatem huius ordinis ab omni iniuria defendere necesse erat. *L. 8. ff. De dignit.* ita, vt nuptiae filiae senatoris cum libertino irritae sunt, item senatorii viri cum liberta: idque lege Iulia de maritandis ordinibus cautum est.

ARGUMENTVM.

*Papin. L. 4.
Respons.
L. 9.*

39. Proinde Filiam Senatoris nuptias liberti secutam, patris casus non facit vxorem. (§. 37) Nam quaesita dignitas liberis propter casum patris remoti a senatu auferenda non est. *L. 9. b. (§. 30)* nec hic fauor contra legem Iuliam extentendus (L. 1. tit. 1. §. 245) nec hoc agere conuenit in non fauorabilibus nuptiis illicitis (ib. §. 239)

DEFINITIO.

*Vlp. L. 34. ad
Edict.
L. 10.*

40. Liberos senatorum accipere debemus, non tantum senatorum filios, verum omnes, qui geniti ex ipsis, exue liberis eorum dicuntur: siue naturales, siue adoptiui sint liberi senatorum, ex quibus nati dicuntur. *L. 10. b.*

ARGV-

ARGVMENTVM.

41. Sed si ex filia senatoris natus sit, spectare debemus patris eius conditionem. *L. 10. b.* Non aui, in cuius familia gener non est. (*L. 1. tit. 5. §. 50*)

ARGVMENTVM.

42. Senatores, licet in vrbe domicilium habere videantur, tamen et ibi, vbi oriundi sunt, habere domicilium intelliguntur: quia dignitas domicilii adiectionem potius dedisse, quam (originis domicilium) permutasse videtur. *L. 11. b.* Itaque senator, qui Romae non erat natus, domicilium tam natiuitatis quam dignitatis habuit.

Paul. L. 41. ad Ed. L. 11.

OBSERVATIO.

43. Nuptae prius consulari viro impetrare solent a principe, quamvis perraro, vt nuptae iterum minoris dignitatis viro, nihilominus in consulari maneant dignitate: vt scio Antonium Augustum Iuliae Mamaeae consobrinae suae indulgisse. *L. 12. pr. b.* (*L. 1. tit. 7. §. 120*)

Vlp. L. 2. de Cens. L. 12.

DEFINITIO.

44. Senatores autem, accipiendum est eos, qui a patriciis et consulibus vsque ad omnes illustres viros descendunt: quia (et) hi soli in senatu sententiam dicere possunt. *L. 12. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

45. Accusatur Tribonianus, quod huic legi manum admoerit. *VVLTEII Iurispr. Rom. L. 1. c. 6. in notis marginalibus.* *WISSENBACH. in Emblem.*

DE OFFICIO CONSVLIS.

TITVLVS X.

OBSERVATIO.

1. Officium consulis est consilium praebere manumittere volentibus. *L. vn. pr. b.*

Vlp. L. 2. de off. Cons. L. vnica.

ANNOTATIO.

2. Consilium praebere significat confessum virorum clarissimorum conscribere, vt per hos causa manumissionis cognoscatur. *RAEVARDVVS: Protrib. c. 12.* Fuit consilium congregatio decem virorum: *L. vn. C. De tut. illustri.* Numerus hic Romae seruabatur, collectus e quinque Senatoribus et quinque equitibus Romanis. *VLPIANVS tit. 1. §. 13.* Qui autem ex causa apud consilium probata manumittere debuerint, videre est *§. 4. I. Ex quib. caus. manum.* *RAEVARDVVS Protrib. c. 2. et 3.* Varium tamen fuisse numerum ad consilium adhibitorum demonstrabitur. (*L. 5. tit. 2*)

ARGVMENTVM.

3. Quia consules magistratus sunt qui actione legis pollent, principesque senatus: *GELLIVS L. 13. c. 15.* cuius facultas in vno indiuisa constitit: (*L. 1. tit. 7. §. 12.*) inde Consules et seorsim singuli manumittunt. *L. vn. §. 1. b.*

§. 1.

ARGUMENTVM.

4. Sed non potest is, qui apud alterum (consulem) nomina ediderit (manumittendorum et suum) apud alterum manumittere: separatae enim sunt manumissiones. *L. vn. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

5. Manumissiones separatae dicuntur, quia quilibet consulum suo iure et separatim manumittere potuit. Alioquin lege Iunia omnem potestatem atque reipublicae curam, administrationem ac regimen cum collega communicare iubebatur: ne regem pro consule haberet populus Romanus. *DIONYSIVS HALICARN. L. 4. LIVIVS L. 2.* Caeterum ex hoc textu apparet, quod *SIGONIVS de iure veteri L. 1. c. 13.* perhibet: postulationis diem secretum fuisse ab ipso manumissionis die. *Add. RAEVARDVS Protrib. c. 1. et 2.*

ANNOTATIO.

6. Sane, si qua ex causa collega manumittere non poterit, (qui nomina recepit) infirmitate, vel aliqua iusta causa impeditus, collegam posse manumissionem expedire, senatus censuit. *L. vn. §. 1. b.*

ARGUMENTVM.

§. 2.

7. Manumissio est actus legitimus (*L. I. tit. 5. §. 36*) qui peragitur apud magistratum, apud quem legis actio est (*L. I. tit. 7. §. 12*) qualis est consul (*§. 3*) Quare consules apud se seruos suos manumittere posse, nulla dubitatio est. *L. I. §. 2. b. (L. I. tit. 7. §. 13)*

ANNOTATIO.

8. Serui naturali quodam habitu, stupiditate et vecordia ad seruilem conditionem nati visi sunt (*L. I. tit. I. §. 275. 276*) proinde naturalis ratio seruum liberum esse non sinebat, vti nec stupidum sapientem esse patitur. Ergo lege populi seruus liber fieri debuit. Eam autem manumissionem maxime intelligo, quae libertatem et ciuitatem simul tribuebat. Quilibet enim facile largietur, hanc lege dari oportuisse, cum ciuitatis ius semper beneficium populi fuerit. *SIGONIVS de antiquo iure Ital. 2. c. 6.*

ARGUMENTVM.

9. Manumissionis propriae causam consul apud se probare non potest (*L. I. tit. 9. §. 8.*) Requisita est causae cognitio per legem Aeliam Sentiam, quoties minor 20 annis manumittere volebat *§. 4. I. Qui et ex quib. caus. manum. non possunt.*

ANNOTATIO.

10. Sed si euenerit, vt minor 20 annis consul sit, apud se manumittere non poterit (ex causa sibi probata) cum ipse sit, qui ex senatus consulto causam examinat. *L. I. §. 2. b. (L. I. tit. 9. §. 8)*

ANNOTATIO.

11. Vt consul minor 20 annis crearetur, aliter euenire non poterat, quam libidine principis ita imperante. Alias enim ante 44 aetatis annum consulatum petere non licebat. *CICERO Phil. 5.* violenter occupati consulatus exemplum exhibet *SVETONIVS in Augusto c. 26. Magistratus ante tempus et quosdam noui generis*
perpe-

perpetuosque coepit. Consulatum 20. aetatis anno inuasit, admotis hostiliter ad urbem legionibus, missisque, qui sibi nomine exercitus deposcerent. Cum quidem cunctante Senatu Cornelius Centurio, princeps legationis, reiecto sagulo ostenderet gladii capulum, non dubitasset in curia dicere: Hic faciet, si vos non feceritis. Emendatio textus nostri a Ræuardo tentata: *Protrib. c. 13.* et aliis, quod non ex Senatusconsulto, sed lege Aelia Sentia consuli causae cognitio iniuncta sit. Sane, dicta lege prohibita est manumissio, nisi causa apud consilium probata. Sed officium siue debitum examinandi causam manumissionis aliunde impositum fuisse oportet. *L. 1. ff. b. L. 4. C. De vindicta libert.* Hoc quidem indubitatum est, SCTo nullo magistratibus actionem legis datam esse, sed lege. (*L. 1. tit. 7. §. 12*) Speciali autem aliquo SCTo imposita non fuit magistratibus huius causae cognitio, alias eam mandare non licuisset: potuit autem: *L. 17. ff. De manum. vind.* Retinendam nihilominus autumo lectionem vulgarem, quia causas iustae manumissionis SCTo probatas expresse memorat *lex 13. ff. De manum. vind.* Ergo fieri potuit, ut consul ex senatus consulto causam examinaret.

A R G V M E N T V M.

12. Apud collegam causa probata, manumittere potest. *L. un. §. 2. b.*

A N N O T A T I O.

13. Equidem princeps, qui consuli minori magistratum dedit ex plenitudine potestatis omnia gerere decreuisse videtur: *L. 57. ff. De re iudic.* quod de validitate gestions civilis intelligi debet. Praesumi enim non potest principem eum voluisse iudicem et auctorem in rem propriam efficere: alias et omnis magistratus a principe constitutus rei propriae idoneus iudex fuisset. Ob stare etiam videtur. *L. 18. §. 1. ff. De manumiss. vind.* ibi: *Apud collegam suam praestor manumittere non potest.* Sed neque hoc in nostro textu dicitur, quod consul apud collegam manumittat: ipse enim manumittere debet, postquam causa apud collegam probata est. Absurdum scilicet fuisset, eum actionem legis apud alium quaerere, quam ipse secum habebat, et populum quasi populo auctoritatem praestare.



DE

OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO.

TITVLVS XI.

ANNO TATIO.

*Aurel. Arc.
Charif. L.
sing. de off.
praef. praet.
L. vi.*

1. Breuiter commemorare necesse est, vnde constituendi praefectorum praetorio officii origo manauerit. Ad vicem magistri equitum praefectos praetorio antiquitus institutos esse, a quibusdam scriptoribus traditum est. Nani cum apud veteres dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, et magistris equitum sibi eligerent, qui ad sociati participales curae, admilitiae gratia, secundam post eas potestatem gererent. Regimentis reipublicae ad Imperatores perpetuos translatis, ad similitudinem magistrorum equitum praefecti praetorio a principibus electi sunt: data est plenior licentia ad disciplinae publicae emendationem. *L. 1. pr. b.*

ANNO TATIO.

2. Romulus, primus vrbs rex ad corporis sui tutelam Celeres, id est equites delegit, quibus tribunum, siue praefectum praefecit. **DIONYSIVS HALICARN.** *L. 2. c. 13.* **PLVTARCHVS** *in Romulo:* potestas eius militaris, et a rege secunda fuit. *L. 2. §. 15. ff. De O. I.* Eiectis regibus exosae Maiestatis vicaria haec potestas sine indignatione populi retineri haud potuit: **SIGONIVS** *de ant. I. Rom. L. 2. c. 3.* Interea tamen similis regibus magistratus reipublicae temporibus afflictis constitutus est, qui Dictator nuncupabatur. **DIONYSIVS HALIC.** *L. 5. c. 54.* Verumtamen, ne regem se gereret, munusque suum suspectum vel iniustum redderet, tribuno Celerum ablinebat, suscepto in eius locum magistro equitum: siquidem per varias temporum successiones tandem equites nominati sunt, qui ante Celeres dicebantur. **PLINIVS** *L. 33.* Tandem Imperatores successerunt, qui cum omnem reipublicae potestatem recepissent, populo facile largiri poterant, quod non sustineret reges se aut dictatores nominari. **DIO CASSIVS** *L. 53.* *Imperatores loco nominis regii et dictatoris, nomen Imperatoris semper gerunt: semper e republica sublata nomina non imponunt sibi: rem ipsam imperatorio titulo confirmant.* Socios ergo potestatis, cum sibi adlegere Imperatores vellent, officium Tribuni celerum vel equitum magistri, praetorio praefecti nomine iam tolerandum introduxerunt, inuidiam rei appellatione recenti lenientes.

ANNO TATIO.

3. Perpetuorum Imperatorum denominatio valde apta est ipsi rei. Ita enim **DIO** *cit. loc.* *Re ipsa Caesar vnus in omnibus plenum erat imperium habiturus. - - - Ei, cum primum decennium exiisset, aliud quinquennium, atque eo circumacto, rursum aliud quinquennium, post decennium, ac eo finito iterum*

iterum decretum est: ita ut continuatis decenniis per totam vitam summam imperii obtinuerit.

O B S E R V A T I O.

4. His cunabulis praefectorum auctoritas initiata, in tantum meruit augeri, ut appellari a praefectis praetorio non possit. Nam cum ante quaesitum fuisset: an liceret a praefectis praetorio appellare, et iure liceret, et extarent exempla eorum, qui prouocarint: postea publice sententia principali lecta, appellandi facultas interdicta est. Credidit enim princeps, eos, qui ob singularem industriam explorata eorum fide et grauitate ad huius officii magnitudinem adhibentur, non aliter iudicatos esse pro sapientia ac luce dignitatis suae, quam ipse foret iudicaturus. *L. 1. §. 1. b.* Subnixi sunt etiam alio priuilegio praefecti praetorio, ne a sententiis eorum minores aetate ab aliis magistratibus, nisi ab ipsis praefectis praetorio restitui possint. *L. 1. §. 2. b.*

§. 1.

§. 2.

A N N O T A T I O.

5. Maecenas Caesari Augusto auctor capeffendi Imperii fuit, atque inter complures futuri regiminis magistratus hunc quoque praetorio praefectum commentus est. *DIO CASSIVS L. 52. Ex equitibus duos quosdam praestantissimos satellitio tuo praeficies. Nam vni id permittere, periculo, multis vero, turbis non caret. Duo igitur sint: ut si alter etiam insidias tibi creare conetur, tamen habeas adhuc, qui te custodiat. Hi ex iis, qui aliquoties militiam fecerint, diligendi sunt, quique multis aliis etiam officiis functi sint. Imperium autem obsineant in stipatores, omnesque per Italiam totam milites, ita ut capite etiam fontes pleffendi potestatem habeant: demtis tamen centurionibus ac reliquis, in quos senatoriis tantum magistratibus est potestas: ac ea ipsa quoque libera, ut poenas aut praemia suo arbitrio imponere possint. Verum hi duo, quos dixi, satellitii tui praefecti in caeteros per totam Italiam milites ius habeant, ac in Caesarianos etiam, qui in tua sunt familia, reliquosque omnes, quorum aliqua est habenda ratio. Vicarios autem habeant hi suos necesse est: alioquin pluribus quam quibus pares sint, expediendis onerati negotiis, exequi ea, quae vsus postulat, omnibusque simul istis praesse non poterunt. Hi, quemadmodum etiam Praefectus urbi et subcensor, magistratum omni vitae suae tempore retineant.*



* * * * *

DE

OFFICIO PRAEFECTI VRBI

TITVLVS XII.

ANNOTATIO.

1. Vrbi praefecto omnes caussae prouocationum commissae fuerunt, capitales datae in vrbe et extra urbem ad LXXXI millia passuum, id est, 20¼ milliaria. DIO CASSIVS *cit. loc.* Ad centesimum lapidem, id est C. M. passuum iurisdictionem eius extendit Vlpianus in *lege 1. §. 4. b.* Forte cum praefecto praetorio tanta potestatis augmenta accesserint, incredibile non est, praefecto vrbi etiam aliquid potestatis succreuisse.

OBSERVATIO.

Vlp. I. *sing.*
de off. praef.
vrbi.

L. 1.

§. 1.

§. 2.

§. 3.

§. 4.

§. 5.

§. 6.

§. 7.

§. 8.

2. Omnia omnino crimina praefectura vrbis sibi vindicauit: nec tamen ea, quae intra urbem admittuntur, verum ea quoque, quae extra urbem, intra Italiam, Epistola Diui Seueri ad Fabium Cilonem, praefectum vrbi missa declaratur. *L. 1. pr. b.* Seruos, qui ad statuas confugerint, vel sua pecunia emtos (*L. 4. ff. de manumiss.*) vt manumittantur, de dominis querentes audiet. *L. 1. §. 1. b.* Sed et patronos egentes de suis libertis querentes audiet: maxime si aegros se esse dicant, desiderantque se a libertis exhiberi. *L. 1. §. 2. b.* Relegandi, deportandique in insulam, quam Imperator assignauerit, licentiam habet. *L. 1. §. 3. b.* Initio eiusdem epistolae ita scriptum est: Cum urbem nostram fidei tuae commiserimus: Quicquid igitur intra urbem admittitur, ad praefectum vrbi videtur pertinere: sed et si quid intra centesimum milliarium admissum sit, ad praefectum vrbi pertinet: si ultra ipsum lapidem (quid admissum est) egressum est praefecti vrbi notionem. *L. 1. §. 4. b.* Si quis seruum suum adulterium commisisse dicat in uxorem suam, apud praefectum vrbi erit audiendus. *L. 1. §. 5. b.* Sed et ex interdictis: Quod vi aut clam, aut interdicto: Vnde vi, audire potest. *L. 1. §. 6. b.* Solent ad praefecturam vrbis remitti etiam tutores, siue curatores, qui male in tutela, siue cura versati, grauiore animaduersione indigent, quam vt sufficiat eis suspectorum infamia: quos probari poterit, vel nummis datis tutelam occupasse, vel praemio accepto operam dedisse, vt non idoneus tutor alicui daretur: vel consulto circa edendum patrimonium quantitatem minuisse: vel euidenti fraude pupilli bona alienasse. *L. 1. §. 7. b.* Quod autem dictum est: vt seruos de dominis querentes praefectus audiat: sic accipiemus, non accusantes dominos: hoc enim nequaquam seruo permittendum est, nisi ex caussis receptis: sed si verecunde exposculent, si saeuitiam, si duritiam, si famem, qua eos premant, si obicoenitatem, in qua eos compulerint, vel compellant, apud praefectum vrbi exponant. Hoc quoque

quoque officium praefecto vrbi a Diuo Seuero datum est, vt mancipia tueatur, ne prostituantur. *L. 1. §. 8. b.* Praeterea curare debet praefectus vrbi, vt nummularii probe se agant circa omne negotium suum, et temperent his, quae sunt prohibita. *L. 1. §. 9. b.* Cum patronus contemni se a liberto dixerit, vel contumeliosum sibi libertum queratur, vel conuicium se ab eo passum, liberosque suos vel vxorem, (iniuriam a liberto passos) vel quod huic simile, obiicit: praefectus vrbi adiri solet: et pro modo querelae corrigere eum, aut comminare aut fustibus castigare, aut vltterius procedere in poena eius solet. Nam et puniendi plerumque sunt liberti. Certe, si se delatum a liberto, vel conspirasse eum contra se cum inimicis doceat, etiam metalli poena in eum statui debet. *L. 1. §. 10. b.* Cura carnis omnis, vt iusto pretio praebeatur, ad curam praefecturae pertinet: et ideo et forum suarium sub ipsius cura est: sed et caeterorum pecorum siue armentorum quae ad huiusmodi praebitionem spectant, ad ipsius curam pertinent. *L. 1. §. 11. b.* Quies quoque popularium et disciplina spectaculorum (PLAVTVS in Amphitr. prologo versu 65. f.) ad praefecti vrbi curam pertinere videtur. Et sane, debet etiam dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularium quietem, et ad referendum sibi quid in vrbe agatur. *L. 1. §. 12. b.* (Ex instituto Augusti: SVETONIVS in Aug. c. 32.) Et vrbe interdiceret praefectus vrbi et qua alia solitarum regionum potest: et negotiatione et professione, et aduocationibus, et foro: et ad tempus et in perpetuum interdiceret poterit: et spectaculis, et si quem releget ab Italia, submouere eum etiam a prouincia sua. *L. 1. §. 13. b.* Diuus Seuerus rescripsit, eos etiam qui illicitum collegium coisse dicuntur, apud praefectum vrbi accusandos. *L. 1. §. 14. b.* (quod etiam Augustus instituerat. SVETONIVS loco cit.) Adiri etiam ab argentariis, vel aduersus eos, ex epistola Diui Hadriani et in pecuniariis caussis potest. *L. 2. b.*

§. 9.

§. 10.

§. 11.

§. 12.

§. 13.

§. 14.

§. 15.

A N N O T A T I O.

3. Apertum est, quod, vltra centesimum milliare praefectus vrbi potestatem non habuerit: *L. 1. §. 4. b.* et ne quidem intra hos terminos, si solum non fuerit Italicum. *cit. L. 1. pr. b.* atque solitas regiones his terminis finitas arbitror, omnemque districtum urbem appellatum esse. Motus his rationibus opinor legi debere: *Et si quem releget ob talia*, submouere eum etiam a prouincia sua: nimirum functione, et quae paulo prius nominantur, negotiatione, professione, aduocatione, etc. Otiose moneret ICtus eum a prouincia submoueri, qui Italia excedere iubetur, quis enim dubitaret? Quod CUIACIVS *L. 2. Obs. 14.* explicando huic textui proponit, non sufficere videtur. Quae de nummulariis et argentariis hic dicta sunt, vberius in titulo de edendo exponuntur.

A N N O T A T I O.

4. Praefectus vrbi cum terminos (vrbis) exierit, potestatem non habet extra urbem: potest iubere iudicare. *L. 3. b.*

Vtp. L. 2. ad Edict.

L. 3.

A N N O T A T I O.

5. Urbem intelligas oportet terminos iurisdictionis vrbicae. (§. 2.) Quodsi ergo praefectus vrbis hos exierit, potestatem extra hos terminos non habuit. Proconsul, praefes vel praetor omni loco legis actionem exercere potuerunt (L. 1. tit. 7. §. 115. sequ.) quorum potestas personae cohaerebat. At praefecti vrbis facultas, cum vrbis esset, extra urbem protendi non potuit. Sanabitur ergo commodissime apprens pugna textus correctâ interpunctione. Legatur: *potestatem non habet extra urbem*: quamvis praeunte Russardo vulgo legatur: *non habet: extra urbem potest iubere iudicare*. Quo pacto hoc posset, cum potestatem non habeat egressus urbem et centesimum milliarium? Equidem intra urbem eiusque terminos vi potestatis iubere potuit iudicare de causis argentariorum et nummulariorum pecuniariis. (§. 2. in fine) Alia de praefecto vrbis vide (L. 1. tit. 9. §. 2.)

D E

O F F I C I O Q V A E S T O R I S.

T I T V L V S X I I I.

O B S E R V A T I O.

Vlp. L. sing.
de off. Quaest.
L. vn.

1. Origo quaestoribus creandis antiquissima est, et pene ante omnes magistratus. Gracchanus denique Iunius libro 7. de potestatibus etiam ipsum Romulum et Numam Pompilium binos quaestores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearent, refert. Sed sicuti dubium est, an Romulo et Numa regnantibus quaestor fuerit: ita Tullo Hostilio rege quaestores fuisse certum est: sane crebrior apud veteres opinio est, Tullum Hostilium primum in rempublicam induxisse quaestores. *L. vn. pr. b.* Et a genere quaerendi quaestores initio dictos, et Iunius et Trebatius et Fenestella scribunt. *L. vn. §. 1. b.*
- §. 2. Ex quaestoribus quidam solebant prouincias sortiri ex Senatusconsulto, quod factum est Decimo Druso et Porcina consulibus. Sane non omnes quaestores prouincias sortiebantur, verum excepti erant candidati principis: hi enim solis libris principalibus in senatu legendis vacant. *L. vn. §. 2. b.* Hodieque obtinuit indifferenter quaestores creati tam patricos quam plebeios: ingressus est enim et quasi primordium gerendorum honorum, sententiaeque in senatu dicendae. *L. vn. §. 3. b.*
- §. 3. Ex his, sicuti diximus, quidam sunt qui candidati principis dicebantur, quique epistolas eius in senatu legunt. *L. vn. §. 4. b.*

A N N O T A T I O.

2. Augustus quaestoribus senatusconsulta adseruanda tradidit, quorum curam Tribunis plebis aedilibusque ademerat. DIO CASSIVS L. 55. Quaestoribus candidatis Augustus statim usus est. Compositis enim Gallicis Germanicisque rebus, vbi in urbem redierat, conuocato Senatu ipse grauedine laborans,

nihil

nihil locutus quaestori libellum recitandum dedit. *DIO cit. loco.* Quod ita princeps commendauerat, Senatusconsulto probabatur. *TACITVS Annal. L. 2. lex 20. §. 6. ff. De haeredit. pet.* magis ad speciem quam fructum libertatis: dum auctoritatem principis repudiare, Senatui integrum non esset. (L. I. tit. 4. §. 1) De aliis quoque rebus per quaestores eodem modo referre solebant Imperatores. *SVETONIUS in Augusto Cap. 65. De filia absens ac libello per quaestorem recitato notum Senatui fecit.* Hi fuerunt quaestores, qui prouincias non sunt sortiti. Alterius generis fuit *Qu. Caecilius, Verris* in Sicilia quaestor, in quem extat diuinatio *Ciceronis.*

DE
OFFICIO PRAETORVM.
TITVLVS XIV.

DEFINITIO.

1. Praetor est magistratus maximorum auspicioꝝ, iurisdictione secundum aequitatem suppletoria et correctoria, legisque actione instructus, iuris priuati custos.

ANNOTATIO.

2. De auspiciis et distinctione maiorum et minorum magistratuum inde exorta, consulatur *GELLIUS L. 13. c. 15.* Quod apud eum legis actio fuerit, docent actus legitimi coram eo peracti. Addatur *RAEVARDVVS Consuetan. L. 1. cap. 1.*

ARGVMENTVM.

3. Apud filiumfamilias praetorem potest pater eius manumittere. *Vlp. L. 26. ad L. 1. b.* Nam in causis publicis pro patrefamilias est. (L. I. tit. 6. §. 25) *Sabin. L. 1.*

ARGVMENTVM.

4. Sed etiam ipsum apud se emancipari vel in adoptionem dari placet. *L. 2. b.* Sufficit enim praetorem habere legis actionem. (§. 1) *Paulus L. 4. ad Sabin. L. 2.*

ARGVMENTVM.

5. Barbarius Philippus, cum seruus fugitiuus esset, Romae praetoram petiit, et praetor designatus est. Sed nihil ei seruitutem obsti- tisse, ait Pomponius, quasi praetor non fuerit. Atquin verum est, praetura eum functum: et tamen videamus, si seruus, quamdiu la- tuit, (in) dignitate praetoria functus sit: quid dicemus? quae edixit, quae decreuit, nullius fore momenti? an vero propter vtilitatem eo- rum, qui apud eum egerunt vel lege, vel quo alio iure? Et verum puto, nihil eorum reprobari: hoc enim humanius est, (L. I. tit. 1. §. 243) cum etiam potuit populus Romanus seruo decernere hanc potestatem: (L. I. tit. 7. §. 12) sed et si sciisset, seruum esse, liberum effecisset (eo

ipso quod praetoram decreuit) (L. I. tit. I. §. 235) Quod ius multo magis in Imperatore obseruandum est. L. 3. b.

ANNO TATIO.

6. Antonio Contio legendum videtur: *si seruus, quamdiu latuit, dignitate praetoria functus non sit*: quae quidem emendatio sensum nihil inuauit. Vlpianus enim seruum praetorem vere fuisse putat, quod ait verbis illis: *Cum enim populus: &c.* Hoc saltem disquirat: an actus serui praetoria dignitate functi, vsque dum agnitus fuit, subsistere debeant?

ANNO TATIO.

7. SVIDAS in dictione Βούσιος: *Hic sub tribus tyrannis (Antonio, Lepido, Octauio) id est, triumuiris, magistratum gessit: seruus alioquin et assentator, et hoc maxime nomine prouectus, quod ex Antonii sodalibus et saltatoribus esset. Sane per illius gratiam praetura functus est. Hunc igitur tunc insolentem, et purpurae honore tumidum, et in foro Romano sublimem, euectum et ius dicentem adueniens dominus agnouit, ut qui antea ab eo aufugisset. Atque hunc cum summa pompa exultantem et superbientem, et magistratu lasciuientem tacite procedens dominus ex aduerso toga prebendens, et aue, inquit, proprio eius nomine, eoque veteri et seruili addito. Homo ex ea re sane conturbatus, et dominum agnoscit, et ut sileat obtestatur, et inde domum ducit, et maximo pretio se redimit.*

ANNO TATIO.

8. Quod idem ius in Imperatore magis quam in populo obseruari debeat, aut Vlpiani assentationi tribuas: aut procliuiorem voluntatem in vna Imperatoris persona praesumas, qua et libertatem certius eidem donaret, cui magistratum dederit: modo seruum sciuerit.

ARGUMENTVM.

Item L. 1. de
omni. tribunal.
L. 4.

9. Praetor neque tutorem neque specialem iudicem ipse se dare potest. L. 4. b. Seipsum enim non potest probare. (L. I. tit. 9. §. 8)



DE
OFFICIO PRAEFECTI VIGILVM.
TITVLVS XV.

OBSERVATIO.

1. Apud vetustiores incendiis triumviri praerant: qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni dicti sunt. Interueniebant nonnunquam et aediles et tribuni plebis: erat autem familia publica (L. 1. tit. 7. §. 67) circa portam et muros disposita: unde si opus esset, euocabatur. Fuerant et priuatae familiae, quae incendia vel mercede vel gratia extinguerent. Deinde Diuus Augustus maluit per se huic rei consuli. L. 1. b. Pluribus vno die incendiis exortis. L. 2. b. Nam salutem reipublicae tueri nulli magis credidit conuenire, nec alium sufficere ei rei quam Caesarem. Itaque septem cohortes opportunis locis constituit, vt binas regiones urbis vnaquaeque cohors tueatur: praepositis eis tribunis, et super omnes spectabili viro, qui praefectus vigilum appellatur. L. 3. pr. b. Cognoscit praefectus vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus: nisi si qua tam atrox tamque famosa persona sit, vt praefecto vrbi remittatur. Et quia plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium, aut fustibus castigat eos, qui negligentius ignem habuerunt, aut seuera interlocutione comminatus, fustium castigationem remittit. L. 3. §. 1. b. Effracturae fiunt plerumque in insulis in horreisque, vbi homines pretiosissimam partem fortunarum suarum reponunt: cum vel cella effringitur, vel armarium, vel arca: et custodes plerumque puniuntur. Et Diuus Antoninus Etycio Claro rescripsit: ait enim, posse eum horreis effractis quaestionem habere de seruis custodibus, licet in illis ipsius Imperatoris portio esset. L. 3. §. 2. b. Sciendum est autem, praefectum vigilum per totam noctem vigilare debere, et coerrare calciatum cum hamis et dolabris. L. 3. §. 3. b. vt curam adhibeant, omnes inquilinos admonere, ne negligentia aliqua incendii casus oriatur, praeterea, vt aquam vnusquisque (inquilinus) in coenaculo habeat, iubetur admonere. L. 3. §. 4. b. Aduersus capsarios quoque, qui mercede seruanda in balneis vestimenta suscipiunt, iudex est constitutus, vt si quid in seruandis vestimentis fraudulenter admiserint, ipse cognoscat. L. 3. §. 5. b. (L. 1. tit. 9. §. 34)

Paul. L. sing. de off. praef. vigil. L. 1.

Vlp. L. sing. de eod. L. 2.

Paul. eod. L. 3.

§. 1.

§. 2.

§. 3.

§. 4.

§. 5.

ANNOTATIO.

2. Insula est aedificium vicinorum parietibus non contiguum, quod publico vel priuato circuitu cingitur: ad imitationem insularum in salo prominentium sic dictum. FESTVS: in voce Insula. Eiusmodi insularum secundum singulas regiones vrbis numerum nobis conseruauit P. Victor in libello, de Vrbis regionibus et locis. Priuati circuitus insulae speciatim fuerunt loca vel aedificia

lae

lae in tutiori atque munitiori prae reliquis aediam parte positae, ubi pretiosissimas quasque res condebant. In aulae meditullio collocabatur insula, cuius ambitu a furibus defendebatur et incendio subtrahebatur. APVLEIVS in *Metamorph.* L. 3. circa finem. BRISSONIVS *Antiqu.* L. 4. c. 18. LAVRENTIVS: *Polymath.* L. 1. *Dissert.* 2. vide (L. 2. tit. 13. infra) L. 17. §. 3. ff. *Commod.* L. 3. §. 8. ff. *De in rem verso*: De custode insulae forte scriptum est:

*Qui sciret certum furis insistere tempus,
Quisque domus custos vigilaret.*

Hic insularius appellabatur, qui e seruorum familia custodiae praeficiebatur, PIGNORIVS de *Seruis* p. 244. Verum et quaedam insula parietibus reliquae domus cohaesit. L. 91. §. ult. ff. *De Legat.* 3. Hamus est vncus incuruus, ad subtrahendam incendio materiam aptus. Dolabra instrumentum lanionis fuit: L. 18. pr. ff. *De instructo vel instrum. leg.* procul dubio asciae genus, qua et ligna dolabantur. In hoc APVLEIVM intelligo: *Metamorph.* L. 9. narrantem de adultera, quae moechum in dolio absconditum emtorem dolii esse marito persuasit, quasi eius perpurgandi causa incensisset. Cum enim maritus ipse se immisisset et squalorem abraderet, *inclinatam dolio pronam uxorem fabri adulter superincuruatus secure dedolabat*, videlicet ad aemulationem mariti dolii sordes dedolantis.

ANNO TATIO.

Vlpian. eod.
L. 4.

3. Imperatores Seuerus et Antoninus Iunio Rufino praefecto vigillum ita. rescripserunt: Insularios et eos qui negligenter ignes apud se habuerunt, potes fustibus vel flagellis caedi iubere: eos autem, qui dolo fecisse incendium conuincuntur, ad Fabium Cilonem, praefectum vrbi, amicum nostrum, remittes: fugitiuos conquirere, eosque dominis reddere debes. L. 4. b.

DE OFFICIO PROCONSVLIS.

TITVLVS XVI.

OBSERVATIO.

Vlp. L. 1. disp.
L. 1.

1. Proconsul vbique quidem proconsularia insignia habet, statim atque vrbe egressus est: potestatem autem non exercet, nisi in ea prouincia, (sola) quae ei decreta est. L. 1. b.

ANNO TATIO.

2. Prouinciae primae, dum status reipublicae popularis erat, a praetoribus, populi suffragiis electis, regebantur. Diuisis inter populum et Senatum prouinciis, consularibus proconsules praefecti, popularibus autem praetores praefuerunt. POLLETVS *Histor. fori Rom.* L. 3. c. 4. Demum in principatu diuisis inter Imperatorem et Senatum prouinciis, imperatoriis praesides, senatoriis pro-

consules praefecti sunt. Insignia consulum fuerunt lictores duodecim cum totidem fascibus, praetexta et sella curulis: eadem fuerunt proconsulum. SIGONIVS *de ant. iure prouinc. c. 1.* DIO CASSIVS *L. 53. p. m. 309.* vide infra (L. 1. tit. 18. §. 2. in f.) tempore Vlpiani non amplius quam sex fasces *L. 14. b. t.* tot etiam suo aevo propraetoribus tribuit DIO CASSIVS *citato loco p. 310.*

DEFINITIO.

3. Iurisdictio contentiosa est potestas magistratus in causam quae inter litigantes controuersa est.

DEFINITIO.

4. Iurisdictio voluntaria est potestas magistratus expediendi actus legitimos vel testimonium fori publicum praestandi volentibus.

ARGUMENTVM.

5. Omnes proconsules statim, quam urbem egressi fuerunt, habent iurisdictionem, sed non contentiosam, sed voluntariam: vt ecce: manumitti apud eos possunt tam liberi, quam serui, et adoptiones fieri. *L. 2. pr. b.* Apud legatum vero proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet iurisdictionem talem. *L. 2. §. 1. b.*

Marcianus L.

1. Instit.

L. 2.

§. 1.

ANNOTATIO.

6. Celebris est antingmia legis huius §. 1. et legis 17. ff. *De manum. vind.* quae sic habet: *Apud proconsulem postquam urbem egressus est, vindicta manumittere possumus: sed et apud legatum eius manumittere possumus.* Quando proconsul prius prouincia decedebat, quam successor aduenisset, mandabat Legato suo iurisdictionem, qui tum vices eius obibat, lictoribus securibusque utebatur: item mandare poterat proconsul iurisdictionem quando aberat: *L. 1. pr. ff. De Offic. eius, cui mand. est iurisd.* Ergo, quando proconsul cum legato profectus erat, apud legatum nemo manumittere potuit. Sed detento proconsule in itinere vel absente cum legato iurisdictionem mandauerat, manumitti apud eum potuit. Aut in *lege 2. b. t.* manumissio seruorum intelligitur, quae est actus legitimus: (*L. 1. tit. 5. §. 36.*) Sed in *lege 17.* obstante forsan manumissio liberorum intelligitur, *d. l. 2. pr.* siue emancipatio, quae non erat actus legitimus, sed fori et concionis figuram tantum requirebat, et adeo a Legato expediri poterat. (*L. 1. tit. 7. §. 116.*)

ARGUMENTVM.

7. Nec adoptare potest: omnino enim non est apud eam legis actio. *L. 3. b.* nisi propter absentiam proconsulis mandatam acceperit. (§. 6)

Vlp. L. 26. ad Sab.

L. 3.

OBSERVATIO.

8. Obseruare autem proconsulem oportet, ne in hospitiiis praebendis oneret prouinciam: vt Imperator noster cum patre, Aufidio rescriptit. *L. 4. pr. b.* Nemo proconsulum stratores suos habere potest: sed vice eorum milites ministerio in prouinciis funguntur. *L. 4. §. 1. b.* Proficisci autem proconsulem melius quidem est sine vxore: (quod olim per L. Oppiam necessitatis erat: *ne uxores pacem luxu, bellum formidine morarentur.* TACITVS *Annal. L. 3.* qui Sctum, quod hic memoratur, Corn. Cethego et Vi-

Id. L. 1. de Off. proconf.

L. 4.

§. 1.

§. 2.

- sellio Varrone Coss. factum tradit) sed et cum vxore potest: dummodo sciat senatum Cotta et Messala Consulibus censuisse futurum, vt si quid vxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio et vindicta exigatur. *L. 4. §. 2. b.* Antequam vero fines prouinciae decretae sibi, proconsul ingressus sit, edictum debet de aduentu suo mittere, continens commendationem aliquam sui: si qua ei familiaritas sit cum prouincialibus vel coniunctio, et maxime excusantis, ne publice vel priuatim occurrant ei: esse enim congruens, vt vnusquisque eum in sua patria exciperet. *L. 4. §. 3. b.* Recte autem et ordine faciet, si edictum decessori suo miserit, significetque, qua die fines sit ingressurus. Plerumque enim incerta (haec) et inopinata turbant prouinciales et acta impediunt. (Dum forte citius decessor iurisdictione absteineat (§. 26. sequ.)
- §. 3. *L. 14. §. 4. b.* Ingressum etiam hoc eum obseruare oportet, vt per eam partem prouinciam ingrediatur, per quam ingredi moris est: et quas Graecia ἐπιδημίας, id est, accessus ad urbem appellat, siue κατάπλεν, id est, adnauigationem, obseruare, in quam primum ciuitatem veniat vel applicet: magni enim facient prouinciales seruari sibi consuetudinem istam et huiusmodi praerogatiuas. Quaedam prouinciae etiam hoc habent, vt per mare in eam prouinciam proconsul veniat, vt Asia: scilicet vsque adeo, vt Imperator (noster) Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripsit, proconsuli necessitatem impositam, per mare Asiam applicare, καὶ τῶν μητροπόλεων Ἐφεσον: id est: et inter matrices vrbes Ephesum primam attingere. *L. 4. §. 5.* Posthaec ingressus prouinciam: mandare iurisdictionem legato suo debet: (nimirum contentiosam: nam legis actionem proconsul urbem egressus statim habet (§. 5. 6) (L. 1. tit. 12. §. 5.) nec hoc ante facere, quam fuerit prouinciam ingressus. Est enim perquam absurdum, antequam ipse iurisdictionem nanciscatur, nec enim prius ei competit (contentiosa) quam in eam prouinciam venerit, alii eam mandare, quam non habeat. Sed si et ante fuerit, et ingressus prouinciam in eadem voluntate fuerit, credendum est, videri legatum habere iurisdictionem: non exinde ex quo mandata est, sed ex quo prouinciam proconsul ingressus est. *L. 4. §. 6. b.*

ANNOTATIO.

9. Stratores fuerunt serui sternendae cuius rei praepositi: e. gr. equis. *Rubr. C. De stratoribus.*

ANNOTATIO.

Papin. L. 1. Quaest. L. 5. 10. Aliquando mandare iurisdictionem proconsul potest, etsi nondum in prouinciam peruenerit: quid enim si necessariam moram itinere patiat, maturissime autem legatus in prouinciam peruenturus sit? *L. 5. b.*

OBSERVATIO.

Vip. L. 1. de off. procons. L. 6. 11. Solent etiam custodiarum cognitionem mandare legatis: scilicet, vt praecauditas custodias ad se remittant, vt innocentem ipse liberet.

ret. Sed hoc genus mandati extraordinarium est: nec enim potest quis gladii potestatem sibi datam, vel cuius alterius coercitionis ad alium transferre, nec liberandi igitur reos ius, cum accusari apud eum (legatum) non possint. *L. 6. pr. b.*

OBSERVATIO.

12. Sicut autem mandare iurisdictionem vel non mandare est in arbitrio proconsulis, ita adimere mandatam iurisdictionem licet quidem proconsuli: non tamen debet inconsulto principe hoc facere. *L. 6. §. 1. b.*

§. 1.

REGVLA.

13. Boni atque prudentis principis et magistratus est, amorem subditorum sibi conciliare.

REGVLA.

14. Subordinatio potestatum non debet turbari.

ARGVMENTVM.

15. Legatos non oportet principem consulere, sed proconsulem suum: et is ad consultationes legatorum debet respondere. *L. 6. §. 2. b.* (§. 14)

§. 2.

ARGVMENTVM.

16. Non vero in totum xeniis abstinere debet proconsul (ne contemnere videatur provincialium benevolentiam) sed modum adiicere: ut neque morose in totum abstineat, neque auare modum xeniorum excedat. Quam rem Diuus Seuerus et Imperator Antoninus elegantissime epistola sunt moderati. Cuius epistolae verba haec sunt: Quantum ad xenia pertinet, audi, quae sentimus. Vetus prouerbium est: ἔτε πάντα, ἔτε πάντοτε, ἔτε παρὰ πάντων. id est: neque omnia, neque quouis tempore, neque ab omnibus. Nam valde inhumanum est, a nemine accipere: sed passim vilissimum est: et omnia, auarissimum. Et quod mandatis continetur, ne donum vel munus ipse proconsul, vel qui in alio officio erit, accipiat, ematue quid, nisi victus quotidiani causa: ad xeniola non pertinet, sed ad ea, quae eduliorum excedant usum. Sed nec xenia producenda sunt ad munerum qualitatem. *L. 6. §. 3. b.* (§. 13) Si in aliam quam celebrem ciuitatem, vel prouinciae caput aduenerit: pati debet commendari sibi ciuitatem, laudesque suas non grauate audire: cum honori suo prouinciales id vindicent: et ferias secundum mores et consuetudinem, quae retro obtinuit, dare. *L. 7. pr. b.* vid. BYNKERSHOEK. *Obs. L. 2. c. 6.*

§. 3.

*Idem L. 2. de
Off. proc.
L. 7.*

OBSERVATIO.

17. Aedes sacras et opera publica circumire inspiciendi gratia, an facta tectaue sint, vel an aliqua refectione indigeant: et si qua coepta sunt, ut consummentur, prout vires eius reipublicae permittunt, curare debet: curatoresque operum diligentes solemniter praeponere, ministeria quoque militaria, si opus fuerit, ad curatores adiuuandos dare. *L. 7. §. 1. b.*

§. 1.

A N N O T A T I O .

18. Sarta tecta: vox in auguralibus vsitata. **FESTVS** *Sarte: in auguralibus pro integro ponitur. Sane sarteque audire videreque. Ob quam causam opera publica, quae locantur, ut integra praesentur, sarta tecta vocantur.*

D E F I N I T I O .

19. Totum est, quod omnibus suis partibus constat.

A R G V M E N T V M .

§. 2. 20. Cum plenissimam autem iurisdictionem proconsul habeat, omnium partes, qui Romae (vel) quasi magistratus, vel extra ordinem ius dicunt, ad ipsum pertinent. *L. 7. §. 2. b.*

A N N O T A T I O .

21. De ordinariis et extraordinariis iudiciis exponetur. (*L. 3. tit. 5.*)

A R G V M E N T V M .

*Idem L. 39. ad
Edict.
L. 8.*

22. Et ideo maius imperium (*L. 1. tit. 5. §. 54*) in ea prouincia habet omnibus post principem: *L. 8. b. (§. 19)* Nec quidquam est in prouincia, quod non per ipsum expediatur. *L. 9. pr. b.*

R E G V L A .

23. Speciale non subordinatum exceptionem facit generali.

A R G V M E N T V M .

24. Sane si fiscalis pecuniaria causa sit, quae ad procuratorem principis respicit, melius fecerit si abstineat. *L. 9. pr. b. (§. 22)*

A N N O T A T I O .

§. 1. 25. Vbi decretum necessarium est, per libellum id expedire proconsul non poterit: omnia enim, quaecunque causae cognitionem desiderant, per libellum non possunt expediri. *L. 9. §. 1. b.* Circa aduocatos patientem esse proconsulem oportet, sed cum ingenio, ne contemtilis videatur: nec adeo dissimulare, si quos causarum concinnatores vel redemptores deprehendat: eosque solos pati postulare, quibus per edictum eius postulare permittitur. *L. 9. §. 2. b.* De plano autem proconsul potest expedire haec: vt obsequium parentibus et patronis liberisque patronorum exhiberi iubeat: comminari etiam et terrere filium a patre oblatum, qui non vt oportet conuersari dicatur. Poterit de plano similiter et libertum non obsequentem emendare, aut verbis aut fustium castigatione. *L. 9. §. 3. b.*

§. 2. 4. Obseruare itaque eum oportet, vt sit ordo aliquis postulationum: scilicet, vt omnium desideria audiantur: ne forte, dum honori postulanti-um datur, vel improbitati ceditur, mediocres desideria sua non proferrant: qui aut omnino non adhibuerunt, aut minus frequentes, neque

§. 3. 5. in aliqua dignitate positos aduocatos sibi prospexerunt. *L. 9. §. 4. b.* Aduocatos quoque petentibus debet indulgere, plerumque foeminis vel pupillis, vel aliis debilibus, vel his, qui suae mentis non sunt: si quis eis petat, vel si nemo sit qui petat, vltro eis dare debet. Sed si qui per potentiam aduersarii non inuenire se aduocatum dicat, aequo oportebit ei aduocatum dare. Caeterum opprimi aliquem per aduersarii sui potenti-

tentiam non oportet: hoc enim etiam ad inuidiam eius, qui prouinciae praest, spectat, si quis tam impotenter se gerat, vt omnes metuant aduersus eum aduocationem suscipere. *L. 9. §. 5. b.* Quae etiam omnium praesidium communia sunt, et debent ab his obseruari. *L. 9. §. 6. b.*

ARGUMENTVM.

26. Meminisse oportebit, vsque ad aduentum successoris omnia debere proconsulem agere, cum sit v~~er~~ proconsulatus, et vtilitas prouinciae exigat, esse aliquem, per quem negotia sua prouinciales explacent: ergo in aduentum successoris debet ius dicere. *L. 10. pr. b.*

§. 6.
Idem L. 10. de Off. proc. L. 10.

ANNOTATIO.

27. Legatum suum, ne ante se de prouincia dimittat, et lege Iulia repetundarum, et rescripto Diui Hadriani ad Calpurnium Rufum proconsulem Achaiae admonetur. *L. 10. §. 1. b.*

§. 1.

ARGUMENTVM.

28. Si quid erit, quod maiorem animaduersionem exigat, reiicere, legatus apud proconsulem debet: neque enim animaduertendi, coercendi, vel atrociter verberandi ius habet. *L. 11. b.* Non enim habet imperium, sed proconsul, qui magistratum gerit. (*L. 1. tit. 5. §. 54*) §. 11

Vemuleius Saturn. L. 2. de Off. proc. L. 11.

ARGUMENTVM.

29. Legatus, mandata sibi iurisdictione, iudicis dandi ius habet. *L. 12. b. (L. 1. tit. 1. §. 169.)*

Paulus L. 2. ad Edict. L. 12.

OBSERVATIO.

30. Legati proconsulis nihil proprium habent, nisi a proconsule eis mandata fuerit iurisdictione. *L. 13. b.*

Pomp. L. 10. ad Qu. Mur. L. 13.

ANNOTATIO.

31. Proprio iure iurisdictione competebat ex magistratu populi lege dato: delegata vel mandata vero, ex mandato eius, qui propriam habebat. Cuiacius concludit ex *Lege 2. ff. Quis et a quo appell.* Proconsulis legatum gauisum esse propria iurisdictione: quia per dictam legem appellatio ab eo ad proconsulem datur. At vero mandata licet iurisdictione, merum imperium non transit, (§. 28) sed causas maioris animaduersionis ad praesidem vel proconsulem remittere debuit. (*ib. et §. 15*) Quod si legatus hoc non fecisset, sententia eius nulla erat, et prouocatio vel potius querela condemnato danda fuit ad proconsulem, cuius ea iurisdictione erat. Ea propter d. l. 2. nihil continet, quod legato propriae iurisdictionis quidquam tribuat: nam et ipsa de multa grauante agit, inique irrogata: id est: cuius irrogandae potestas legato non erat. Quod Cuiacius de comitibus siue adfessoribus legati adfert, propriam iurisdictionem non probat.

ANNOTATIO.

32. Proconsules non amplius quam sex fascibus utuntur. *L. 14. b.*

ARGUMENTVM.

33. Et legati proconsulum tutores dare possunt. *L. 15. b.* Nam tutoris datio meri imperii non est: vnde mandata intelligitur (§. 25)

Vlp. L. 20. ad L. Iul. et Papp. L. 14. Licinius Ruf. L. 3. Reg. L. 15. Vlp. L. 2. ad Edict. L. 16.

ARGUMENTVM.

34. Proconsul portam Romae ingressus, deponit imperium. *L. 16. b. (§. 5)* pariter enim iter et reditus de proconsulatu sunt.

* * * * *

DE
OFFICIO PRAEFECTI AVGVSTALIS.
TITVLVS XVII.

OBSERVATIO.

Vlp. L. 15. ad
Edict.
L. vn.

1. Praefectus Aegypti non prius deponit praefecturam, et imperium, quod ad similitudinem proconsulis lege sub Augusto ei datum est, quam Alexandriam ingressus sit successor eius: licet in prouinciam venerit: et ita mandatis eius continetur. L. vn. b.

ANNOTATIO.

2. Multa proconsulum magistratum declarantia habet DIO CASSIVS L. 53. p. m. 309. *Hac arte Caesar cum se velle imperium deponere simulasset, effecit, ut ei a Senatu populoque confirmaretur. Is, ut popularis opinionem sibi nihilominus aliquam pararet, recepta in se omni reipublicae cura, negavit, se omnes velle prouincias obtinere, aut nimirum, quia essent pacatiores aliis attribuit: potentiores prouincias, ut quae plus periculi ostenderent, ac vel hostes accolae haberent, vel novos per se ipsae aliquos motus turbare possent, sibi retinuit. Id faciebat sub hac specie, ut cum senatus tuto bonis Imperii perfrueretur, ipse laboribus et periculis obiectus videretur. At sub eo praetextu eum fere inermem imbellemque efficiebat, et ad se solum arma militesque transferebat. Hac de causa senatui populoque Africa, Numidia, Asia et cum Epiro Graecia, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta, Africa, Cyrenaica, Bithynia cum Ponto finitima, Sardinia atque Hispania Baetica adscriptae sunt. Caesari autem Hispaniae quod reliquumerat, ut Tarraconensis Lusitaniaque: tum omnis Gallia et Narbonensis et Lugdunensis, Aquitaniaque et Celtica, cum iis populis, qui eorum Coloni essent: (nam Celtae quidam, quos Germanos vocamus, cum omnem Celticam regionem, quae ad Rhenum est, occupassent, effecerunt, ut ea Germania vocaretur, superior ea, quae Rheni fontibus propior est, inferior, quae ab hac vsque ad Oceanum Britannicum se extendit) item, Coele Syria, Phoenice, Cilicia, Cyprus, Aegyptus. Ex his tamen postea temporis Caesar Cyprus ac Galliam Narbonensem populo reddidit, pro eisque Dalmatiam recepit: quae permutatio etiam, veluti in processu operis dicam, in aliis quibusdam prouinciis est facta. Recensui autem prouincias hoc modo, quoniam nunc earum quaeuis suum habet peculiarem praefectum, cum antiquitus binis vel ternis singuli praesuerint: caeteras, quae vel tum temporis nondum a Romanis erant subactae, aut subactae quidem fuerant, suis tamen legibus adhuc utebantur, vel regibus concessae fuerant, non recensui, quarum quae post id tempus sub Romanam ditionem peruenierunt, semper Imperatori accesserunt. Caesar, quo longius Romanos a suspitione regiae potestatis sibi propositae abduceret, Imperium in suas prouincias decennale suscepit, hoc etiam iactanter addito, si breuitori spatio eas posset pacare, eo citius se imperio destitutum. Deinde viriusque sortis prouinciis Patricios praefecit: Aegypto tantum equestris dignitatis virum, ob eas quae supra sunt*
comme.

commemoratae causas. Annuas autem esse eorum praefecturas iussit: nisi quis multitudinis liberorum aut nuptiarum ratione privilegium haberet: utque de communi Senatus consilio mitterentur, neque gladio accincti, neque militari habitu utentes. Proconsules autem eos dici voluit, non modo duos istos consulares, sed reliquos etiam praetorios, aut qui praetoriorum loco haberentur: utque lictores utriusque tot, quot in urbe permissum est legibus habere, adessent: ut imperii insignia statim atque extra pomerium venissent, adsumerent, et usque ad reditum in urbem seruantur: qui neque consulares, neque praetorii essent, ipse delegit, ac legatos suos et propraetores nominavit. Nam cum haec nomina diu admodum in priori reipublicae forma florissent, praetoris inquam, et consulis, praetoris nomine ut bellis maxime ab antiquis inde temporibus conueniens, a se delectos insigniuit, propraetores eos nuncupans. Consulium appellatione reliquos, ut paci propinquiores affectit proconsules dicens.

DE OFFICIO PRAESIDIS.

TITVLVS XVIII.

DEFINITIO.

1. Praesidis nomen generale est, eoque et proconsules et legati Caesaris et omnes prouincias regentes, licet senatores sint, praesides appellantur. Proconsulis appellatio specialis est. *L. 1. b.* *Macer. L. 1. de off. Praef. L. 1.*

ANNOTATIO.

2. De praesidum officio videatur SIGONIVS *de ant. iure prou. L. 2. c. 5.* vbi de iurisdictione et legis actione praeclara testimonia allegantur.

ARGUMENTVM.

3. Praeses apud se adoptare potest: quemadmodum et emancipare filium et manumittere seruum potest. *L. 2. b. (L. 1. tit. 7. §. 15. 117)* *Vlp. L. 26. ad Sabin. L. 2.*

ANNOTATIO.

4. Obtinere tamen debet clausula. *(L. 1. tit. 11. §. 9. sequ.)*

ARGUMENTVM.

5. Praeses (prouinciae) in suae prouinciae homines tantum imperium habet: et hoc dum in prouincia est: nam si excefferit, priuatus est. *(L. 1. tit. 16. §. 1)* Habet interdum imperium et aduersus extraneos homines, si quid manu commiserint. Nam et in mandatis principum est, ut curet is, qui prouinciae praest, malis hominibus prouinciam purgare: nec distinguitur, vnde sint. *L. 3. b.* Hoc casu magis prouinciae prospicit, quam imperium suum excedit. *Paulus L. 13. ad Sabin. L. 3.*

OBSERVATIO.

6. Praeses prouinciae maius imperium in ea prouincia habet omnibus post principem. *L. 4. b.* quemadmodum et proconsul, *(L. 1. tit. 16. §. 22)* nam et vtriusque idem officium fuit. *(L. 1. tit. 16. §. 2) tit. 18. §. 2)* *Idem L. 1. ad Edict. L. 4.*

ARGV-

ARGUMENTVM.

Idem de omni.
tribun.
L. 5.

7. Praefes prouinciae non magis tutorem quam specialem iudicem ipse se dare potest. *L. 5. h.* (L. I. tit. 9. §. 8) tit. 14. §. 9)

ARGUMENTVM.

Idem L. 1.
opin.
L. 6.

8. Illicitas exactiones et violentia factas, et extortas metu venditiones et cautiones, vel sine pretii numeratione prohibeat praefes prouinciae. Item, ne quis iniquum lucrum aut damnum sentiat, praefes prouinciae prouideat. *L. 6. pr. b.* (L. I. tit. 8. §. 137)

ARGUMENTVM.

§. 1. 9. Veritas rerum erroribus gestarum non vitatur: et ideo praefes prouinciae id sequatur, quod conuenit eum ex fide eorum, quae probabuntur. *L. 6. §. 1. b.* (L. I. tit. 5. §. 22)

ARGUMENTVM.

- §. 2. 10. Ne potentiores viri humiliores iniuriis adficient, neue defensores eorum calumniosis criminibus infectentur innocentes, ad religionem praesidis prouinciae pertinet. *L. 6. §. 2. b.* Illicita ministeria sub praetextu adiuantium militares viros ad concutiendos homines procedentia prohibere, et deprehensa coercere praefes prouinciae curet: et sub specie tributorum illicitas exactiones fieri prohibeat. *L. 6. §. 3. b.*
- §. 3. Neque licita negotiatione aliquos prohiberi, neque prohibita exerceri, neque innocentibus poenas irrogari, ad sollicitudinem suam praefes prouinciae reuocet. *L. 6. §. 4. b.* Ne tenuis vitae homines sub praetextu aduentus officiorum vel militum lumine (turmatim extrusum eunt: *lumine*: vt substituunt: *limine*: quos recte retundit BYNKERSHOEK *Obs. L. 1. c. 14.* Ego pro firmanda lectione Florentina consero locum Apuleii superius citatum, (L. I. tit. 15. §. 2) vbi eadem adultera maritum infectatur verbis: *at ego misera et per noctem et per diem lanificio neruos meos contorqueo, vt intra cellulam nostram saltem lucerna luceat.* Demonstrat enim laudatus Bynkershoek, lumine vnico significari fortunam tenuem et curtam supellectilem) vnico vel breui supellectili ad aliorum vsus translatis iniuriis vexentur, praefes prouinciae prouidebit. *L. 6. §. 5. b.* Ne quid sub nomine militum, quod ad vtilitatem eorum in commune non pertinet, a quibusdam propria sibi commoda inique vindicantibus committatur, praefes prouinciae prouideat. *L. 6. §. 6. b.* (L. I. tit. 8. §. 137)

ARGUMENTVM.

- §. 7. II. Sicuti medico imputari euentus mortalitatis non debet, (L. I. tit. I. §. 80) ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet. (Ib. §. 78. 82) Praetextu humanae fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium (impunitum) esse non debet. *L. 6. §. 7. b.*

OBSERVATIO.

- §. 8. 12. Qui vniuersas prouincias regunt, ius gladii habent: et in metallum dandi potestas eis permessa est. *L. 6. §. 8. b.* Praefes prouinciae, si multam, quam irrogauit, ex praesentibus facultatibus eorum, quibus

bus eam dixit, redigi non posse, deprehenderit: necessitatem solutionis moderetur, reprehensa ex actorum illicita auaritia. Remissa propter inopiam multa a prouinciis regentibus exigere non debet. *L. 6. §. 9. b.* Praefes prouinciae inspectis aedificiis dominos eorum causa cognita reficere ea compellat: et aduersus detrectantem competenti remedio deformitati auxilium ferat. *L. 7. b.*

*Idem L. 3.
Opin.
L. 7.*

A R G V M E N T V M.

13. Saepe audiui Caesarem nostrum dicentem: hac rescriptione: Eum, qui prouinciae praest, adire potes: non imponi necessitatem proconsuli, vel legato eius, vel praesidi prouinciae suscipiendae cognitionis. Sed eum aestimare debere, ipse cognoscere, an iudicem dare debeat. *L. 8. b.* Generaliter, quotiens princeps ad praesides prouinciarum remittit negotia per rescriptiones, veluti: Eum, qui prouinciae praest, adire poteris: vel cum hac adiectione: Aestimabit, quid sit partium suarum: non imponitur necessitas proconsuli vel legato suscipiendae cognitionis: quamuis (non) sit adiectum: Is aestimabit, quid sit partium suarum: Sed is aestimare debet, vtrum ipse cognoscat, an iudicem dare debeat. *L. 9. b. (L. 1. tit. 1. §. 231)*

*Julianus L. 1.
Dig.
L. 8.
Callistratus
L. 1. de cognit.
L. 9.*

A N N O T A T I O.

14. Contra fidem MStorum legitur: quamuis (non) sit adiectum. Quae binis lineolis clausa reperiuntur, cum hac negatione plerumque otiose, interdum peruerse textui inserta sunt. Negatiua hoc quoque loco expungenda est, vt prodeat sensus: quamuis Imperator partes proconsulis nominet, non ideo cognitionem ipsi imponit: quia partium eius pro more recepto quoque est, vt iudicem det.

A R G V M E N T V M.

15. Ex omnibus causis, de quibus vel praefectus vrbi, vel praefectus praetorio, itemque consules et praetores, caeterique Romae cognoscunt, correctorum et praesidum prouinciarum est notio. *L. 10. b. (§. 6)*

*Hermogen. L.
2. lur. epitom.
L. 10.*

A N N O T A T I O.

16. Omnia enim prouincialia desideria, quae Romae varios iudices habent, ad officium praesidum pertinent. *L. 11. b. (L. 1. tit. 16. §. 20)*

*Marcianus L.
3. Instit.
L. 11.*

R E G V L A.

17. Sed licet is, qui prouinciae praest, omnium Romae magistratum vice et officio fungi debeat, non tamen spectandum est, quid Romae factum est, sed quid fieri debeat. *L. 12. b.*

*Proculus L. 4.
Epist.
L. 12.*

A N N O T A T I O.

18. Conuenit bono et graui praesidi curare, vt pacata atque quieta prouincia sit quam regit: quod non difficile obtinebit, si sollicito agat, vt malis hominibus prouincia careat, eosque conquirat: nam et sacrile-

*Vlp. L. 7. de
off. proc.
L. 13.*

Q

gos,

§. I.

gos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet, vt prout quisque deliquerit, in eum animaduertere, receptoresque eorum coercere, sine quibus latro diutius latere non potest. *L. 13. pr. b.* Furiosis, si non possint per necessarios contineri, eo remedio per praesidem obuiam eundum est: scilicet, vt carcere contineantur: et ita Diuus Pius rescripsit. Sane excutiendum Diui fratres putauerunt in persona eius, qui paricidium admiserat, vtrum simulato furore facinus admisisset, an vero reuera compos mentis non esset: vt si simulasset, plecteretur: si fureret, in carcere contineretur. *L. 13. §. 1. b.*

ARGUMENTVM.

*Macer. L. 2.
de iudic. publ.
L. 14.*

19. Diuus Marcus et Commodus Papulae Tertyllo rescripserunt in haec verba: Si tibi liquido compertum est, Aelium Priscum in eo furore esse, vt continua mentis alienatione omni intellectu careat, nec subest vlla suspicio, matrem ab eo simulatione dementiae occisam: potes de modo poenae eius dissimulare, cum satis furore ipso puniatur: et tamen diligentius custodiendus erit, ac si putabis, etiam vinculis coercendus: quoniam tam ad poenam quam ad tutelam eius et securitatem proximorum pertinebit. *L. 14. b.*

ANNOTATIO.

20. Furiosi nulla est actio vel in eum imputatio. (*L. 1. tit. 1. §. 73*) Carcerem autem in poenam imputant principes, si forte acciderit, eum tam artificiose simulasse, vt praesidis inquisitionem elusisset, carceris sensum in poenam tacite imputaret, etiamnum furorem simulans.

ARGUMENTVM.

21. Si vero, vt plerumque adsolet, interuallis quibusdam sensu saniore, non forte eo momento scelus admiserit: nec morbo eius danda est venia, diligenter explorabis: et si quid tale compereris, consules nos, vt aestimemus, an per immanitatem facinoris, si cum posset videri sentire, commiserit, supplicio adficiendus sit. Cum autem ex literis tuis cognouerimus, tali eum loco atque ordine esse, vt a suis vel etiam in propria villa custodiatur: recte facturus nobis videris, si eos, a quibus illo tempore obseruatus esset, vocaueris et causam tantae negligentiae excusseris, et (in) vnumquemque eorum, prout tibi leuari vel onerari culpa eius videbitur, constitueris: nam custodes furiosis non ad hoc solum adhibentur, ne quid perniciosius ipsi in se moliantur: sed ne aliis quoque exitio sint. Quod si committatur, non immerito culpae eorum adscribendum est, qui negligentiores in officio fuerint. *L. 14. b. (L. 1. tit. 1. §. 81)*

ANNOTATIO.

*Marcianus
L. 1. de iudic.
publ.
L. 15.*

22. Illud obseruandum est, ne qui prouinciam regit, fines eius excedat, nisi voti soluendi causa: dum tamen abnoctare ei non liceat. *L. 15. b.*

ARGV-

ARGUMENTVM.

23. Senatusconsulto cauetur, vt de his, quae prouincias regentes, comites aut libertini eorum, antequam in prouinciam venerint, contraxerunt, parcissime ius dicatur. *L. 16. b. (L. 1. tit. 9. §. 8)* *Macer L. 1. de off. praef. L. 16.*

ANNOTATIO.

24. Ita vt actiones, quae ob eam causam institutae non essent (et tempore finitae) postea quam quis eorum ea prouincia excefferit, restituantur. *L. 16. b.* Scitum hoc forte fuit Claudianum de prouinciis consularibus L. Paulo et C. Marcello factum: aut istud quod Cotta et Messala CSS. factum fuit. *L. 4. §. 2. ff. De offic. Procons.*

ANNOTATIO.

25. Si quid tamen inuito accidit, veluti, si iniuriam aut furtum passus est: haecenus (ei) ius dicendum est, vt litem contestetur; (ne perinatur actio: nam actiones per litis contestationem perpetuantur) resque ablata exhibeatur, et deponatur, aut fisci exhiberiue, satisdato promittatur. *L. 16. b.*

ANNOTATIO.

26. Quod proconsulum et praesidum conditio et officium idem fuerit, satis clarum est. (§. 1) (*L. 1. tit. 18. §. 2*) propterea etiam aduentu successoris potestas decessoris desit, vti in proconsulibus: *L. 4. §. 4. ff. De officio procons.* SIGONIVS *de ant. iure prouinc. L. 2. c. 5.*

OBSERVATIO.

27. Multa iure ciuili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta sunt. *L. 51. §. 2. ff. Ad L. Aquil.*

ARGUMENTVM.

28. Si forte praeses prouinciae manumiserit, vel tutorem dederit, priusquam cognouerit successorem aduenisse: erunt haec rata. *L. 17. b. (§. 27)* *Celsus L. 3. Dig. L. 17.*

OBSERVATIO.

29. Plebiscito continetur (vt) ne quis praesidum munus, donumue caperet, nisi esculentum, potulentumue, quod intra dies proximos prodigatur. *L. 18. b.* *Modestin. L. 3. regul. L. 18.*

ANNOTATIO.

30. Obseruandum est ius reddenti, vt in adeundo quidem facilem se praebet, sed contemni non patitur: vnde mandatis adiicitur: ne praesides prouinciarum in vltiorem familiaritatem prouinciales admittant: nam ex conuersatione aequali contemptio dignitatis nascitur. *L. 19. pr. b.* Sed et in cognoscendo neque excandescere aduersus eos, quos malos putat, neque precibus calamitosorum illachrymari oportet. Id enim non est constantis et recti iudicis, cuius animi motum (excandescantiam vel miserationem intempestiuam, omnemque animi impotentiam.

tentiam. Non comprehendo, quid mysterii alii in hac voce quaesitarint. BYNKERSHOEK *Obs. L. 5. c. 14.*) vultus detegit. Et summam ita ius reddi debet, vt auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat. *L. 19. §. 1. b.*

*Papin. L. 1.
Resp.
L. 20.*

A R G V M E N T V M.

31. Legatus Caesaris, id est praeses, vel corrector prouinciae abdicando se non amittit imperium. *L. 20. b. (L. I. tit. 7. §. 56)*

A N N O T A T I O.

32. Insigne specimen ineptiarum turbae Ictorum ad modulum Glossatorum philosophantium affert Gothofredus ad hunc textum: veteres nimirum hinc collegisse: quod Constantinus Romam Papae donare non potuerit, quia se imperio et iurisdictione vrbs abdicare non valuerit. Quasi vero Imperator iuris necessitate imperium teneat.

A N N O T A T I O.

*Paul. L. sing.
de off. adfess.
L. 21.*

33. Praeses cum cognoscit de seruo corrupto, vel ancilla deuirginata, vel seruo stuprato: si actor rerum agentis corruptus esse dicetur, vel eiusmodi homo, vt non solam iacturam aduersus substantiam, sed ad totius domus euersionem pertineat: leuerissime debet animaduertere. *L. 21. b.*

A N N O T A T I O.

34. Serui actores erant, qui omnem domus procurationem gerebant: in aliis familiae salus posita videbatur, veluti in medico, paedagogo, qualis introducitur Geta apud Terentium, quem Demipho per antiphrasin salutatur:

ob!

Bone custos salue, columen vero familiae!

Phormione Actu I. sc. 5.

Et Apuleius *Metamorph. L. 8.* narrat de seruo: cui cunctam familiae tutelam dominus permiserat suus: quiue possessionem maximam illam villicabat.



DE
OFFICIO PROCVRATORIS CAESARIS
VEL RATIONALIS.

TITVLVS XIX.

DEFINITIO.

1. Dominus rei est persona cuius respectu illa res ita est affecta, vt propria sit. (L. 1. tit. 1. §. 182)

REGVLA.

2. Nemo plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habet. L. 54. ff. *Dē Reg. Iur.*

REGVLA.

3. Non administrat, qui alienat.

ARGVMENTVM.

4. Domino licet esse negligentem in re sua. (L. 1. tit. 1. §. 188)

REGVLA.

5. Eiusdem rei plures domini in solidum simul esse non possunt. (L. 1. tit. 1. §. 191)

DEFINITIO.

6. Procurator est alieni iuris priuati gratuitus vicarius vel administrator, ex mandato domini gerens, quando eidem ipse non superest. CICERO *pro Caecina.*

ARGVMENTVM.

7. Quae acta (gestaque) sunt a procuratore Caesaris, sic ab eo comprobantur, atque si a Caesare gesta sint. L. 1. *pr. b.* (L. 1. tit. 1. §. 40) *Vlp. L. 16. ad Edict. L. 1.*

ARGVMENTVM.

8. Si rem Caesaris procurator eius, quasi rem propriam tradat: non puto eum dominium transferre. Tunc enim transfert, cum negotium Caesaris gerens consensu ipsius tradit. L. 1. §. 1. *b.* Nam suo nomine alienans nihil alienat. (§. 2) §. 1.

DEFINITIO.

9. Transactio est decisio negotii controuersi et dubii per mutuam dimissionem rei vel iuris.

DEFINITIO.

10. Venditio est mercis certae pro pretio certo facta alienatio.

DEFINITIO.

11. Donatio est rei suae et certae alii accipienti facta alienatio gratuita, extra contractum.

ARGUMENTVM.

12. Denique si venditionis vel donationis vel transactionis causa quid agat, nihil agit: non enim alienare ei rem Caesaris, sed diligenter curare, commissum est. *L. 1. §. 1. h. (§. 3)*

OBSERVATIO.

§. 2. 13. Est hoc praecipuum in procuratore Caesaris, quod et eius iussu seruus Caesaris adire haereditatem potest: et si Caesar haeres instituitur, miscendo se opulentiae haereditati procurator haerodem Caesarem facit. *L. 1. §. 2. b.* Hoc ius singulare et secundum naturam fisci exorbitans est.

ANNOTATIO.

Paul. L. 5. sent. L. 2. 14. Quod si ea bona, ex quibus Imperator haeres institutus est, solvendo non sint: re perfecta consulitur Imperator. Haeredis enim instituti in adeundis vel repudiandis eiusmodi haereditatibus voluntas exploranda est. *L. 2. h.*

ARGUMENTVM.

Callistr. L. 6. de Cognit. L. 3. 15. Procurator Caesaris rei privatae administrandae praepositus est, non iuri dicendo: itaque Curatores Caesaris ius deportandi non habent, quia huius poenae constituendae ius non habent. *L. 3. pr. b.* Quae de abundante pronomine *huius* hic dubia coaceruantur, quasi exceptio *huius* poenae confirmet positionem reliquarum, nugatoria videntur: cum negata hac una non ideo ponantur reliqua, BYNKERSHOEK: *Obf. L. 2. c. 21.*

ARGUMENTVM.

§. 1. 16. Si tamen (aliquem) quasi tumultuosum vel iniuriosum aduersus colonos Caesaris prohibuerint in praedia Caesariana accedere: abstinere debent: idque Diuus Pius Iulio rescripsit. *L. 3. §. 1. h.* per hoc enim curat, non punit.

ARGUMENTVM.

§. 2. 17. Deinde neque redire cuiquam (deportato vel relegato) permittere possunt: idque Imperatores nostri Seuerus et Antoninus ad libellum Hermiae rescripserunt. *L. 3. §. 2. b.* Nam hoc imperii est, non procurationis. (§. 15)

DE OFFICIO IURIDICI.

TITVLVS XX.

ARGUMENTVM.

Vp. L. 26. ad Sabin. L. 1. 1. Adoptare quis apud Iuridicum potest: quia data est ei legis actio. *L. 1. b. (L. 1. tit. 7. §. 11. 12.)*

OBSERVATIO.

Idem L. 39. ad Sabin. L. 2. 2. Iuridico, qui Alexandriae agit, datio tutoris constitutione Diui Marci concessa est. *L. 2. h.*

DE

DE
OFFICIO EIVS, CUI MANDATA
EST IURISDICTIONE.

TITVLVS XXI.

ANNOTATIO.

1. Quid sit mandare, ex definitione (L. 1. tit. 8. §. 6¹) colligendum est.

DEFINITIO.

2. Res suae facultatis est, quam quis facere vel habere potest iure largiente.

ARGVMENTVM.

3. Quaecunque specialiter lege, vel senatus consulto, vel constitutione principum tribuuntur, mandata iurisdictione non transferuntur. *Papin. L. 1. Quaes. L. 1.*
L. 1. pr. b. (L. 1. tit. 4. §. 6)

ANNOTATIO.

4. Et ideo videntur errare magistratus, qui cum publici iudicii habeant exercitionem, lege vel senatus consulto delegatam, veluti lege Iulia de adulteriis, et si quae sunt aliae similes, iurisdictionem suam mandant. *L. 1. pr. b.*

ANNOTATIO.

5. Huius rei fortissimum argumentum, quod lege Iulia de vi nominatim cauetur, ut is, cui obtigerit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare: non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse coeperit: cum alias iurisdictione etiam a praesente mandetur. Et si a familia dominus occisus esse dicitur, cognitionem praetor, quam ex Senatus consulto habet, mandare non poterit. *L. 1. pr. b.*

ANNOTATIO.

6. De imperio omnique curatione reipublicae notum est, quod a populo, lata de his lege, data fuerint. CICERO *contra Rullum p. m. 398.* et non longe post ea dicit: *Maiores de omnibus magistratibus bis populum sententiam ferre voluerunt.* vid. SIGONIVS, *de ant. Iure Rom. L. 2. c. 1.*

ARGVMENTVM.

7. Qui mandatam iurisdictionem suscepit, proprium nihil habet: sed (et) eius qui mandavit, iurisdictione utitur. *L. 1. §. 1. b.* est enim alieni iuris vicarius (§. 6) §. 1

DEFINITIO.

8. Imperium merum est facultas civilis, qua quis lege populi Romani gladio in facinorosos animaduertendi ius habet. *L. 3. ff. De iurisd.*

ARGV-

A R G V M E N T V M.

9. Verius est enim, more maiorum iurisdictionem quidem transferri: sed merum imperium, quod lege datur, non posse transferri. Quare nemo dicit, animaduersionem legatum proconsulis habere mandata iurisdictione. *L. 1. §. 1. h. (§. 3)*

A N N O T A T I O.

10. Omnis quidem iurisdictione lege data fuit (§. 6) sed potestas gladii peculiaris fuit, et populo Romano reservata. *Leges XII. Tabb.* prohibent magistratus, ne de capite cuius sententiam ferant: nisi per comitiatum maximum. *CICERO pro Sextio.* Haec et alia, peculiari lege vel iure magistratibus data vel potius imperata, mandari non potuerunt. (*L. 1. tit. 1. §. 56*) excepta lege Iulia in casu absentiae (§. 5)

D E F I N I T I O.

11. Imperium non merum siue mixtum est facultas civilis in ius causae, a priuatis magistratui subiectae, et in personas litigantium, qua eos cogere potest, ut alter alteri ius suum tribuat.

A R G V M E N T V M.

12. Quare hoc imperium iurisdictionis particula, vel sequela esse intelligitur.

A R G V M E N T V M.

13. Paulus notat: et imperium quod iurisdictioni cohaeret, mandata iurisdictione transferri, verius est. *L. 1. §. 1. h. (L. 1. tit. 5. §. 69)*

O B S E R V A T I O.

14. Praetores prouinciarum et ob similitudinem officii praesides quoque, ad cognoscendas causas capitales, merique imperii exercitationem consilium adhibebant. *CICERO libro 2. in Verrem,* narrat, quod hic praetor Siciliae, Sopatrum apud C. sacerdotem capitali accusatione absolutum, *dimisso consilio* contra morem damnauerit: et Verrem, impudentissimum licet hominem, anxium atque conturbatum fuisse, quod Sopatrum condemnare *praetor sine consilio* non posset.

A R G V M E N T V M.

15. Merum imperium causaeque capitalis exercitio mandari non potuit, (§. 9) proinde: Mandata iurisdictione a praeside, consilium non potest exercere is, cui mandatur. *L. 2. pr. h. (§. 14)*

A N N O T A T I O.

16. Ibi quidem praetor desideratur, ubique causae cognitio est. *L. 105. ff. De R. I.* In adoptionibus etiam causae cognitio requiritur (*L. 1. tit. 7. §. 62. 63*) nihilo secius tamen apud legatum adoptari potest, cui mandata est iurisdictione (*L. 1. tit. 16. §. 6*) Verum tamen lex 105. poscit praetorem, cui lege vel imperio imposita est causae cognitio: ita ut non possit expediri per iudicem pedaneum, aut legatum, aut alium.

ARGV-

*Vlp. L. 1. de
omn. trib.
L. 2.*

ARGUMENTVM.

17. Si tutores vel curatores velint praedia vendere, caussa cognita id praetor vel praefes permittat: Quodsi mandauerit iurisdictionem, nequaquam poterit mandata iurisdictione eam quaestionem transferre. *L. 2. §. 1. b.* Haec enim cognitio ad orationem Imperatoris Seueri, et inde secutum SCtum specialiter ipsis magistratibus iniuncta est. *L. 1. §. 1. 2. ff. De reb. cor. qui sub tutela. L. 1. C. De praed. minor. (§. 10)*

§. 1.

ANNOTATIO.

18. Et si praetor sit is, qui alienam iurisdictionem exequiter: non tamen pro suo imperio agit, sed pro eo, cuius mandatu ius dicit, quotiens partibus eius fungitur. *L. 3. b.*

Iul. L. Dig. L. 3.

ANNOTATIO.

19. Multi praetores, urbanus, peregrinus, fidei commissarius, Romae ius dixerunt: *L. 2. §. 32. ff. De O. I.* et ita fieri potuit, vt vnus alterius mandatu ius redderet.

OBSERVATIO.

20. Nemo ciuis libenter esset eius reipublicae in qua bona pupillorum post mortem parentum indefensa relinquērentur et praedonum inuasionibus exposita forent. (*L. 1. tit. 1. §. 313*)

ARGUMENTVM.

21. Reipublicae interest, pupillorum bona salua esse.

ARGUMENTVM.

22. Cognitio de suspectis tutoribus mandari potest: immo etiam ex mandata generali iurisdictione propter vtilitatem pupillorum eam contingere constitutum est, in ea verba: Imperatores Seuerus et Antoninus Braduae proconsuli Africae. Cum propriam iurisdictionem legatis tuis dederis: consequens est, vt etiam de suspectis tutoribus possint cognoscere. *L. 4. pr. b.*

Macer. L. 1. de off. praef. L. 4.

ARGUMENTVM.

23. Vt possessio bonorum detur: vel si cui damni infecti non caueatur, vt is possidere iubeatur: aut ventris nomine in possessionem mulier, vel is cui legatum est legatorum seruandorum caussa in possessionem mittatur, mandari potest. *L. 4. §. 1. b.* Hoc enim imperium iurisdictionis est (§. 13)

§. 1.

ARGUMENTVM.

24. Mandatam sibi iurisdictionem mandare alteri non posse, manifestum est. *L. 5. pr. b.* cum enim mandari saltem possit, quod in alicuius facultate positum est (*L. 1. tit. 8. §. 61*) apparet, iurisdictionem mandatam in mandatarii potestate non esse. (§. 7)

Paulus L. 19. ad Plaut. L. 5.

ARGUMENTVM.

25. Mandata iurisdictione priuato, etiam imperium, quod non est merum, videtur mandari: quia iurdictio sine modica coërcitione nulla est. *L. 5. §. 1. b. (L. 1. tit. 1. §. 169)*

§. 1.

DE OFFICIO ADSESSORVM.

TITVLVS XXII.

OBSERVATIO.

*Paul. L. sing.
de off. adseff.
L. 1.*

1. Omne officium adsefforis, quo iuris studiosi partibus suis funguntur, in his fere cauffis constat: in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis. *L. 1. b. GELLIVS L. 12. c. 13.* peritos studiososque iuris, tradit.

DEFINITIO.

2. Adfidere est integre et perite cognoscendo iudicem iuare.

DEFINITIO.

3. Infamis est, qui propter indignum factum malae et perfidae mentis opinione oneratur.

ARGVMENTVM.

4. Infamis non praesumitur recta conscientia iudicem cognoscendo, vel clientem postulando iuare. (§. 3)

ARGVMENTVM.

*Marcianus L.
1. de iud. publ.
L. 2.*

5. Liberti adfidere possunt *L. 2. b.* Nam adseffor honorem magistratus non gerit (§. 1) (*L. 1. tit. 1. §. 329*)

POSITIO.

6. Infames autem, licet non prohibeantur legibus adfidere, attamen arbitror, vt aliquo (quoque) decreto principali refertur constitutum, non posse officio adsefforis fungi. *L. 2. b.*

PROBATIO.

Infamis non praesumitur iudicem integre et recta conscientia iuare (§. 4) quia vero adfidere est iudicem in cognoscendo et iudicando integre iuare (§. 2) ideo infamis non potest fungi officio adsefforis.

OBSERVATIO.

7. Qui apud suos homines, nimirum vel cognatos, vel quibuscum ipsi familiaritas vel coniunctio est, aut commercium; potestatem aliquam gerit, solet diuersimode esse vel gratosus vel calumniosus. *PAVLVS. Sent. L. V. tit. 12. §. 5. (L. 1. tit. 9. §. 8)*

ANNOTATIO.

*Macer L. 1. de
off. praef.
L. 3.*

8. Si eadem prouincia postea diuisa, sub duobus praefidibus constituta est, veluti Germania, Myfia; ex altera ortus in altera adsidebit, nec videtur in sua prouincia adsedisse. *L. 3. b.*

ARGVMENTVM.

*Papin. L. 4.
Respons.
L. 4.*

9. Diem functo legato Caesaris, salarium comitibus residui temporis, quod (a) legatis praestitutum est, debetur. (*L. 1. tit. 1. §. 239*) **Mo-
do**

do si non postea comites cum aliis eodem tempore fuerunt. Diuersum in eo seruatur, qui successorem ante tempus accepit. *L. 4. b.*

A N N O T A T I O.

10. Lectio: *quod (a) legatis: et contra fidem antiquorum MStorum per glossatores commenta est, quia codices quidam pro praestitutum habent praestitutum. ALCIATVS: Disputat. L. 4. c. 20. et sensum turbat. Legi enim debet: quod legatis: - siquidem sanior sensus prodit: quod legibus aut ab ipso Caesare legatis tempus legationis praestitutum sit. Salarium officii honorarii integrum praestari solitum fuit: mercenariae operae, pro rata temporis, quo quis operam nauauit. Legatus officio male functus honorarii munifica ratione indignus fuit: nec culpa vacare possunt adseffores, quare non praemio sed mercede stricte dimensa contenti esse iubentur. Hanc rationem opinor esse (§ 9)*

A R G V M E N T V M.

11. Consiliari (aliis placet consiliarii, item consiliario: ego malle: *Paul. L. 1. senec. L. 5.* consulari) eo tempore quo adsidet, negotia tractare in suum quidem auditorium nullo modo concessum est: (utpote adseffor magistratum non gerit: (§ 5) quantumuis alias iudex vel urbi praefectus sit, vel alium magistratum gerat. (*L. 1. tit. 9. §. 2*) in alienum autem (auditorium negotia tractare, consularis vir) non prohibetur. *L. 5. b.* Id est: infra dignitatem eius non est, ut adsefforem se praebat.

A R G V M E N T V M.


12. In consilium curatoris reipublicae vir eiusdem ciuitatis adsidere non prohibetur: quia publico salario non fruitur. *L. 6. b.* Quia curatoris proprie nulla potestas est: *L. 11. ff. De pignor. L. 3. §. 4. ff. Quod vi aut clam.* Vnde cessat ratio (§. 7) *Papin. L. 1. Respons. L. 6.*

A N N O T A T I O.

13. Iuris studiosis id est adsefforibus, petentibus salaria praebantur: *L. 4. ff. De extraordin. cognit.* certa autem constituta fuerunt ab Imperatore Alexandro Seuero: *LAMPRIDIVS in Alex. pag. 218.* quamuis eos magistratus Imperator vix laudarit, *qui non per se rempublicam gerere possent, sed per adseffores.* Quod ex aerario praestita fuerint, confirmat *PLINIVS Epist. 12. L. 4. Cum in prouinciam (Marcellinus) Quaestor exisset scribamque, qui sorte obtigerat, ante legitimum salarii tempus amisisset; quod acceperat scribae daturus, intellexit et statuit, subsidere apud se non oportere. Itaque reuersus, Caesarem, Caesare auctore senatum consuluit, quid fieri de salario vellet. Parua quaestio, sed tamen quaestio. Haeredes scribae sibi, praefecti aerario, populoque vindicabant. Acta causa est: dixit haeredum*

aduocatus, deinde populi: uterque percommode. Caelius Strabo aerario censuit inferendum: Baebius Macer haeredibus dandum. Obtinuit Strabo. Opinor obtinuisse ideo, quia scribae ministerium mercenarium fuit, nec comparandum honorifico officio adsefforis (§. 9) Contemptum habitum Cn. Flauium, de quo lege 2. §. 7. ff. De O. Iur. quod scriba Aedilis esset, et quomodo Aedilis negauerit sibi placere, qui scriptum faceret, eum Aedilem fieri: ex GELLIO notum fit: L. 6. c. 9. Tandem e Plinii loco adducto adparet, quod legato Salarium scribae et forte comitum etiam, numeratum fit: quare nec inepta est lectio legis 4. h. t. quod legatis praesbitum est (§. 10) vt soluerent comitibus.

FINIS
RESOLUTIONVM LIBRI PRIMI
PANDECTARVM



INDEX



INDEX TITVLORVM

LIBRI I.

PANDECTARVM.

Tit. I. <i>De Iustitia et Iure</i>	-	-	-	pag. 1
II. <i>De origine Iuris et omnium Magistratum, et successione Prudentium</i>				38
III. <i>De Legibus, Senatusque consultis, et longa consuetudine</i>				47
IV. <i>De Constitutionibus Principum:</i>	-	-	-	54
V. <i>De Statu hominum</i>	-	-	-	56
VI. <i>De his, qui sui vel alieni iuris sunt</i>	-	-	-	66
VII. <i>De Adoptionibus et Emancipationibus, et aliis modis, quibus Patria potestas soluitur</i>	-	-	-	71
VIII. <i>De Divisione Rerum et Qualitate</i>	-	-	-	87
IX. <i>De Senatoribus</i>	-	-	-	96
X. <i>De Officio Consulis</i>	-	-	-	101
XI. <i>De Officio Praefecti Praetorio</i>	-	-	-	104
XII. <i>De Officio Praefecti Vrbi</i>	-	-	-	106
XIII. <i>De Officio Quaestoris</i>	-	-	-	108
XIV. <i>De Officio Praetorum</i>	-	-	-	109
XV. <i>De Officio Praefecti Vigilum</i>	-	-	-	111
XVI. <i>De Officio Proconsulis</i>	-	-	-	112
XVII. <i>De Officio Praefecti Augustalis</i>	-	-	-	118
XVIII. <i>De Officio Praefidis</i>	-	-	-	119
XIX. <i>De Officio Procuratoris Caesaris vel rationalis</i>	-	-	-	125
XX. <i>De Officio Iuridici</i>	-	-	-	126
XXI. <i>De Officio eius cui mandata est Iurisdictio</i>	-	-	-	127
XXII. <i>De Officio Adfessorum</i>	-	-	-	130



INDEX RERVM.

A.

<i>Abortus</i> procuratio est homicidium 14	<i>Adseffores</i> de officio eorum 130. qui-
est tamen crimen extraordinarium 14	nam adsidere potuerint 130. sqq. de
<i>Accedere</i> quid sit 21	quibus causis cognouerint 130. sqq.
<i>Accessio</i> quid sit 90	salaria iis praebebantur 131
<i>Actio</i> quid sit 7. 32. inuita quaenam	<i>Adsidere</i> quid sit 130
fit 8. 9. coacta 8. imputari ne-	<i>Adulterium</i> vnius personae, quare al-
quit 9	terum coniugem a matrimonio sol-
<i>Actio Legis</i> quid sit 72. quinam legis	uat 18
actionem habuerint 73	<i>Aedes sacrae</i> sub cura Proconsulis erant
- - <i>utilis</i> qualis sit 79	115
<i>Actiones legitimaе</i> , quaenam sint 39	<i>Aedificium</i> in litore positum, quid iu-
<i>Adgnatio</i> , quid respectu adoptatorum	ris circa illud sit 91
de ea obseruandum 81	<i>Aediles</i> , origo eorum 41
<i>Adoptare</i> quis absens per alium non	- - - Cereales quinam 42
potest 82	- - - Curules quinam 42
<i>Adoptio</i> quid sit 68. 71. 82. quomodo	<i>Aequitas</i> , definitio eius 23
facta 71. 72. differentia eius ab Ar-	<i>Aequum</i> quid sit 2. quomodo differat
rogatione 71. fit in subsidium ge-	a bono 2
nerationis per accidens praecclusae 72	<i>Aestimatio</i> quid sit 95
83. cuius consensus circa eam re-	<i>Affinitatis</i> abstinentia quo fundamento
quisitus fuerit 73. 74. minor maio-	nitatur 17
rem adoptare non poterat 77. nec	<i>Aggressor</i> quando recte occidi possit
tutor pupillum minorennem 77.	13. 15
non ius sanguinis, sed ius adgna-	<i>Alimentorum causa</i> quid sit 69
tionis adfert 81. dignitas per eam	<i>Amor</i> sexus ambitionem quandam con-
non minuitur 84. non iure facta a	tinet 16. auersatur omnem ter-
Principe confirmari potest 85	tium 18
<i>Adrogare</i> quis absens per alium non	<i>Appellare</i> , quis et a quo appellari pos-
potest 82	sit 117
<i>Adrogari</i> nec absens nec dissentiens	<i>Aqua</i> et igni interdicti 62
potest 11	<i>Arma</i> , qualia in bella licita sint 28
<i>Adrogatio</i> quid sit 71. quomodo per-	<i>Auctores</i> Legum recensentur 43. sqq.
acta 72. differt ab Adoptione 71	<i>Augusta</i> , an legibus sit soluta 51
non nisi vnus adrogari poterat 76	<i>Autochiria</i> naturaliter iniusta est 11
pupillorum certo respectu prohibi-	an detur etiam eius poena quaedam
ta 77. 78. quid de foeminarum ad-	naturalis 4. nunquam licita est 11
rogatione statutum fuerit 80	

I N D E X R E R V M.

B.

<i>Barbarius Philippus</i> seruus fugitiuus, Romae Praetor designatur	109
magno pretio a Domino agnitus se redimit	110
<i>Bellum</i> , in casum denegatae iustitiae demum indicendum 28. quale ius- tum sit 28. origo bellorum pulchre describitur 29. qualia arma in bel- lis licita sint	29.
<i>Bona</i> , vtrum raptorem eorum perime- re liceat	15
<i>Bona fide</i> agere quinam dicantur	27
<i>Bonum</i> quid sit 2. quomodo differat ab aequo 2. quid sit bonum essen- tiale 5. morale	ibid.
<i>Bruta</i> habent Ius Naturae	6. II

C.

<i>Caesar</i> qua arte imperium retinuerit	118
<i>Capitis deminutio</i> quid sit	97
<i>Casus</i> , definitio eius 10. non impu- tatur	10
<i>Causa</i> , definitio eius	24
<i>Causae cognitio</i> quid sit	78
<i>Celeres</i> quinam fuerint 104. successu temporis Equites nominabantur	104
<i>Cenotaphium</i> quid sit 93. an sit reli- giolum	94
<i>Censor</i> , in quo officium eius constite- rit 96. eius opinationi quatenus fides habita fuerit	97
<i>Censores</i> , eorum institutio	40
<i>Censoria nota</i> differebat a iudicum sen- tentia	96
<i>Ciues</i> , quare liberi sint	56
<i>Ciuiliter mortui</i> quinam dicti	68
<i>Ciuis</i> definitio eius	61
- - Romanus vltimo supplicio adfici non poterat	62
<i>Ciuitas</i> , eius definitio 32. constituit personam mysticam	32

<i>Clarissimae</i> personae, quatenam ita di- ctae fuerint	100
<i>Coeus</i> adoptare et adoptari potest	74
<i>Cognatio</i> , eius definitio 81. quid de cognitione adoptatorum statuatur 81	81
<i>Commercia</i> , definitio eorum	24
<i>Committere</i> quid sit	22
<i>Commune</i> et Publicum quomodo diffe- rant 90. 91. quid sit commune 92	92
<i>Commutatiua</i> iustitia, explicatio eius	36
<i>Conatus</i> quid sit 8. quatenus impute- tur	9
<i>Conciliatio Legis</i> 14. ff. de S.H. cum Pauli Sent. 4. c. 9.	60
- - - L. 26. eod. et L. 10. §. 2. ff. de Vsurp. et Vsuc.	64. 65
<i>Concubinatus</i> iure naturae toleratur	16
<i>Conditio</i> , definitio eius	22
<i>Coniunctio matrimonialis</i> , definitio eius	16
<i>Consecratio</i> et Dedicatio quomodo dif- ferunt	94
<i>Consensus</i> , definitio eius 22. ad illum sufficit voluntatis declaratio	23
<i>Consequentia</i> vnde sint interpretanda	26
<i>Consilium</i> quid sit	9
<i>Constitutio</i> Principalis quid sit	40
<i>Constitutiones</i> Principum quid sint quatenam potiores sint	55 56
<i>Consuetudo</i> quid sit 51. an detur in Monarchia 52. quatenam pro lege custodiatur 53. quid porro circa eam obseruandum 53. est optima legum interpret	53
<i>Consul</i> minor viginti annis apud se ma- numittere non poterat 102. ordi- narie ante 44 aetatis annum consu- latum petere non licebat 102. apud Collegam causa probata manumit- tere potest	103
<i>Consulatum</i> ante 44 aetatis annum pe- tere non licebat	102
<i>Consules</i> , eorum institutio	40

Consu-

I N D E X R E R V M.

<i>Consules</i> et scorsum singuli manumittunt 101. seruos suos apud se manumittere possunt 102	<i>Dolabra</i> apud Romanos quid fuerit 112
<i>Consulis</i> officium in quo consistat 101	<i>Dolus</i> quid sit 9. quinam bonus dicitur 10. quinam personalis 10
<i>Contractus</i> quid sint 24. variae diuisiones contractuum 24. quinam contractus verus dicatur <i>ibid.</i>	<i>Dominia rerum</i> , ratio consensus gentium in ea 21
<i>Contractus realis</i> , definitio eius 26 fundamentum 26	<i>Dominium</i> , definitio eius 21
- - - <i>bonae fidei</i> , quid sit 27. fundamentum eius 27	<i>Donatio</i> quid sit 125
- - - <i>consensualis</i> , definitio eius 26	<i>Dubium</i> . Quae in dubio sententia sit sequenda 26
- - - <i>nominatus</i> et <i>innominatus</i> quinam sint 27. fundamentum eorum <i>ibid.</i>	
- - - <i>stricti iuris</i> , definitio eius 27	
<i>Culpa</i> , definitio eius 10. lata quaenam ita dicatur 10. leuis quaenam 10 et laeuissima 10. sua cuique nocet 11	
<i>Curiae</i> , a quo institutae 38	

D.

<i>Datio</i> in adoptionem fit vi patriae potestatis 86. onera eius, qui in adoptionem datus est, ad patrem adoptiuum transferuntur 87
<i>Decemuirorum</i> institutio 38. 39. 42
<i>Decretum</i> , definitio eius 55
<i>Dedicatio</i> et Consecratio quomodo differant 94
<i>Defensio sui</i> cur sit Iuris Gentium 11. 13
<i>Delictum</i> , definitio eius 10
<i>Deus</i> Romanorum tutelaris, quare inter occultissima arcana habitus sit 88
<i>Dictator</i> similis regibus Magistratus erat 104
<i>Dictatores</i> eorum institutio et potestas 40
<i>Dignitas</i> , definitio eius 62
<i>Distributiva</i> iustitia, explicatio eius 35
<i>Diuisio rerum</i> in duos articulos deducitur 87

E.

<i>Edicta</i> Praetorum constituunt Ius honorarium 40
<i>Edictum</i> , definitio eius 55
<i>Emancipatio</i> quid sit 70. quomodo facta fuerit 70
<i>Emancipatio</i> fit voluntate patris 82 et hic quocunque loco filium emancipare potest 84. non est actus legitimus 84
<i>Equites</i> quinam ita dicti fuerint 104
<i>Error</i> quid sit 8. est consensui contrarius 23
<i>Explicatio</i> L. 9. ff. de I. et I. 34
- - - L. 10. eod. 35
<i>Exploratores</i> iure militum non fruuntur 30
<i>Extraneus</i> , quis sit 82

F.

<i>Familia</i> , definitio eius 82
<i>Fauorabilia</i> in fauorabilibus sunt amplianda 25
<i>Faui</i> Iuris quilibet pro se introducto renunciare potest 22
<i>Fideicommissum</i> quid sit 80
<i>Fides</i> est vinculum humanae societatis, ideoque religiose seruanda 15
<i>Filiatio</i> , de ea quid statuatur 69. 70
<i>Filius</i> quinam sit 68. patrem compellere non potest, vt emancipetur 83
<i>Filius</i>

INDEX R E R V M.

Filius emancipatus non est in familia patris 82. si quem adoptauerit, is patris nepos non est 82. quocunque loco a patre emancipari potest 84
 - - - *familias*, definitio eius 59. non solum natura sed et adoptione fit 71
 - - - *Senatoris* quinam ita dicantur 98. quinam Quasi Senatoris filius 99
Flamina pæne omnia publica sunt 90
Fœmina definitio eius 18
Fœminæ an adrogari potuerint 80
 - - - *Consulari* an Praefectus vrbi praefendus sit 96
Frater et soror an coniungi possint 17
Furiosi consensu non obligantur 23
Furiosus quid circa eum obseruandum 122
Furor, eius definitio 23

G.

Graduum prohibitio fundamento naturali nititur 17
Gratitudo, definitio eius 19

H.

Haeres quis sit 80
Haeres suus, quis ita dicatur 74
 - - - factus, patre mortuo fit sui iuris 85
Hamus apud Romanos quid fuerit 112
Hermaphroditus cui comparandus 58
Homines diuiduntur in liberos et seruos 56
Homicidium in genere illicitum est 11
Homo se ipsum naturaliter amat 12
 - - - *liber* quinam dicatur 56
Honor, definitio eius 15
Hostis, quid in eum liceat, vel non 30. rerum in bello captarum dominus

fit 31. fides ei data seruanda est et cur? 31

I.

Imperator perpetuus quis fuerit 104. sq.
Imperatores imperium sibi lege deferri curarunt 55
Imperium, definitio eius 63
 - - - *merum* quid sit 127. non poterat transferri in alium 128
 - - - *mixtum*, definitio eius 128
Impossibile ad illud nemo obligatur 22
Imputatio quid sit 8
Incensia, quid circa ea Romae obseruatum fuerit 111
Incestus quare a Deo in gentibus puniatur 17. 18
Indebitum errore soluitur 27
Infamis quis sit 130. vtrum possit officio adlessoris fungi 130
Infans recens natus, ritus Romanorum circa eundem 74. sq.
Ingenus quinam sint 57. 63. 64. sola natiuitate fiunt 65
Iniuria, definitio eius 15. defensionem cum caede iniuriantis non admittit

15
Iniustum quid sit 5
Instigatio quid sit 9. imputatur 10
Instrumentum quid sit 8. personae etiam instrumenti loco sunt 8
Insula, significatio huius vocis III. 112
Insularius, qualis persona fuerit 112
Interpretatio, definitio eius 24. fieri debet de materia substrata 25. item ad congruens 25. vbi restricta requiratur interpretatio 25. vbi extensiva 26
 - - - consequentiae, secundum praecedentium suum facienda 25

S

Index

I N D E X R E R V M.

<i>Iudex</i> quis sit 97. studio partium eum vacare oportet	97
<i>Iureconsultus</i> , eius descriptio	2
<i>Iureconsulti</i> , dicuntur Sacerdotes Iustitiae	1. 2
<i>Iuridicus</i> , apud eum adoptare quis poterat 126. qui Alexandriae agebat tutorem dare poterat	126
<i>Iurisdictio</i> mandari poterat 127. de officio eius, cui mandata erat 127. sqq. mandata alteri mandari non poterat	129
- - - <i>contentiosa</i> quid	113
- - - <i>voluntaria</i> quid	113
<i>Iurisprudentiae</i> definitio	37
<i>Iuris</i> studium est vel priuatum, vel publicum	2
<i>Ius</i> vnde haec vox deriuetur 1. quid sit ibid. variae vocis huius significationes 37. origo Iuris 38. in quo totum consistat	54
- - - <i>ciuile</i> eius scientia pendet a cognitione Iuris naturalis 4. eius definitio 33. quare ciuile vocetur	34. 39
- - - <i>Papirianum</i>	38
- - - <i>Flauianum</i>	39
- - - <i>Aelianum</i>	39
- - - <i>ciuitatis</i> Romanae in quo constituterit 61. amittebatur per interdictionem ignis et aquae	62
- - - <i>Gentium</i> eius a Iure naturali differentia 11. 20. eiusdem causa prima 12. definitio 20. idem significare videtur quod Ius familiarum 21. vnde nomen suum acceperit	35
- - - <i>honorarium</i> quid sit 34. vnde nomen acceperit	37. 40
- - - <i>Naturae</i> tripertitum est 3. an brutis quoque competat 4. 11. quid sit 4. externe non obligat 3. 4. datur ius naturae 5. immutabile est 6. de principio eius omnium dissensus est 6. eius a Iure Gentium differentia 11. 20	11. 20
- - - <i>postliminii</i> vnde dicatur 75. quibus eo vti licuerit 75. et quibus non concessum fuerit	76
- - - <i>praetorium</i> quid sit 33. vnde nomen suum acceperit	37
- - - <i>primogeniturae</i> vnde deriuetur	19
- - - <i>priuatum</i> , eius definitio	2
- - - <i>publicum</i> , eius definitio 2. in quo consistat	3
- - - <i>singulare</i> quid sit	49
In <i>Ius</i> vocatio quid sit	92
<i>Iuste</i> agere potest, qui iniustum facit, et vice versa	36
<i>Iustitia</i> prior est quam Iurisprudentia est perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi	35
- - - <i>uniuersalis</i> , definitio eius 35. diuisio in	35
- - - <i>distributiuam</i> 35. et <i>commutativam</i>	36
<i>Iustitiae</i> Sacerdotes, qui dicantur	1
<i>Iustum</i> quid sit	1. 4. 5

L.

<i>L. 5. pr. ff. De D. Rer. Legis</i> huius lectio defensa	90
<i>L. 6. §. 5. et L. 7. ff. de Div. R.</i> conciliantur	94
<i>L. 3. ff. de Senat.</i> Ratio huius legis	98
<i>L. 7. §. 2. ff. de Senator.</i> cum <i>L. 11. C. de Quaest.</i> conciliatio	99
<i>L. 1. §. 2. ff. de Offic. Conf.</i> Textus in hac lege defensio	102
<i>L. 2. §. 1. ff. de Off. Proc.</i> et <i>L. 17. ff. de Man. vid.</i> conciliantur	113
<i>L. 2. ff. Quis et a quo app.</i> intellectus huius legis	117
<i>L. 14. ff. de Off. Praef.</i> intellectus huius legis	122
<i>L. 4.</i>	

INDEX R E R V M.

<i>L. 4. ff. de Off. Adfess.</i> intellectus huius legis	131	<i>Libertini</i> quinam sint	58. 62
<i>Legatus</i> bellicus saluus et inuiolabilis esse debet	31	<i>Libertus</i> , patronum quasi parentem habet 77. alienus adoptari non debet	77
- - - Proconsulis, apud eum nemo manumittere poterat 113. quid Proconsul ipsi mandare potuerit 114. Iudicis dandi ius habebat 117. causas maioris animaduersionis ad Proconsulem remittere debebat	117	<i>Licitum</i> quid sit	93
<i>Leges</i> earum auctores recensentur 43. 44. quid in latione earum obseruatum fuerit 47. earum virtutes 48. generaliter constituuntur 48. benignius interpretandae sunt 50. priores ad posteriores interdum trahuntur 50. 51. et vice versa	51	<i>Loca sacra</i> quae sint	94
- - - XII. Tabularum, origo earum	39	<i>Lucrum</i> , definitio eius	23
<i>Lex</i> , definitio eius 4. 47. 48. quomodo a Priuilegio differat 47. ordo legis ferendi describitur 47. quomodo legi fraus fiat 51. quidnam legis vigorem habeat	55	M.	
- - - <i>Naturae</i> quid sit	6	<i>Magistri equitum</i> quales fuerint	41
- - - <i>regia</i> de ea agitur	54. 55	<i>Magistratus</i> , definitio eius	63
<i>Liber</i> homo, qui se vendidit, manumissus, sit libertinae conditionis	63	<i>Malum</i> quid sit	5
<i>Libera</i> praegnans ultimo supplicio damnata liberum parit	62	<i>Mandatum</i> , definitio eius	93
<i>Liberi</i> ex legitimis nuptiis procreati patrem sequuntur 62. sine matrimonio legitimo nati, matrem 63. parentes inopes alere tenentur 19. ingrati emancipati, iterum in potestatem patriam reuocabantur	75	<i>Manumisso</i> , eius definitio 29. est Iuris gentium 32. quando introducta 33. est actus legitimus 59. quibus ceremoniis facta sit	59. 60
- - - <i>Senatorum</i> quinam habeantur	100	- - - <i>separata</i> quid sit	102
<i>Libert</i> homines sunt vel ingenui, vel libertini	57	<i>Maritus</i> regit vxorem et familiam	17
<i>Libertas</i> , eius descriptio	56	<i>Mas</i> , definitio eius	18
<i>Libertatis</i> imminutio quomodo fiat	93	<i>Materfamilias</i> definitio eius 67. quomodo a Matriona differat	67
		<i>Matrimonium</i> consensus facit non concubitus 16. ergo mutuo dissensu iterum tollitur 18. quinam ad id inhabiles sint	18
		<i>Matrona</i> differt a Matrefamilias	67
		<i>Mendacium</i> , definitio eius 16. quale culpari nequeat 16. quale veritati aequipolleat	16
		<i>Meritum</i> quid sit	9
		<i>Moderamen inculpatae tutelae</i> quid sit	14
		<i>Mos</i> quid sit	34. 51
		<i>Municipum</i> et Municipiorum cognitio valde obscura	61
		<i>Muri</i> in municipiis erant sancti 94. qui violauerat eos, capite puniebatur	95

INDEX E E R V M.

N.

<i>Natura</i> in sensu Iuridico quid sit 3. definitio Naturae 4. nihil in ea sine ratione existit	4
<i>Necessitas congruentiae</i> , quid sit	4-5
<i>Nepos</i> , quis sit 82. quid de eo respectu Adoptionis notandum	86

O.

<i>Obligatio</i> definitio eius	22
<i>Obligatio</i> nes quid sint 24. fundamentum earum ex consensu	22
<i>Obsides</i> quare dentur 31. dati aufugere non debent	31
<i>Occupatio</i> definitio eius 20. rerum saltem rariorum conceditur 20. modus eius varius est	21
<i>Odiosa</i> patiuntur restrictam interpretationem	25
<i>Omissio</i> quid sit	8
<i>Origo</i> Iuris describitur	38. sqq.

P.

<i>Pacta</i> quid sint	24
<i>Pactum nudum</i> , quid sit 28. de Iure tertii non valet	22
<i>Papirius</i> leges in ordinem redegit hinc Ius civile Papirianum	38
<i>Partus</i> ineditus an homo sit 14. septimo mense perfectum nasci receptum est	59
<i>Pater</i> liberos alere tenetur 19. ingratos poena et malo afficere potest	19
<i>Paterfamilias</i> , definitio eius 58. 67. liberos in potestate habet 67. etiam furiosus 68. adoptati conditio 75. item filiorum eius	85
<i>Patria potestas</i> , definitio eius 59. quousque extendatur 69. quibus modis	

soluatur 71. sqq. liberatus ab ea, nisi adoptione in eam honeste redire poterat	75
<i>Patricii</i> quinam fuerint	96
<i>Patronus</i> , an libertum suum adoptare potuerit	77
<i>Peregrini</i> nati quinam dicantur	63
<i>Persona</i> in Iure civili quid sit	22
<i>Personae</i> sui vel alieni iuris sunt 66. sic serui sunt in potestate dominorum 66. liberi in potestate patris 67. quatenam sui iuris sit 70. quatenam clarissimae dictae	100
<i>Philosophia</i> vera, quae illa sit	2
<i>Pisces</i> in mari sunt communes	90
<i>Plebiscita</i> , eorum origo	39
<i>Poena</i> adulterii, stupri, avaritiae, Sodomiae, autochiriae, an detur quaedam naturalis	4
<i>Praecepta</i> Iuris quatenam sint	36
<i>Praefationes</i> , vltus earum	38
<i>Praefectus Augustalis</i> s. Aegypti praefecturam et imperium non prius deponerat, quam successor eius Alexandriam ingressus erat	118
- - - <i>Praetorio</i> , officii eius origo	104.
ab eo appellari non poterat	105
- - - <i>Vigilum</i> , quale officium habuerit, et de quibus causis cognouerit	111.
	112
- - - <i>Vrbi</i> , origo eius 42. post Consulles primae dignitatis Magistratus in vrbe fuit 96. an Consulari foeminae praefereendus 96. quale officium eius fuerit 106. sq. quousque Iurisdictio eius se extenderit 106. omnia crimina sibi vindicabat 106. cum terminos vrbs exierit, potestatem non habet extra vrbein 107.	
<i>Praeiudicium</i> quid sit	69
<i>Praefes</i> nomen eius generale est 119. in suae prouinciae tantum homines imperium	

I N D E X R E R V M.

perium habebat 119. ceterum Pro-
 consuli equiparandus 119. tutorem
 et specialem iudicem ipse dare se po-
 terat 120. reliquae eius officii par-
 tes 120 - 124
Praesumptio, definitio eius 24
Praetor qualis magistratus fuerit 109.
 vtrum ea, quae seruus, Praetor fa-
 ctus edixit, decreuit, reprobanda 109.
 neque tutorem, neque specialem iu-
 dicem ipse se dare potest 110
 - - - *peregrinus*, quinam 42
 - - - *urbanus*, vnde nomen eius 42
Princeps, eius definitio 84. potestas 84.
 legibus solutus est 51
Principale quid sit 90
Priuilegium, quomodo a lege differat 47
Proconsul, origo officii eius 112. qualia
 eius insignia fuerint 113. 117. apud
 eum manumitti, et adoptio fieri po-
 terat 113. hospitium prouinciam one-
 rare non debebat 113. nec stratores
 suos habere ibid. sine vxore plerum-
 que proficiscebatur 113. sq. quid cir-
 ca ingressum Prouinciae ipsi obser-
 vandum fuerit 114. quando Legato
 suo Iurisdictionem contentiosam
 mandare potuerit 114. ad consulta-
 tiones Legatorum respondere debe-
 bat 115. in quantum a xenis et donis
 abstinendum ipsi fuerit 115. aedes sa-
 cras et opera publica sub cura sua ha-
 bebant 115. et Iurisdictionem plenissi-
 mam 116. quid circa aduocatos ipsi
 obseruandum fuerit 116. vsque in ad-
 uentum successoris ius dicere debebat
 117. Legatum suum ante se de prouin-
 cia dimittere non licebat 117. portam
 Romae ingressus deponebat imperi-
 um 117. apud eum etiam in ea prouin-
 cia, quam sortitus non est, et manu-
 mitti et in adoptionem dari quis po-
 test 84

Procurator quis sit 125
 - - - *Caesaris* vel rationalis, quales of-
 ficii eius partes fuerint 125. 126
Prodigium, definitio eius 60
Prohibitio graduum, fundamentum eius
 naturale 17
Possessio, definitio eius 21
Publicum et Commune quomodo diffe-
 rant 90
Pupilli, quorum adrogatio permissa fue-
 rit 78

Q.

Quaestor, origo officii eius 108. in quo
 conlitterit 108. 109
Quaestores, origo eorum 41
 - - - *parricidii*, quinam 41
Quasi, quid haec uocula significet 26
Quasicontractus, vnde eorum origo 26.
 definitio 26
Quatuoruirum curam viarum gerebant 42

R.

Ratibabitio quid sit 93. aequipollet
 mandato et consensui 93
Regula Iuris quid sit 49
Res sunt vel iuris diuini, vel humani
 87
 - - - *communes*, quatenam sint 89
 - - - *corporales* quatenam sint 89. quae-
 nam incorporales 89
 - - - *diuinae* quid ad notitiam earum
 olium pertinuerit 37
 - - - *furtiua* definitio eius 64. non
 vfucapitur 64
Res quae Iuris humani sunt, aut publi-
 cae sunt aut priuatae 88. 89
 - - - *propria* quatenam dicatur 20. quae-
 nam communis 20. definitio rei 21
 S 3 Res

INDEX R E R V M.

<i>Res noua</i> quae dicatur	21	<i>Seruitutis</i> fundamentum	28
- - - <i>sacra</i> quae nam fit 87. 92. quae nam religiosa 87. 92. sancta 88. 95. <i>sacra</i> non recipit aestimationem	95	<i>Seruus</i> est in potestate domini 66. sibi nihil acquirere potest 66. cur testimonium eius contra dominum respectum fit	91
- - - <i>suae facultatis</i> quae nam fit	127	- - - <i>poenae</i> quomodo quis factus fit	62. 68
- - - <i>vitiosa</i> definitio eius 64. non vsucapitur	64	<i>Socialitas</i> , e principio eius demonstrari nequit, Sodomiam esse illicitam	7
<i>Ripa</i> , vltus eius iure gentium publicus est 90. sed proprietates illorum est, quorum praediis haerent	91	<i>Sodomia</i> , vtrum ex principio Socialitatis illicita fit	7
<i>Romulus</i> quae nam regi, et quae nam populo concesserit	54	<i>Solon</i> , quare de patricida legem non tulerit	48

S.

<i>Sacrarium</i> quomodo a loco sacro differat	94	<i>Soror</i> , vtrum cum fratre coniungi possit	17
<i>Sagmina</i> quid sint	94	<i>Spado</i> adrogando suum haeredem sibi adsciscere potest	85
<i>Sanctum</i> , definitio eius 94. vnde dictum	94	<i>Spurii</i> quinam dicantur et vnde	63
<i>Sarta testis</i> , vox in auguralibus vsitata	116	<i>Status</i> , quid sit	29
<i>Satisfactio</i> quid sit 78. in quibus casibus dari solet	79	<i>Stoicorum</i> de foetu doctrina 14. de semine virili 28. de anima hominis post mortem	88
<i>Semen</i> virile, an ex toto corpore ad generationem defluat	28	<i>Stratores</i> quinam fuerint	114
<i>Senator</i> , quando senatorium ordinem amiserit 83. Senatu remotus capite non minuebatur 98. duplex habebat domicilium natiuitatis et dignitatis	101	<i>Substitutio pupillaris</i> quid sit 78. quando extinguitur	78
<i>Senatores</i> quinam ita dicantur	101	<i>Sui iuris</i> quinam fuerint	70
<i>Senatusconsulta</i> , origo eorum 39. definitio	49	<i>Surdus</i> et mutus pacisci possunt	23
<i>Serui</i> inuiti feruiunt 56. vnde nomen eorum 57. quomodo in seruitutem redigantur 57. inter res numerantur 57. 66. sunt in potestate dominorum	66		
- - - <i>actores</i> , quinam fuerint	124		
<i>Seruitus</i> , definitio eius	57		


T.

<i>Talis</i> , est relatio mali iniuria illati quae eius vis sit	30
<i>Testis</i> , qualis persona sit	97
<i>Totum</i> quid sit	116
<i>Transactio</i> , definitio eius	22
<i>Transactio</i> quid sit	125
<i>Tribunus Celerum</i> , equitibus praeratur	40
- - - <i>militum</i> , origo eorum 42. quot fuerint	42
<i>Tribu-</i>	

INDEX RERVM.

<i>Tribuni plebis</i> , origo eorum	41	<i>Victi</i> , eorum conditio	28
<i>Tripertita</i> , hic liber veluti cunabula iuris continet	43. vnde nomen eius	<i>Vindicta</i> s. virga in manumissione adhibebatur	60
<i>Triumviri</i> , quotuplices fuerint	42	<i>Virginitatem</i> caede stupratoris defendere non licet	15
- - - <i>nocturni</i> quinam fuerint	111	<i>Viri prudentes</i> , quinam ita dicti fuerint	47
<i>Turpitude</i> , quid sit	77	<i>Vniuersitas</i> quid sit	91
<i>Tutor</i> , quis sit	77. officium eius adrogatione finitur	<i>Voluntas</i> quid sit	7
	77. pupillum viginti quinque annis minorem adrogare non poterat	<i>Vfucapio</i> quid sit	64
	77	<i>Vxor</i> qualis persona fit	99
		- - - quare marito obsequi, eumque honorare debeat	17
V.			
<i>Venditio</i> quid sit	125	X.	
<i>Venus</i> immatura corpus valde extenuat	14	<i>Xenia</i> , in quantum Proconsul ab iis abstinerere debuerit	115
<i>Verna</i> , qualis persona fit	57		

Nota: p. 29. §. 284. in fine lege *confueuit* pro *consueuit*. ibid. lin. vlt. lege *Talio* pro *Talis*.



AD
RESOLVT. PANDECT.
LIBRVM I.

Errata, praesertim ob confusionem paragraphorum tituli primi suborta,
 corrigenda:

Pag. 5. lin. 1. *noui* distingue: *noui*: Pag. 11. l. 2. §. 49. lege: §. 53.
 Pag. 12. l. 19. (§. 25) leg. 26. lin. 27. (§. 41) leg. 43. P. 13. lin. 4. *aequa-*
liter leg. *inaequaliter*. P. 14. lin. 1. *multae* leg. *multa*. P. 17. adde:
 Argumentum: §. 143. Hinc mas ad foeminam se habet tanquam agens ad in-
 strumentum. P. 19. lin. 24. (§. 149) leg. 94. P. 22. lin. 4. *Latio*: leg.
 datio. lin. 27. *de ea* leg. *de eo*. lin. 29. (§. 191) leg. 197. lin. 31.
acceptantis leg. ob defectum *acceptantis*. Pag. 30. lin. 40. (§. 282) leg. 271.
 Pag. 40. lin. 12. *poterant* leg. *poterat*. P. 44. lin. 33. *Afenus* leg. *Alfenus*.
 Pag. 50. lin. 12. *nascitur* leg. *nescitur*. Pag. 52. lin. 1. *vacua* leg. *vacuo*.
 Pag. 53. lin. 2. *quod* leg. *quo*. Pag. 57. lin. 24. (§. 269) leg. 275.
 Pag. 76. lin. 38. §. 71. leg. 73.) lin. 38. *tit. 1.* leg. *tit. 6.* Pag. 80. lin. 38.
 (§. 83) leg. 80. P. 82. lin. 22. (§. 196) leg. 96. lin. 38. 1. §. 188) leg. 5. §.
 27. P. 84. lin. 8. §. 299) leg. 245) lin. 32. *confirmare* leg. *eamque confirmare*.
 P. 87. lin. 6. *Qui* leg. *quia*. lin. 13. §. 74) leg. §. 75) P. 95. lin. 30. §. 61)
 leg. 69) P. 96) lin. 5. §. 138) leg. 144) P. 98. lin. 4. §. 272) leg. 278)
 lin. 31. §. 27) leg. 38) lin. 40. §. 112) leg. 114) P. 99. lin. 12. §. 243) leg. 249)
 P. 100. lin. 38. §. 239) leg. 244) P. 110. lin. 1. §. 235) leg. 240. P. 116.
 lin. 21. §. 22) leg. 23. P. 117. lin. 21. §. 169) leg. 172. P. 120. lin. 8. et 34.
tit. 8. §. 137) leg. 7. §. 138) lin. 35. §. 78. 82) leg. 80. 84) P. 121. lin. 18.
 §. 231) leg. 237) P. 122. lin. 1. *ut* leg. *et*. P. 127. lin. 13. *tit. 4.* §. 6)
 leg. 7. §. 56) P. 128. lin. 12. *tit. 1.* leg. *tit. 7.* P. 130. lin. ult. §. 239)
 leg. 245)

IOANNIS GEORGII WAGNERI

V. I. D.

ET IN ACADEMIA REGIA EQVESTRI LIGNICENSI

MATH. P. P. O.


RESOLUTIONES

PANDECTARVM,

METHODO DEMONSTRATIVA

ADORNATAE.

LIBER SECVNDVS.



LIGNITII,
APVD DAVID. SIEGERT.
MDCCLXIV.



PRAEFATIO.



Quandoquidem praefationum consuetudo praefandi necessitatem imponit; vsui magis obtemperavi, cum libro primo Resolutionum praefatus sum, quam necessitati. Impraesentiarum quaedam praeter morem praefari oportet. In titulo primi libri aliud mihi officii nomen adscripsi, quam inscriptio huius libri secundi exhibet. Quod Professore Iuris Erlangen- sem me nominauerim, benignitas singularis SERENISSIMI PRINCIPIS MARCHIONIS ef- fecerat: quod iterum Professor Mathematicum Academiae Regiae sim, POTENT. REGIS BORUSSIAE, REGIS ac DOMINI mei Clementissimi singulari

P R A E F A T I O.

gratiae acceptum humillime refero. Plura de his edisserere e re lectorum non est. Auersa praesentis tituli pagina singularia nulla exhibet. Constitueram singulis voluminibus indicem subiungere: cum tamen libro primo, nescio quo curante, index paratus sit, quod quidem minime reprehendo, singularium indice carere possunt lectores. Accedit, quod huius qualiscunque opellae vis omnis et gratia pereat, si frustulatum legatur. Libro primo legum conciliationes duae sunt, quae posteriores curas effugerunt: manuscriptum enim ad me remissum iri, putaueram, quod factum non esse doleo, cum propter hoc paragraphorum et citationum turbationi meari, non potuerim. Dictae conciliationes, repertis melioribus, tanto minus sufficere videntur, quas ergo in praesenti tractatu arrepta fere in hoc occasione supplere non dubitavi. Prior conciliatio libri primi Tituli V. §. 73. in huius secundi libri titulo XIII. §. 105. correctae est: posterior, quae libro I. titulo XXI. §. 16. tentata fuit, emendatior exhibetur hoc libro II. titulo XV. §. 41.

RESO-



RESOLUTIONVM
PANDECTARVM
LIBER II.
DE IVRISDICTIONE.
TITVLVS I.

§. I.

DEFINITIO.



Bonorum possessio est modus acquirendi res haereditarias praetorius, ex ratione propinquitatis sanguinis, vel eius similitudine.

ANNOTATIO.

2. Ius civile nulli tribuit successionem, nisi ei, qui in familia defuncti patris familias exstitit: aut qui testamento institutus fuerat. Per hoc summum ius excludebatur emancipatus, et alii. Praetor autem naturalem ex sanguinis coniunctione profectum anorem respici debere putavit, et rigorem iuris civilis mitigavit, deditque bonorum possessionem eis, qui iure XII. Tabb. haeredes esse non poterant.

OBSERVATIO.

3. Ius dicentis officium latissimum est: nam et bonorum possessionem dare potest, et in possessionem mittere, pupillis non habentibus tutores constituere, iudices litigantibus dare. *L. i. b.*

*Ulpian. L. i.
Reg.
L. i.*

DEFINITIO.

4. In possessionem missio est remedium quo praetor res derelictas iis seruat et possidendas dat, quorum interest ne pereant: et quo contumaces cogit facere id, quod dolo effugere cupiunt.

A R G V M E N T V M.

*Iuol. L. 6.
ex Cass.
L. 2.*

5. Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit. *L. 2. b. (L. 1. tit. 21. §. 172.) L. 1. Tit. 1. §.*

A N N O T A T I O.

*Vlp. L. 2. de
off. Quaest.
L. 3.*

6. Imperium aut merum (est) aut mixtum est. Merum est imperium, habere gladii potestatem ad animaduertendum facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur, Mixtum est imperium, cui etiam iurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit. Iurisdictio est etiam iudicis dandi licentia. *L. 3. b. (L. 1. tit. 21. §. 8. II.)* Textum hunc obscurum et difficilem esse, multi conquesti sunt: *NOODT de Iurisdict. L. 1. c. 2.* planissime autem intelligitur mixtum imperium, si hoc dicas esse potestatem coactiuam, qua magistratus ciuibus praeter adensum eorum ex ratione iuris, iustitiae et utilitatis publicae imperare valet, et quae sequela necessaria iurisdictio est. (*§. 5.*) *L. 1. §. 1. ff. De eo, cui mand. iurisd. est. conf. ANT. FABRI Coniectur. L. 4. tit. 4.*

D E F I N I T I O.

7. Iurisdictio est facultas cognoscendi causas, atque exercendi iudicia, et per aequitatem temperandi ius ciuile, populi lege tributa.

D E F I N I T I O.

8. Stipulatio praetoria est cautio, iussu praetoris exacta, contra elusiones aduersarii, quibus fructum et effectum actionis frustraneum reddere posset.

A R G V M E N T V M.

*Id. L. 1. ad
Ed.
L. 4.*

9. Iubere cauere praetoria stipulatione et in possessionem mittere, imperii magis est, quam iurisditionis. *L. 4. b.* Nam actus isti magis potestatis sunt (*§. 6.*) quam legis et iuris administratio. (*§. 7.*)

O B S E R V A T I O.

10. Maiores magistratus legibus curiatis, adhibitis auspiciis, creabantur. (*L. 1. tit. 14. §. 2.*) (*L. 2. tit. 12. §. 25.*) Cui mandatum erat imperium, mandantis auspiciis rem gerebat: sic *OVIDIVS* ad Augustum *L. 2. Trist. de Tiberio* prodit:

*Per quem bella geris, cuius nunc corpore pugnas,
Auspicium cui das grande, deosque tuos.*

Mandatarii nulla erant auspicia: quare nec huius auspiciis alius gerere potuit: ergo nec iurisditionem mandatam sibi, iterum mandare.

A R G V M E N T V M.

*Iulian. L. 1.
Dig.
L. 5.*

11. More maiorum ita comparatum est, ut is demum iurisditionem mandare possit, qui eam suo iure, non alieno beneficio haberet. *L. 5. b. (§. 10.)*

D E F I N I T I O.

12. Iurisdictio mandata est, quam quis iure et beneficio eius exercet, cui propria lege data fuit. (*L. 1. tit. 16. §. 31.*)

A R G V -

ARGUMENTVM.

13. Et quia nec principaliter ei (mandatario) iurisdictio data est, nec ipsa lex defert, sed confirmat, mandatam iurisditionem: (in his quae gesta sunt a mandatario.) Ideoque si is, qui mandavit iurisditionem, decesserit, antequam res ab eo, cui mandata est iurisdictio, geri coeperit, solui mandatum Labeo ait. *L. 6. b.* cum quod gestum non est, confirmari nequeat. (L. I. tit. I. §. 216.)

Paulus L. 2.
ad Ed.
L. 6.

ARGUMENTVM.

14. Mandatarius potestatem negotii habet iure et facultate mandantis: (L. I. tit. 8. §. 61.) ea propter huius iure per mortem soluto istius quoque potestas soluitur in his, quae gesta vel geri coepta non sunt, quod in iurisditione pari ratione accidit, sicut in reliquis causis. *L. 6. b.* Caeterum coepta vivente mandante vtut non-finita, iure defuncti perficiuntur a mandatario: siquidem benignior haec est sententia, vt principium inchoatum cohaerentia ad se trahat. (L. I. tit. I. §. 249.)

DEFINITIO.

15. Actio popularis est persecutio iniuriae reipublicae Romanae illatae, ex qua quilibet e populo laeditur. (L. I. tit. I. §. 318.)

ARGUMENTVM.

16. Ergo actio popularis cuilibet e populo datur.

ANNOTATIO.

17. CICERO *de Inventione rhetorica p. m. 59.* eam actionem definit: quod detur *ob Maiestatem populi Romani imminutam.* Adde *legem i. ff. De popular. action.*

ARGUMENTVM.

18. Si quis id, quod iurisditionis perpetuae causa (quo ius populi statuitur) non quod, prout res incidit (quo ius litigatorum de casu speciali enunciat) in albo, vel in charta, vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit: datur in eum quingentorum aureorum iudicium, quod populare est. *L. 7. pr. b.*

Vlp. L. 3. ad
Ed.
L. 7.

ANNOTATIO.

19. Album Praetoris fuit id, in quo edictum proposuit. Fuere autem eo in albo expressae *ex vniuscuiusque damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria, publicae a praetore formulae, ad quas priuata lis accommodaretur.* CICERO *pro Roscio.* Accursii opinionem de pariete albo, vulgo hodie derisam excusat RAEVARDVS *Protrib. cap. 4.* allegato loco. PLAVT. in *Perfa A. 1. Sc. 2. v. 21.*

*Nae isti faxim nusquam adpareant,
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.
Sed legitur vulgo: albo rete.*

Verum et ipse metonymice locutum esse Plautum arguit: nisi Suidas Album expresse tradiderit parietem fuisse gypso inunctum ad inscriptionem ciuiliun rerum

rerum aptum. Verum et Suidas remotior loco et tempore videtur, qui harum rerum idoneus et exceptione maior testis admitti possit: aut de aliis rebus ciuilibus, non de edictis exaudiendus est Suidas. Non omnia praetorum edicta tralatitia fuerunt, sed quaedam cum ipsa praetura expirarunt. Vide infra (L. 2. tit. 12. §. 19.) Omnia autem tralatitia effecerimus, si perpetuo mansura in pariete scripta adferimus. Ipsae leges tabulis inscriptae parietibus clauis affixae fuerunt. **PLAVTVS** *Trinummo* A. 4. sc. 3. v. 30.

*Mores leges iam perduxerunt in potestatem suam:
Magis queis sunt obnoxiosi quam parentes liberis.
Eae miserae etiam ad parietem sunt fixae clauis ferreis,
Vbi malos mores affigi nimis fuerat aequius.*

A N N O T A T I O.

20. Aureus vnus centum sestertios valuit. Sestertius nummus decem denariolis Turonensibus Gallicis (deniers) cum semisse aestimatus est. **BVDAEVVS** *de Assē* L. 2. p. 150. 175. Augusti tempore aureus 25 denariis: **DION CASS.** L. 55. p. 341. Vlpiani tempore aureum decem Libras Gallicas (Livres) valuisse docet **ALCIATVS** *Dispunct.* L. 3. c. 9. Emblemata Triboniani secundum Wissenbachium hic notandum erit: quoniam in poenis aestimandis antiqui sestertios computarunt, non aureos. **GRONOVIVS** de sestertiis quatuor librorum volumen compleuit.

A N N O T A T I O.

21. Interdum casus incidit, quem praetor edicto suo non complexus erat, qui tamen aequitatem praetoriam efflagitabat. Persuadent auctorum testimonia, quod de his ad Senatum praetor retulerit, ut is censeret: uti autem censuisset Senatus, quod ita decreuisset praetor. **CICERO** *pro Flacco* p. 452. *Decreuit Flaccus?* (praetoram gerens) *Num aliud atque oportuit? In liberor: Num aliter ac censuit Senatus? In absentem decreuit: cum ibidem esses, cum prodire noller.* **SENATVSCONSVLTVM ET DECRETVM FLACCI:** *Quid si non decreuisset, sed edixisset, quis posset vere reprehendere?* Inde distinctio inter bonorum possessionem edictalem et decretalem. **RAEVARDVVS** *Protrib.* cap. 8. ostendit, decretam praetoris fuisse sententiam eius, cum causam adhibito consilio cognouerat. Hoc nequicquam contrariatur dictis, quae de edicti supplemento intelligenda sunt.

A R G V M E N T V M.

§. 1. 22. Serui quoque et filii familias verbis edicti continentur. Sed et vtrumque sexum praetor complexus est. L. 7. §. 1. b. (L. 1. tit. 1. §. 246.)

A R G V M E N T V M.

§. 2. 23. Quod si dum proponitur, vel ante propositionem quis corruerit: edicti quidem verba cessabunt: Pomponius autem ait, sententiam edicti porrigendam esse ad haec. L. 7. §. 2. b. (L. 1. tit. 1. §. 246.) ne integrum et impune sit legi fraudem fecisse. (L. 1. tit. 3. §. 32.)

REGV-

REGVLA.

24. Qui non habet in aere, luat in corpore.

ARGVMENTVM.

25. In seruos, si non defenduntur a dominis, et eos, qui inopia laborant, corpus torquendum est. *L. 7. §. 3. b.* (§. 24.) §. 3.

ARGVMENTVM.

26. Doli mali autem ideo in verbis edicti fit mentio: quod si per imperitiam vel rusticitatem, vel ab ipso praetore iussus, vel casu aliquis fecerit, non tenetur. *L. 7. §. 4. b.* (L. I. tit. I. §. 73.) §. 4.

ARGVMENTVM.

27. Hoc vero edicto tenetur, et qui tollit, quamuis non corruperit. *L. 7. §. 5. b.* (L. I. tit. I. §. 246.) §. 5.

ARGVMENTVM.

28. Item, qui suis manibus facit, et qui alii mandat. Sed si alius sine dolo malo fecit, alius dolo malo mandauit: qui mandauit, tenebitur, si vterque dolo malo fecerit, ambo tenebuntur. *L. 7. §. 5. b.* (L. I. tit. I. §. 40. 67. 53.)

DEFINITIO.

29. Actio poenalis est persecutio aperti doli iniuria nociui, contra laedentem in compensationem facti competens. (L. I. tit. I. §. 219.)

ARGVMENTVM.

30. Nam et si plures fecerint vel corruperint, vel mandauerint, omnes tenebuntur. *L. 7. §. 5. b.* (Quia singuli ex integro dolo fecerunt. L. I. tit. I. §. 72.) Adeo quidem, vt non sufficiat, vnum eorum poenam luere. *L. 8. b.* (§. 29.)

Caius L. 1. ad Ed. pron. L. 8.

DEFINITIO.

31. Noxia est damnum a seruo vel pecude alieno illatum, per quod corpus committens ipso facto laeso obligatur.

ANNOTATIO.

32. Veteres noxiam dixerunt damnum: *FESTVS.* item peccatum et culpam. Vnde noxae dedere, est poenae loco dare. *CORN. FRONTO.*

OBSERVATIO.

33. Quoties Iureconfulti veteres in facto ius positum esse animaduertunt, quotiesque verbis stricte inhaerendum esse, viderunt, ad Homeri, Aristotelis, Hippocratis et aliorum auctoritates prouocare et ex his decisionem petere soliti sunt. Obseruo, quod doctrinam de aequo et exaequatione damni facti ex Aristotele desumerint. Oportet autem; vt hanc doctrinam altius aliquantum repetam. Nimirum occupatis rebus ius gentium suum quemque sibi recte habere iussit, permisit. (L. I. tit. I. §. 174. 175.) Exigentibus tamen hominum necessitatibus, cum permutationibus et conuentionibus opus esset, secundum hoc ius dominiorum et patrimoniorum in locum rerum ab vno acceptarum ab accipiente aequipollens aliquid reddi debuit, vt vtrinque iterum pristina esset bonorum quantitas. (L. I. tit. I. §. 223. 228.) Si quando hoc non fiebat, lucrum erat apud

eum, qui sine praestatione vicaria acceperat. Lucrum hoc non tantum in rebus corporalibus obtinuit, verum etiam ad alia applicabatur, quae proprie non in lucro computantur. ARISTOT. *L. 5. Nicomach. c. 4. Dicuntur haec* (lucrum et damnum) *absolute loquendo, de talibus etiam rebus, licet nonnullis minime idoneum nomen videtur: ut lucrum ei, qui percussit, damnum ei, qui percussus est, accommodari possit.* Homines omnes pares sunt, et nemo eam libertatem praecipuam habet, ut alium per lasciviam vel in contumeliam pulset: si pulsat, lucrum quasi licentiae habet, alter damnum imminutae libertatis. (L. 1. tit. 1. §. 119.) Imputatur autem factum ei qui fecit: (Ibid. §. 53) et lucrum facti offibus quasi facientis adhaeret. Si damnum a seruo vel animali datum est, lucro quasi auctior effectus est seruus vel animal. Adquiritur autem domino per instrumentum, et per corpora, quae instrumenti loco sunt: (Ibid. §. 42.) qui ex hoc facti lucro locupletior euadit: qua de causa laeso competit ius in corpus laedens, nec minus actio in dominum, lucrum hoc facti capientem.

DEFINITIO.

34. Noxae deditio est satisfactio de damno per corporis nocentis dationem.

DEFINITIO.

35. Noxale iudicium, siue actio noxalis est, qua laesus per seruum vel animal alienum ius suum in corpore laedente contra dominum, lucrum facti capientem, persequitur.

ARGUMENTVM.

36. Condemnatio in hoc iudicio fit, ut lucrum capiens damnum resarciat. (§. 33.)

ANNOTATIO.

37. Dominus tum lucrum facti capit, quando corpus nocens, lucro hoc adfectum, defendit.

ANNOTATIO.

Paul. L. 3. ad Ed. L. 9.

38. Si familia alicuius album corruperit, non similiter hic edicitur ut in furto: ne in reliquos actio detur, si tantum dominus, cum defendere voluit, vnus nomine praestiterit, quantum liber praestaret: fortasse, quia hic et contemta maiestas praetoris vindicatur, et plura facta intelliguntur: quemadmodum si plures serui iniuriam fecerunt, vel damnum dederunt, quia plura facta sunt, non ut in furto, vnum. *L. 8. b.* Secundum rationem iuris eiusque strictam consequentiam, semper quidem, quot doli sunt, tot delicta numerantur, totidemque delinquentes. (§. 30.) Exceptionem fecit praetor ab hoc iure, quando familia furtum fecerat: *L. 1. ff. de famil. furtum fec. dic.* Sed in albo corrupto et lege Aquilia nihil exceptit. Paulus, strictae argumentationis tenacissimus, edictum Praetoris, utpote iuris rationi detrahens, ad alios casus non expressos extendi posse negat. (L. 1. tit. 1. §. 243.) Quod autem praetor furtum a familia factum vnum factum esse censuerit, inde forte fieri potuit, quod dolum in committendo furto, quod delictum priuatum est, remissius et ex effectu magis, qui simplex est, quam proposito multorum aestimauerit: Album vero corruptum rei publicam laedit, et vulnerationes caedesque

que sine vi publica committi non potuerunt: in his ergo acerbior extitit praetor. *ALCIATVS Paradox. L. 2. c. 14.* penitus pro mea staret sententia, si priuati publicique delicti distinctionis memor fuisset, sed et damnatum certae vel incertae aestimationis differentiam quandam constituere posse non negauerim; quod sequens tractatio suis locis aperiet.

ANNO TATIO.

39. Octauenus hic quoque domino succurrendum ait: (enimvero et hic cum Vlpiano in lege citata. *1. ff. Si fam. furt. sec.* fauorem domini rationem edicti esse credidit: ne scilicet integra familia careat, quae tamen ratio, si vera esset, etiam in lege Aquilia attendi deberet: at non attenditur, ergo spuria videtur). Sed hoc potest dici, si dolo malo curauerint, ut ab alio album corrumperetur: quia tunc vnum consilium sit, non plura facta. Idem Pomponius libro decimo notat. *L. 9. b.*

ANNO TATIO.

40. Ex vltimis verbis clare perspicitur, quod Iureconsulti veteres computum factorum ex dolo, proposito et consilio inierunt. Videlicet, cum imputatio fiat in agentem (*L. 1. tit. 1. §. 53.*) agens autem sit qui volunt (*Ibid. §. 35.*) consequens est, tot esse agentes, quot sunt volentes, et tot actiones, quot voluntates.

ARGUMENTVM.

41. Qui iurisdictioni praest, neque sibi ius dicere debet, neque vxori vel liberis suis, neque libertis, vel caeteris, quos secum habet. *Vlp. L. 3. ad Ed. L. 10. b.* Nam in causa propria vel coniuncta nemo iudex esse potest. (*L. 1. tit. 9. §. 8.*) *L. 10.*

DEFINITIO.

42. Iurisdicatio restricta, est potestas cognoscendi et iudicandi de causis, petitione definitas circumstantias sigillatim non excedentibus.

ARGUMENTVM.

43. Si idem cum eodem pluribus actionibus agat, quarum singularum quantitas intra iurisdictionem iudicantis sit, coaceruatio vero omnium excedat modum iurisdictionis eius: apud eum agi posse, Sabino, Cassio, Proculo placuit: quae sententia rescripto Imperatoris Antonini confirmata est. *L. 11. pr. b.* Nam sufficit, quod singulae actiones non excedant, et sigillatim agatur. (*§. 42.*) *Cai. L. 1. ad Ed. prou. L. 11.*

ARGUMENTVM.

44. Sed et si mutuae sunt actiones, et alter maiorem quantitatem, alter maiorem petat: (maiorem iurisdictione iudicantis) apud eundem iudicem agendum est ei, qui quantitatem maiorem petit: ne in potestate calumniosa aduersarii mei sit, an apud eundem litigare possim. *L. 11. §. 1. b.* Euidens est, quod mutuorum, debitorum, quae proponuntur, compensatio competat: et quod iudex reuera de differentia debitarum quantitatum saltem iudicet: quae si iurisdictionem non excedat, peti omnino poterit. Calumniosa adeo fuerit exceptio maiorem quantitatem petentis, si diceret, eam iurisdictionem

tionem iudicantis non esse. Immo, et si differentia maior fuisset quantitate minore. Nam Praetoris iurisdictio limitata non fuit: propterea iudicis vel mandatarii, potestas fuit, quae interdum, praesertim in causis stricti iuris, circumscribebatur formula vel mandato. *L. 16. h. t.* Fac enim petentem minorem summam agere contra eum, qui maiorem quantitatem petere poterat. Iudex a praetore dabatur in minorem summam: haec iudicis restricta potestas non ex lege vel praetoris imperio erat, sed ex causa in iudicium deducta. Connexa vero fuerat petitio maioris quantitatis, ob compensationem: atque ob hanc causae connexitatem ad idem iudicium pertinebat: exinde competentiae prorogatio ipsa re fiebat in maiorem quoque quantitatem, quantumvis haec minorem superaret. In iudicio conventionis iudex ultra quantitatem huius iudicii condemnare non poterat, et hoc quidem propter inhabilitatem causae: sed in iudicio reconventionis, priori coniuncto, connexo et cohaerente, etiam per ipsam causae cohaesionem eius potestas in maiorem quantitatem prorogabatur: quia iudex ipse inhabilis et impotens non erat, qui in alio iudicio de maiore quantitate iudicaret. De prorogatione sic dictae iurisditionis mox tractabitur.

OBSERVATIO.

45. Si plures agant familiae heriscundae, vel communi diuidendo, vel finium regundorum, quilibet agentium ratam sibi debitam petit: inde putarunt quidam Iureconsultorum iudicis pedanei potestatem ad partium istarum quantitates restringi debere: quod in ordinando iudicio factum esse, probabile est. Quia vero tota res iudicis potestati subiicitur, eiusque demum arbitrio partienda venit: aliis visum est, praetorem oportere iudicem dare cum potestate ad quantitatem integram, quae in iudicium deducitur. De iudicii per praetorem ordinatione tractabitur alibi. (*L. 3. tit. 3.*)

ARGUMENTVM.

§. 2. 46. Si vna actio communis sit plurium personarum, veluti familiae heriscundae, communi diuidendo, finium regundorum, vtrum singulae partes spectandae sint circa iurisditionem eius, qui cognoscit, (id est, praetoris de litis constitutione cognoscentis) quod Ofilio et Proculo placet: quia vnusquisque de parte sua litigat: an potius tota res: quia et tota res in iudicium venit, et vel vni adiudicari potest? quod et Cassio et Pegaso placet. Et sane eorum sententia probabilis est. *L. 11. §. 2. h.*

ANNOTATIO.

47. Haec iurisdictio aptius diceretur restringens, quam restricta.

OBSERVATIO.

48. Coloniis deducendis duumviri praeficiebantur, quibus imperii nullum insigne concedebatur, non falces, non securae: sed lictores cum bacillis praebant. CICERO: *contra Rullum ad populum p. 407.* Interdum triumviri deducendis coloniis creati: LIVIUS: *L. 32. 34.* Hi erant magistratus municipales, sed minore potestate instructi quam illi, qui lege populi creabantur.

ARGV-

A R G V M E N T V M.

49. Magistratibus municipalibus supplicium a seruo sumere non licet: (quia potestatem gladii non habent §. 48.) modica tamen castigatio eis non est deneganda. *L. 12. b. (§. 5.)* *Vlp. L. 18. ad Ed. L. 12.*

A R G V M E N T V M.

50. Eum, qui iudicare iubet, magistratum esse oportet. *L. 13. pr. b. (§. 3.)* et iussus potestatem magistratus requirit. (*L. 1. tit. 5. §. 54.*) *Id. L. 51. ad Sabin. L. 13.*

R E G V L A.

51. Nullum est, quod in eum casum incidit vel confertur, a quo incipere non potest: et contra.

P O S I T I O.

52. Magistratus autem, vel is, qui in potestate aliqua fit; vt puta, proconsul, vel praetor, vel alii, qui prouincias regunt, iudicare, iubere eo die, quo priuati futuri essent, non possunt. *L. 13. §. 1. b.* §. 1.

P R O B A T I O.

Quod in eum casum confertur, a quo incipere nequit, nullum est (§. 51.). Quando autem magistratus iudicare iubent eo die, quo priuati futuri sunt, iudicium in eum casum conferunt, a quo incipere non potest (§. 50.) cumque nemo cum effectu et valide iubere possit, quod nullum futurum est (*L. 1. tit. 1. §. 216.*). Exinde magistratus, vel potestatem gerens, non potest iubere iudicare eo die, quo priuatus futurus est.

A N N O T A T I O.

53. Putant quidam, corrigi debere textum, qui loco: praetor: legere malunt: propraetor. *G. NOODT: Probabil. L. 1. c. 6.* Sed notum est, praetores dictos, qui popularibus olim praefuerunt prouinciis. (*L. 1. tit. 16. §. 2.*) Eiusmodi praetor fuit Verres in Sicilia, quem Cicero in Verrinis frequentissime praetorem populi Romani adpellat. Praeterea quoque ipse Praetor Urbanus eo die iudicare iubere non valuit, quo praetura decelisset.

O B S E R V A T I O.

54. Est receptum, eoque iure utimur, vt si quis maior vel aequalis (in maiori vel aequali potestate constitutus) subiiciat se iurisdictioni alterius: possit ei et aduersus eum ius dici. *L. 14. b.* *Idem L. 39. ad Edict. L. 14.*

A N N O T A T I O.

55. In ciuitate Romana pro libertate populi Romani nemo sine sua voluntate et consensu alterius potestati subiiciebatur. *CICERO pro Cluentio p. 384. Neminem voluerunt maiores nostri non modo de existimatione cuiusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima esse iudicem, nisi qui inter aduersarios conuenisset.* Ea de causa magistratus lege populi centuriatis et tributis comitiis, et auspicioium causa etiam curiatis creati sunt. *CICERO contra Rullum ad populum: p. 399, et idem pro L. Manilia in princ. propter dilationem comitiorum ter praetor primis centuriis cunctis renunciatus sum.* De his tamen videtur dubitatum, qui magistratum gerebant, an maiestatem populi sibi collatam aequalis vel inferioris potestatis magistratui submittere posset. At, quia priuata caus-

sa honorem magistratus non attingebat, hoc fieri posse consensu volentium receptum fuit. *L. 1. ff. de Iudiciis.*

A R G V M E N T V M.

*Id. L. 2. de
omn. tribun.
L. 15.*

56. Si per errorem alius pro alio praetor fuerit aditus, nihil valebit quod actum est. Nec enim ferendus est, qui dicat, consensisse eos in praefidem: cum, ut Iulianus scribit, non consentiant qui errant. (L. 1. tit. 1. §. 55.) Quid enim tam contrarium consensui est, quam error, qui imperitiam detegit? *L. 15. h. (L. 1. tit. 1. §. 208.)*

A N N O T A T I O.

57. Manifestato errore detegitur imperitia agentis, qui ignoravit aliud se agere, quam intendebat. (L. 1. tit. 1. §. 44.) In Barbario Philippo populum Romanum errasse negatur *lege 3. ff. De officio Praetor.* nam voluntas populi ad congruens interpretationem recipit, ut quem magistratum gerere censuit, eundem liberum esse voluerit. (L. 1. tit. 1. §. 240.) *L. 1. tit. 14. §. 5.*

A N N O T A T I O.

*Id. L. 3. de
omn. Trib.
L. 16.*

58. Solet praetor iurisdictionem mandare: et aut omnem mandat, aut speciem unam: et is, cui mandata iurisdictionis est, fungetur vice eius, qui mandavit, non sua. *L. 16. h. (L. 1. tit. 21. §. 7.) §. 13. 14.) §. 42. seq.)*

D E F I N I T I O.

59. Aduocatio est officium, quo quis amici litigantis causam consilio et praesentia iuvat.

A N N O T A T I O.

60. Aduocatorum in foro Romano prolixus fuit usus. *ASCONIVS in diuinationem Ciceronis, ad verba: Cognitorem iuris sui. Qui defendit alterum in iudicio, aut Patronus dicitur, si orator est, aut Advocatus, si ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico: aut Procurator, si negotium suscipit: aut Cognitor, si praesentis causam nouit, et sic tuetur ut suam. Ergo Cognitorem dixit modo, familiarissimum defensorum.*

A R G V M E N T V M.

*Id. L. 1. Opin.
L. 17.*

61. Praetor, sicut uniuersam iurisdictionem mandare alii potest: ita et in personas certas, vel de una specie potest: maxime, cum iustam causam susceptae ante magistratum aduocationis alterius partis habuerit. *L. 17. h. nam adfectionem ad causam habet. (L. 1. tit. 9. §. 8.)*

D E F I N I T I O.

62. Iurisdictionis propria est facultas personae magistratum gerentis populi suffragio et lege principaliter et immediate concessa, qua ius statuere et reddere potest.

D E F I N I T I O.

63. Iurisdictionis prorogata est ampliatio iurisdictionis in causam non competentem, per partes litigantes ipsa causae submissione facta, quantum in facultate partium situm est.

A N N O T A T I O.

64. Iurisdictionis potest prorogari de re in rem, propter causae connexitatem:

tem: cuius exemplum habetur (§. 44.) de persona in personam (§. 14). Quae de prorogatione de tempore in tempus dicuntur, fundamento carent, et magis termini prorogationem probant, in quem actus iudicii reiicitur, quam ipsius iurisdictionis ampliacionem: quam ultra tempus legitimum extendere, arbitrii litigantium non est, (§. 52. 63.) et quod non est, protendi nequit (L. 1. tit. 1. §. 216). Quod si partes iudici vel magistratui potestatem fecerint caussae eo tempore quo priuatus est, arbiter erit, non iudex vel magistratus. Videtur exemplum prorogatae in tempus iurisdictionis occurrere in lege 1. §. 1. ff. De feriis: verum et ibi verius termini praeoccupatio est, quam ipsius iurisdictionis prolongatio.

POSITIO.

65. Si conuenerit vt alius praetor, quam cuius iurisdictionis esset, ius diceret, et priusquam adiretur, mutata (paciscentium) voluntas fuerit: procul dubio nemo (per praetorem illum) compelletur eiusmodi conuentioni stare. L. 18. b. Africanus L.
7. Quaest.
L. 18.

PROBATIO.

Ex ipsis verbis textus patet, quod conuentio, vt alius praetor ius dicat, quam cuius iurisdictionis est, tantum litigantium sit: non autem litigatorum et praetoris electi. Ex conuentione autem, quae tantum litigantium est, praetori tanquam tertio, nulla potestas in causam quaesita est (L. 1. tit. 1. §. 200.) Et quoniam conuentioni stare per praetorem nemo compellitur, dum ex ea conuentione praetori nulla potestas in causam quaesita est: (L. 1. tit. 1. §. 11.) procul dubio nemo litigatorum compelletur conuentioni stare, qua placuerat, vt praetor alius iudicaret, quam cuius ea iurisdictionis est, quando mutata fuit voluntas paciscentium, antequam ille praetor incompetens adiretur.

ANNOTATIO.

66. Postquam aditus est praetor, isque causam suscepit, negotium inter praetorem et litigatores actum est, quo potestatem caussae adeptus fuit; et tum iure potest compellere litigantes. Solidam huius legis explicationem ingressus est G. NOON de Iurisdictione L. 2. cap. 12. vbi tamen, quod res est, ex lege 2. §. 1. ff. De iudiciis, definiri posse dicit, nimirum, an pacto priuatorum iurisdictionis prorogari possit. Dicta lex 2. agit de consensu litigatorum in praetorem incompetentem, et quod error eorum ita officiat consensui, vt nequidem compelli possit per praetorem is, qui comperto errore suo restitisset: ib. §. 1. Sufficere autem litigatorum consensum verum, ait d. lex 2. §. 1. licet praetor errasset. Hoc tamen non ait, sufficere consensum ad fundandam iurisdictionem, et potestatem quaerendam ex pacto, in causam ad praetorem nequam pertinentem. Quod enim ab hoc, inuito praetore, discedere possint, probatum est. (§. 65.) Obligat eiusmodi pactum paciscentes, dum non dissentiant, et pacti obligationem mutuo sibi remittunt: praetori tanquam tertio non paciscenti nihil iuris tribuit: post submissam tamen causam et agnitam potestatem eius, licet ipse pactus non est, licet ex errore putet, eius caussae iurisdictionem suam esse: nam partes prorogant iurisdictionem, praetor eam sibi non prorogat.

ANNO-

A N N O T A T I O.

67. Ob frequentiam rerum quibusdam causis praetores proprii constituti fuerunt, *L. 2. §. 32. ff. De Orig. Iur.* ita accidere potuit, ut alius praetor pro alio adiretur.

A R G V M E N T V M.

*Vlp. L. 6.
Fideic.
L. 19.*

68. Cum quaedam puella apud competentem iudicem litem susceperat, deinde condemnata erat, posteaque ad viri matrimonium alii iurisdictioni subiecti peruenerat: quaerebatur, an prioris iudicis sententia exsequi possit? Dixi, posse: quia ante fuerat sententia dicta. Sed et si post susceptam cognitionem ante sententiam hoc eueniet, idem putarem: sententiaeque a priore iudice recte fertur. Quod generaliter, et in omnibus huiusmodi casibus obseruandum est. *L. 19. pr. b.* Nam imperium principaliter in causam iurisdictioni subiectam competit, (*L. 1. tit. 21. §. 11.*) et exceptio fori, quae ab initio non competiit, ex postfacto nasci non potest. (*L. 1. tit. 5. §. 31.*)

A R G V M E N T V M.

§. 1.

69. Quotiens (de) quantitate ad iurisdictionem pertinente quaeritur, semper quantum petatur, quaerendum est, non quantum debeatur. *L. 19. §. 1. b.* Petitio enim iurisdictionem restrictam excedere non debet. (*§. 42.*)

A R G V M E N T V M.

*Paul. L. 1. ad
Ed.
L. 20.*

70. Extra territorium ius dicenti impune non paretur. Idem est, et si supra iurisdictionem suam velit ius dicere. *L. 20. b.* (*L. 1. tit. 12. §. 2. 3.*)

A N N O T A T I O.

71. Alia territorii significatio occurret infra. (*L. 10. tit. 1.*) Territorium, quod huius loci est, in certos conuentus distributum fuisse videtur. SVETONIVS in *Iulio Caesare c. 7.* PLINIVS *Natur. Hist. c. 1. Iuridici conuentus si quatuor: Gaditanus, Corbulensis, Astigitanus, Hispalensis.*



QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVERIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR.

TITVLVS II.

DEFINITIO.

1. Aequitas est immediata et apertissima consequentia sententiae, iuris vel legis ex eo, quod natura vel facto iusto positum est.

ARGVMENTVM.

2. Factum suum in aliis reprehendere nemo potest: (L. I. tit. 7. §. 92.) ideo Hoc edictum summam habet aequitatem, et sine cuiusquam indignatione iusta: quis enim aspernabitur idem ius sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit. *L. I. pr. b.* Idem praeterea iustum et iniustum simul et de casu eodem praedicaret: quod omnino fieri nequit.

Vlp. L. 3. ad Ed. L. 1.

ANNOTATIO.

3. Aequitas bonae fidei contractuum alia est, quam de qua in praesenti agitur. Illa aequalitatem praestationum seruat: (L. I. tit. I. §. 219.) haec intellectum conuincit.

ANNOTATIO.

4. Edictum sic habet: Qui magistratum potestatemue habebit, si quid in aliquem noui iuris statuerit: ipse quandoque aduersario postulante eodem iure uti debet. Si quis apud eum, qui magistratum potestatemque habebit, aliquid noui iuris obtinuerit, quandoque postea aduersario eius postulante, eodem iure aduersus eum decernetur. Scilicet, ut quod ipse (quis) in alterius persona aequum esse credidisset, id in ipsius quoque persona valere patiatur. *L. I. §. I. b.*

§. 1.

ARGVMENTVM.

5. Haec autem verba: Quod statuerit, (qui iurisdictioni praeest:) cum effectu accipimus, non verbotenus. Et ideo, si cum vellet statuere, prohibitus sit, nec effectum decretum habuerit, cessat edictum: nam, statuit, verbum rem perfectam significat, et consummatam iniuriam, non coeptam. Et ideo, si inter eos quis dixerit ius, inter quos iurisdictionem non habuit, quoniam pro nullo hoc habetur, nec est vlla sententia, cessare edictum putamus. Quid enim offuit conatus, cum iniuria nulum habuerit effectum. *L. I. §. 2. b.* (L. I. tit. I. §. 62.)

§. 2.

ARGVMENTVM.

6. Quoniam imputatio est agentis demonstratio (L. I. tit. I. §. 53.) Hoc edicto debet dolus ius dicentis puniri: nam si adfessoris imprudentia ius aliter

Paulus L. 3. ad Ed. L. 2.

aliter dictum sit, quam oportuit, non debet hoc magistratui officere, sed ipsi adfessori. *L. 2. b.*

A R G V M E N T V M.

Vlp. L. 3. ad Ed. L. 3.

7. Si quis iniquum (ad edictum) ius aduersus aliquem impetrauit: eo iure (quod impetrauit) vtatur ita demum, si per postulationem eius hoc venerit. (quoniam iustum et aequum tum demum statuit, quod ius sibi dici a praetore petit.) Caeterum, si ipso non postulante, non coërcetur. *L. 3. pr. b.*

A R G V M E N T V M.

8. Sed et si impetrauit, (si persuasit iudici iniquum, quod adeo iustum statuit) siue vsus est iure aliquo, siue impetrauit, vt vteretur, licet vsus non sit, hoc edicto punitur. *L. 3. pr. b.* Nam statuit cum effectu, (§. 5.) effecit enim ius istud pronunciari, quod ius esse statuerat, adfirmauerat.

A R G V M E N T V M.

§. 1.

9. Si procurator meus postulauit, quaeritur, quis eodem iure vtatur: et putat Pomponius, me solum: vtique, si hoc ei specialiter mandauit (quia ipse solus statui (§. 4.) vel ratum habui. *L. 3. §. 1. b.* (L. I. tit. 8. §. 63. 37. 56.)

O B S E R V A T I O.

10. Curator furiosi ipse auctor sit negotiis furiosi: Curator adolescentis consensum praestat, sed informatiuum, quo adolescentem ad negotium gerendum instruit.

A R G V M E N T V M.

11. Si tamen tutor vel curator furiosi postulauerit, vel adolescentis: ipse hoc edicto coërcetur. *L. 3. §. 1. b.* (§. 10.) L. I. tit. 7. §. 53.) L. I. tit. 1. §. 67.)

D E F I N I T I O.

12. Procurator in rem suam est vicarius negotii alieni, suo arbitrio, commo et periculo expediendi.

A R G V M E N T V M.

13. Propterea procurator in rem suam auctor et agens est, (L. I. tit. 1. §. 35.) eique imputari debet. (Ibid. §. 53.)

A R G V M E N T V M.

14. Procurator in rem suam ius iniquum et nouum impetrans ipse statuit (§. 13.) Item (ergo) aduersus procuratorem id obseruandum est, si in rem suam fuerit datus. *L. 3. §. 1. b.* (§. 4.)

A R G V M E N T V M.

§. 2.

15. Qui in aliis quid iustum statuit, idem in caussa pari sibi statuit: (§. 2.) quapropter Haec poena aduersus omnem statuitur, qui in edictum incidit: non solum eo postulante, qui ab eo laesus est, (iniqui iuris impetratione) sed omni, qui quandoque experitur. *L. 3. §. 2. b.*

D E F I N I T I O.

16. Fideiussor est debitor secundarius in ius et qualitatem debiti, a primario debitore contracti, sponcione accedens.

A R G V -

ARGVMENTVM.

17. Si is pro quo spondidisti (fideiussisti) impetrauerit, ne aliquis debitor ipsius aduersus eum exceptione vtatur: deinde tu in negotio, in quo spondidisti, velis exceptione vti (contra creditorem) nec te nec ipsum (debitorem principalem) oportet hoc impetrare (quia succedis in omnem conditionem causae et debiti, vti in reo existit, quae exceptionem non admittit ex edicto (§. 16). Etsi interdum patiaris iniuriam, si soluendo debitor non sit. *L. 3. §. 3. b.* §. 3.

ANNOTATIO.

18. Querit Accursius: num exceptione dilatoria an peremptoria vti non debeat: omnino autem iis exceptionibus priuandus erit, quibus debitor principalis creditores fraudauit, et stricto iure consequens est, in ipsum par ius redundare. Iniuriam autem patietur fideiussor, quando debitor principalis non est soluendo: quae iniuria non a iure proficiscitur, sed casu, et fideiussoris sponfione accidisse reputatur.

ANNOTATIO.

19. E contrario debitor principalis non succedit in qualitatem causarum fideiussoris. Sed si tu (fideiussor) incidisti in edictum, reus quidem (principalis a creditoribus conuentus) vtetur exceptione, tu non vteris: nec poena tua ad reum promittendi (principalem) pertinebit. *L. 3. §. 3. b.*

DEFINITIO.

20. Actio mandati contraria est postulatio mandatarii aduersus mandantem ad reparandum damnum, quod mandatarius ex causa mandati passus est.

ANNOTATIO.

21. Debitor, qui fideiussorem dat, id agit, vt ipso cessante soluere, fideiussor soluat: atque adeo mandat fideiussori (*L. 1. tit. 8. §. 61.*) qui proinde actionem mandati contrariam habet contra debitorem mandantem, si per mandatum detrimenti quidpiam passus est. In praesenti specie, dum per naturam sponfionis tuae, siue fideiussionis, exceptionibus te tueri posses: hoc tamen impetrare non debes, propter ius singulare, quod tibi priuatiue statuisti. Quare sine exceptione soluere compulsus, mandati causam allegare nequis, sed tibi imputare debes: et ideo mandati actionem non habebis. *L. 3. §. 3. b.*

ARGVMENTVM.

22. Si filius meus in magistratu in hoc edictum incidit, an in his actionibus, quas ex persona eius intendo, hoc edicto locus sit? et non puto: ne mea conditio deterior fiat. *L. 3. §. 4. b.* Ne causa publica trahatur ad patriam potestatem, (*L. 1. tit. 6. §. 25. §. 6.*) et quia delictum mere personale est. (*L. 1. tit. 1. §. 70. 71.*) §. 4.

ARGVMENTVM.

23. Quod autem ait praetor: vt is eodem iure vtatur: an etiam ad haeredem (fideiussoris) haec poena transmittatur? et scribit Iulianus, non solum ipsi (fideiussori) denegari actionem, (mandati contra debitorem) sed etiam §. 5.

etiam haeredi eius. *L. 3. §. 5. b.* Succedit enim haerēs in conditionem ciuilem defuncti (*L. 1. tit. 7. §. 75.*) et quam actionem defunctus non habuit, eam ad haereditatem non transmittit. (*L. 1. tit. 5. §. 71.*)

ANNOTATIO.

24. Quod fideiussor actione mandati priuatur, propria poena edicti non est: namque natura actionis mandati efficit, ut hoc casu cesset. Attamen poenam dixit Ulpianus, tanquam sequelam poenae. Ruffardus in notis per actionem in hac lege memoratam intelligit conditionem indebiti. Verumtamen indebitum hic allegare impossibile est, dum poenam ex edicto debitam soluit is, qui in istud peccauit: (§. 28. sequ.) omnino autem hic textus cum §. 3. eiusdem legis coniungendus est, si sensum aliquem fortiri debet.

ARGUMENTVM.

§. 6.

25. Illud quoque non sine ratione scribit, non solum in his actionibus pati eum poenam edicti, quas tunc habuit, cum incideret in edictum: verum etiam si quae postea ei adquirentur. *L. 3. §. 6. b.* (§. 15.)

DEFINITIO.

26. Condictio est repetitio rei ex naturali aequitate meae, sed summo iure ob finem aliquem, alterius factae.

DEFINITIO.

27. Condictio indebiti est repetitio rei summo iure per traditionem accipientis factae ad finem liberationis, dum nulla obligatio subest.

ARGUMENTVM.

§. 7.

28. Ex hac causa solum repeti non posse (quasi indebitum) Iulianus putat: superesse enim naturalem causam (ex aequitate naturali (§. 2.) quae inhibet repetitionem. *L. 3. §. 7. b.* (§. 26.)

ARGUMENTVM.

Caius. *L. 1.*
ad *Ed. prou.*
L. 4.

29. Qui postulat, ut aduersarius eo iure utatur, quod pridem statuerat, ius non statuit; verum tantum petit, ut aduersarius a se statuto et in aliis probato iure ipse utatur. Hinc Illud eleganter praetor excepit: praeterquam, si quis eorum contra eum fecerit, qui ipse eorum quid fecisset. Et recte: ne scilicet vel magistratus, dum studet hoc edictum defendere, vel litigator, dum vult beneficio huius edicti uti, ipse in poenam huius edicti committat. *L. 4. b.*



SI QVIS IVS DICENTI NON OBTEM- PERAVERIT.

TITVLVS III.

OBSERVATIO.

1. Litium frequentiam praecauerunt Romani variis remediis, et inter alia sponsonibus litigatorum: quibus fraudes temere litein intendentis actoris vel dolose negantis rei reprimebantur aut puniebantur. Forma sponsonum fere haec fuit. Petitor actionem proponebat: si reus negasset, praetor interloquebatur: *Si negat, sacramento quaerito*. Prouocauit actor reum ad sponsonem: *Quando negas, sacramento quinquagenario te prouoco. Spondesne quingentos, si seruus meus est?* Tum reus actori: *Spondeo, si seruus tuus sit*. Et tu, *spondesne quingentos, ni seruus tuus sit?* cui actor respondebat: *spondeo, ni meus sit*. ASCONIVS PED. in *Verrem de Praectura urb. v. Glauca primus tulit*. VARRO de *L.-L. libro 4. in f.* FESTVS v. *sacramentum*. POMPONIVS eadem voce: in *schedis*. Solennis illa prouocationis formula fuit: *Sine: Nise*. CICERO pro *Caecina*, p. 358. Eandem sponsonem in improbo etiam iudicio Verres negligere noluit. *Lilybacum venit: cogere eum* (Seruilium reum) coepit (Verres praetor) *cum ageret nemo, nemo postularet H-S duobus millibus sponsonem facere cum lictore suo: Ni furtis quaestum faceret*. Nam stipulationibus praetoriis seruus publicus adhibebatur. (L. 1. tit. 7. § 67.) Valerius praetor Luctatium Col. sponsonem prouocauit: *Ni suo ductu Punica classis esset oppressa*. VALERIVS MAX. L. 2. c. 8. Varro autem loco citato ita de sacramento refert: *Ea pecunia, quae in iudicium venit in litibus, sacramentum a sacro nominatur. Qui petebat et qui inficiabatur, de aliis rebus uterque quingentos aeris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat: vincti ad aerarium redibat*. Prouocatio haec argumentum fiduciae bonae causae fuit, honestissimisque viris publice vsurpatum. GELIVS. L. 7. c. 11.

ARGVMENTVM.

2. Omnibus magistratibus, non tamen duumviris, secundum ius potestatis suae concessum est iurisdictionem suam defendere poenali iudicio. L. vn. pr. b. (L. 2. tit. 1. §. 48.)

Vlp. L. 1. ad Ed. L. vn.

DEFINITIO.

3. Extremum iurisdictionis est decretum praetoris. L. 1. §. 3. in f. ff. De postulando.

ANNOTATIO.

4. Is videtur ius dicenti non obtemperasse, qui quod extremum in iurisdictione est, non fecit: veluti, si quis rem mobilem vindicari a se passus

§. 1.

passus non est (forte quia non respondit formulae vindicationis) sed duci eam vel ferri passus est. Caeterum, si et sequentia recusavit, tunc non obtemperasse videtur. *L. vn. §. 1. b.*

A N N O T A T I O.

5. Perhibent, executionem esse extremum iurisdictionis, et hoc eum non facere, qui executioni resistit, aut eam eludit. Dicit autem textus, quod et is extremum iurisdictionis non faciat, qui rem mobilem duci vel ferri ab adversario passus est: commemorat etiam sequentia quaedam: post executionem autem nihil sequitur. Formulam vindicationis e Cicerone haurire licet: *Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, cum agrum ex iure Quiritium meum esse ato: inde ego te ex iure manum confertum voco: Tum reus: Unde tu me ex iure manum confertum vocasti, inde ibi te reuoco. Oratione pro Muraena: item pro Quintio. Praetor etiam iubebat ire viam. Igitur qui non iuisset viam, is, vel qui adiussum praetoris non exhibuisset. L. 4. ff. Qui satisd. cog. decreto praetoris non obtemperabat, et extremum iurisdictionis non faciebat. Haereticus Ictorum sequioris aevi circa hoc extremum refert ALCIATVS *Paradox.* L. 2. c. 15.*

A R G V M E N T V M.

§. 2. 6. Dolus personae adhaeret (*L. 1. tit. 1. §. 70.*) et per hoc quoque delictum (*ibid. §. 71.*) ideo: Si procurator tuus, vel tutor vel curator ius dicenti non obtemperavit: ipse punitur non dominus vel pupillus. *L. vn. §. 2. h.*

O B S E R V A T I O.

7. Pro libertate civium Romanorum nemo sine sua voluntate potestati externae subiiciebatur. (*L. 1. tit. 5. §. 4.*) *L. 2. tit. 1. §. 55.*) Suffragio civium imperium, magistratus, ius, lex, valebant: iudicia consensu in praetorem (*L. 2. tit. 1. §. 54. 66.*) et iudicem firma et valida erant. Iudex et iudicium advocatis testibus accipiebatur. Hinc litis contestatio. *FESTVS v. Contestatio: Contestari litem dicuntur duo aut plures adversarii, quod ordinato iudicio utraque pars dicere solet: Testes estote.* Iudicum sortitiones, subfortitiones et reiectiones Cicero in Verrinis frequentissime commemorat. Etiam litis contestationis speciem exhibet *PLAVTVS, Amphitruone A. 4. Sc. 2.*

A. Pergo quaerere: Tunc Amphitruo? I. Tu negas?

A. Pernego: quando Thebis praeter me nemo est alter Amphitruo.

I. Immo: praeter me nemo. Atque adeo tu Blepharo iudex sis.

D E F I N I T I O.

8. Litis contestatio est litigantium contradictio, iudicii et iudicis accepti confessio.

A N N O T A T I O.

9. Hac litis contestatione lis vere constituebatur, eiusque proprietates quaerebatur: praesertim, quando ex sponsione siue sacramento litigantium intererat. Intelligimus hinc, cur procurator contestatione dominus litis factus sit. Sponsione quoque translatio iudicii fiebat, ut: *L. 7. §. 9. ff. De dolo malo, litisque*

CON-

contestatione nouatio : quia iam non ex causa debendi, sed ex eo, quod pronuntiaretur ius pendebat.

ARGUMENTVM.

10. Quandoquidem vterque litigantium se iudicio subiiciebat: (§. 7. 8.) Non solum reum, qui non obtemperauit, hoc edicto teneri. Labeo ait, verum etiam petitorum. *L. vn. §. 3. b.*

§. 3.

ANNOTATIO.

11. Euidens est ex hac lege, quod executio, quae in petitorum decerni naturaliter nequit, non sit extremum iurisdictionis.

OBSERVATIO.

12. Litis, id est, rei litigiosae in iudicium deductae, aestimatio, non tantum publicis iudiciis propria fuit: CAR. SIGONIVS. *de Iudiciis L. 1. c. 10. et L. 2. c. 23.* sed etiam priuatis. Quando aliquis id petebat quod in quantitate consistebat, vel certum petebat, vel incertum. Si incertum, non constabat, quanti condemnandus sit reus. Tum iudici fiebat potestas, ut litem reo aestimaret. FESTVS: *Aestimata poena ab antiquis ab aere dicta est, qui eam aestimauerunt aere: ouem decussi, bouem centussi; hoc est decem et centum assibus.* Ita, si fructuarius seruitutem nonusu interire passus fuit, lis aestimabatur a iudice: idem in legis Aquiliae actione accidebat. *L. 1. §. 16. ff. Si quadrupes paup. fec.* Accedente dolo eius, qui damnum, aestimatione taxandum, fecerat, actor ipse per iuramentum in litem rem litigii aestimabat. *L. 46. ff. De rei vind.*

DEFINITIO.

13. Certum est, quod vel sua natura vel pondere, numero et mensura intelligitur quantum.

ANNOTATIO.

14. CICERO *pro Roscio, p. 228. Adnumeratione, expensum latione et stipulatione fieri poterat solum, ut certa pecunia peti potuerit.*

DEFINITIO.

15. Incertum est, quod nulla ratione intelligitur quantum.

DEFINITIO.

16. Certi agitur, quando actor quantum determinat petitione.

DEFINITIO.

17. Incerti agitur, quando actor indefinite demonstrat, sua interesse.

OBSERVATIO.

18. Per litis contestationem consensu partium iudicium accipiebatur, et ex conuentione sibi obligabantur litigantes. Alterutro eorum non obtemperante praetori, ius aduersarii laedebatur. Ergo pars laesa contumaciam accusauit. Certi agere non potuit, quia factum contumaciae per se non est quantum: (§. 13. 16.) igitur incerti, ut ei qui non obtemperauerat, lis a iudice aestimaretur. (§. 12.) Ob litem protractam aduersae partis vix interesse poterat, quia contumax tanquam confessus condemnabatur, vel immisso in bona seorsum petebatur.

REGV-

REGVLA.

19. Qui nec satisfacit, nec iudicium rei controuersae vult, videtur confiteri debitum vel factum.

ARGVMENTVM.

§. 4.

20. Hoc iudicium non ad id quod interest, sed quanti ea res est, (a praetore vel iudice aestimata) concluditur. *L. vn. §. 4. b.* concluditur: id est: clauditur et circumscribitur, nec extenditur ad id, quod alias interesse possit, nec datur ob damnum aliquod bonorum. (§. 18. 19.)

ARGVMENTVM.

21. Et cum (hoc iudicium) meram poenam contineat, neque post annum, neque in haereditatem datur. *L. vn. §. 4. b.* (*L. i. tit. i. §. 244.*)

ANNOTATIO.

22. Dolus defuncti non imputatur haeredi, quia personalis est, non civilis. (*L. i. tit. i. §. 70.*)

DEFINITIO.

23. Ius reale est facultas competens ex qualitate et lege rei qua affecta est.

DEFINITIO.

24. Ius personale est facultas ex qualitate et lege personae orta.

REGVLA.

25. Personale physicum, vel morale in personam collatum, morte perit.

ARGVMENTVM.

26. Hinc ius reale transit ad omnem successorem, (§. 23.) personale cum persona extinguitur.

DE IN IUS VOCANDO.

TITVLVS IV.

DEFINITIO.

*Paul. L. 4. ad**Ed.**L. 1.*

1. In ius vocare, est iuris experiundi causa vocare. *L. i. b.* (*L. i. tit. 8. §. 43.*)

OBSERVATIO.

2. Magistratibus qui imperium habent, omnino reuerentia debetur: multo magis diis Laribus apud gentiles honor habitus fuit. Pudor quoque fuit obtentu iuris priuati sacra, religionem aut publica turbare. (*L. i. tit. 8. §. 44.*)

ARGVMENTVM.

*Vlp. L. 3. ad**Ed.**L. 2.*

3. In ius vocari non oportet, neque consulem, neque praefectum, neque praetorem, neque proconsulem, neque caeteros magistratus, qui imperium habent, qui et coercere aliquem possunt, et iubere in carcerem duci: nec pontificem dum sacra facit: nec eos, qui propter loci religionem inde se mouere non possunt. Sed nec eum, qui equo publico in causa publica transuehatur. Praeterea in ius vocari non debet, qui

vxo-

vxorem ducat, aut eam, quae nubat: nec iudicem, dum de re cognoscat, nec (eum) dum quis apud praetorem causam agit: neque funus ducentem familiare, iustae mortuo facientem. *L. 2. b. (§. 2.)*

A N N O T A T I O.

4. Qui propter religionem loco se mouere non possunt, sunt sacerdotes: *L. pen. ff. De vacat. mun. In lege 36. pr. ff. De fideicomm. libertat.* mentio eorum fit quos religio moratur. *RAEVARDVS, Coniect. L. 1. c. 13.* religionem militis intelligit, ubi *SENECAM* citat, *Epist. 14.* ibi: *Primum militiae vinculum est religio.* Sed haec loci non est. Sacrorum causa Vestales quoque virgines vix loco se mouere potuerunt, quippe quae Palladii, sacrificiorum, ignisque perpetui causa detinebantur. Item, *Metellus P. M. Postunium Col.* quod Flamen Martialis esset, ad bellum Africanum profecturum, multa indicta retinuit. *VALERIVS MAX. L. 1. c. 1.* Intelligo locum de omni, qui per religionem vel sacris, vel supplicationibus, vel iustis mortuo exsoluendis occupatur. Si legeretur: *semori*: res plana foret.

A N N O T A T I O.

5. De his, qui in publica causa equo publico transuehantur, antiquorum testimonia extant. *LIVIVS L. 9. in f. DIONYSIVS Hal. L. 6.* Secundum hunc vel in Castoris Pollucisque honorem, vel in memoriam victoriae de Latinis reportatae, Idibus Quintilibus siue Iuliis, qui publicos equos habebant ex aede Martis usque ad Castoris ordine vehi soliti sunt. *PLINIVS de Virtis illustr.* ab aede Honori ad Capitolium pompam deducit. Vnde quibusdam placuit pro *causa publica*: substituere: *in Capitolium.* Fuit autem transuectio duplex, altera die Lupercalium, altera in equitum probatione. *VALERIVS MAX. L. 2. c. 2.* vtramque publicam causae publicae appellatione complexus videtur *Vlpianus.* Cavit etiam Augustus, ne transuecti ab accusatore equo detraherentur: quod forte antea in probationis transuectione coram Censoribus factitatum fuit, ubi mores accusare liberum fuit. Hac enim censoriae diligentiae particula Augustum assidue functum esse constat. *SVETONIVS in Augusto c. 38.* Ad datur *GV. BVDAEVVS Annotat. in Pand. ad hanc legem.* Iusta funebria fuerunt sacrificia, placandis manibus facta, *LIVIVS L. 1.* et iusta facere, idem quod parentare dicebatur. *BVDAEVVS cit. loco.*

A N N O T A T I O.

6. Qui funus ducunt vocari non debent (§. 3). Vel qui cadauer prosequuntur: quod etiam videtur (ex) rescripto Diuorum fratrum (Marci Antonini et Aelii Veri) comprobatum esse. *L. 3. b.*

Callistr. L. 1. Cognit. L. 3.

A R G V M E N T V M.

7. Iterum in ius vocari non debet, Quicumque litigandi causa necesse habet in iure, vel certo loco sisti. *L. 4. pr. b. (§. 2.)*

Vlp. L. 5. ad Ed.

A N N O T A T I O.

8. Iudicio apud Praetorem constituto atque accepto, sequebatur comperendinatio, ut partes litigantes in perendinum coram iudice sisterent. Quicumque igitur per hanc comperendinationem necesse habebat se sistere, vocari

L. 4.

non poterat. ASCONIVS PED. *in Verrem de Praet. urb. V. Glaucia primus tulit.*

A R G V M E N T V M.

9. Nec furiosos vel infantes. *L. 4. pr. b.* quia ius suum et aduersarii ignorant, atque de hoc experiri nequeunt. (L. I. tit. 8. §. 43.)

D E F I N I T I O.

10. Patronus est, qui seruum beneficio suo liberum effecit. (L. I. tit. 7. §. 46.)

A R G V M E N T V M.

§. 1. 11. Praetor ait: Parentem, patronum, liberos, parentes patroni, patronae, in ius sine permisso meo ne quis vocet. *L. 4. §. 1. b.* Quoniam patrono ob beneficium inaeestimabile libertatis reuerentiam et gratitudinem libertus debebat, hanc neque in ipso patrono, neque in coniunctis personis negligere potuit, (L. I. tit. 8. §. 44. seq.) nimirum in quibus ipsum patronum laederet.

A R G V M E N T V M.

§. 2. 12. Parentem hic vtriusque sexus accipe: sed an in infinitum, quaeritur. Quidam parentem vsque ad tritauum appellari aiunt, superiores maiores dici. Hoc veteres existimasse, Pomponius refert. Sed Caius Cassius omnes in infinitum parentes dicit: quod et honestius est, et merito obtinuit. *L. 4. §. 2. b.* Haec enim liberti erga patronum reuerentia sanguinem sequitur (§. II.) non stricta vocabuli acceptione clauditur.

A R G V M E N T V M.

§. 3. 13. Ex eadem ratione Parentes etiam eos accipi, Labeo existimat, qui in seruitute susceperunt: nec tamen, vt Seuerus (Gothofredus substituit: Seruius) dicebat, ad solos iustos liberos, sed et si vulgo quaesitus sit filius, matrem in ius non vocabit. *L. 4. §. 3. b.*

A R G V M E N T V M.

Paul. L. 4. ad Ed. L. 5. 14. Quia (semper) certa est, etiamsi vulgo conceperit. Pater vero is est, quem nuptiae demonstrant. *L. 5. b.* Licet quis patrem se perhibeat, eum tamen nec praetor agnoscit, sed eum tantum, quem nuptiae demonstrant. Ergo vulgo conceptus eum sine venia praetoris vocabit.

A R G V M E N T V M.

Idem L. 1. Sent. L. 6. 15. Parentes naturales in ius vocare nemo potest: vna enim omnibus parentibus seruanda reuerentia. *L. 6. b.* (§. II.) Naturales hic intelliguntur, qui filium emanciparunt, aut alii in adoptionem dederunt.

O B S E R V A T I O.

16. Quod in cognatione naturali sanguinis eiusdem participatio operatur: idem efficit familiae eiusdem communio in adgnatione ciuili. (L. I. tit. 7. §. 21. 87.)

P O S I T I O.

17. Qui non fit agnatus per adoptionem, eum non sequuntur iura cognationis.

P R O B A T I O.

Qui per adoptionem non adsimilatur cognato, eius adoptio non imitatur naturam: Itemque, cuius adoptio non imitatur naturam, eam iura cognationis ob dissimilitudinem naturae non sequuntur. (L. 1. tit. 6. §. 15.) Qui autem non fit adgnatus adoptione, non adsimilatur cognato (§. 16.) ergo: qui non fit agnatus adoptione, eum non sequuntur iura cognationis.

A R G V M E N T V M.

18. Patris adoptiui (a patre suo emancipati) parentes impune vocabit: *Id. L. 4. ad Ed. L. 7.*
quoniam hi eius parentes non sunt, cum his tantum cognatus fiat, quibus et agnatus. L. 7. b. (§. 17.)

A R G V M E N T V M.

19. Adoptivum patrem, quamdiu in potestate est, in ius vocare non potest: iure magis potestatis (et familiae (§. 16.) quam praecepto praetoris: *Vlp. L. 5. ad Ed. L. 8.*
(qui parentes nominat) L. 8. pr. b.

A N N O T A T I O.

20. Parens: est nomen naturale ex sanguinis necessitudine: Pater: est nomen civile, ex familiae participatione.

D E F I N I T I O.

21. Peculium est separata ab uniuerso patrimonio pecunia, serui vel filii familias administrationi et rationibus, permixta.

D E F I N I T I O.

22. Peculium castrense est separata a patrimonio pecunia, filio familias ex causa militiae quaesita.

A R G V M E N T V M.

23. Quod occasione militiae partum est, ex causa publica adquisitum est: in causis publicis vero filius familias patriae potestati subiectus non est. (L. 1. Tit. 6. §. 25.) vocare ergo patrem adoptivum potest, si constet peculium esse castrense, ex cuius causa eum vocare cupit. Nisi sit filius, qui castrense habuit peculium: tunc enim causa cognita permittitur. L. 8. pr. b.

A N N O T A T I O.

24. Opus est causae cognitione, ut constet de peculii qualitate, quae non praesumitur. (L. 1. Tit. 7. §. 61.)

A R G V M E N T V M.

25. Sed naturalem parentem, ne quidem dum est in adoptiva familia, in ius vocari. L. 8. pr. b. (§. 15.)

A N N O T A T I O.

26. Patronum, inquit, Patronam: Patroni hic accipiendi sunt, qui ex seruitute manumiserunt: vel si collusionem detexit, vel si qui praeiudicio pronuncietur esse libertus, cum alioquin non fuerit. L. 8. §. 1. b. (§. 10.) ut libertini ad ingenuitatem peruenirent, saepenumero indulgentia patronorum abusi sunt, qui ius suum frigide defendentes, colludebant cum libertis, sicque eos ad iura ingenuitatis proclamare et peruenire patiebantur. Si quis eam collusionem detexisset, eius liberti patronus fiebat. *Arg. L. 1. et 4. ff. De Collus.*

§. L.

Colluf. deteg. Praejudicio aliquis euadebat patronus, si quidem de libertinitate non pronunciatum erat, id autem in re iudicata fuerat, vnde status libertini sequebatur. (L. I. Tit. 6. §. 26.) Verba: *vel si qui*: legi debent: *vel si cui*: quae lectio in Digestis saepius obseruanda.

DEFINITIO.

27. Iuramentum est religiosa Dei in testimonium et falsi vindictam aduocatio, qua adsertis vel promissis licitis sanctior fides apud alios conciliatur.

ARGUMENTVM.

28. Ergo Iuramentum promissorium est modus et accessorium obligationis iure non prohibitaе. (L. I. Tit. I. §. 267.)

DEFINITIO.

29. Iuramentum voluntarium est decisio facti controuersi postulante aduersario facta, Deo teste et vindice periurii aduocato.

ARGUMENTVM.

30. Iuramentum voluntarium habet vim rei iudicatae. (L. I. Tit. 5. §. 61.)

ARGUMENTVM.

31. Aut si iuravi, cum libertum meum esse: quemadmodum per contrarium pro patrono non habebor, si contra me iudicatum est: aut, si me deferente iurauerit, se libertum non esse. L. 8. §. 1. b. (§. 30.)

OBSERVATIO.

32. Per legem Aelianam Sentiam libertati nulla conditio adici potuit, quae libertati derogaret: e. gr. ne liberta nubat: ne alii nubat, quam in quem confenserit patronus: qui contra fecerat iure patronatus multabatur. L. 3. §. 5. ff. *De suis et legit. haered.* Hoc rationi iuris omnimodo consentaneum est: quia libertas res incorporalis est, quae partem non recipit, quae decerpi queat.

ANNOTATIO.

33. GRAVINA *Orig. Iur. ciu. L. 3. ad Leg. Ael. Sent.* rationem huius legis reddit, ne prohiberentur noui ciues rempublicam liberis augere: quae ratio non est adaequata: nam liberta non prohibetur liberos parere, quae secundum nutum patroni nubere iubetur. Verior et sufficiens ratio legis est, quod libertas natura sua pro parte dari non possit nec debeat. L. 30. ff. *De liberali causa.*

ARGUMENTVM.

§. 2. 34. Sed si ad iusiurandum adeg(i) (libertum: libertam) ne vxorem ducat: ne nubat: impune in ius vocabor. L. 8. §. 2. b. (§. 33.)

ARGUMENTVM.

35. Et Celsus quidem ait: in tali liberto ius ad filium meum me viuo non transire: sed Iulianus contra scribit. L. 8. §. 2. b. Dissensio Ictorum de sensu edicti eiusque interpretatione est. Celsus verba edicti: Patronum, liberos: (§. II.) ita accipit, quod patroni liberos vocari vetuerit praetor. Iam deficiente patrono, qui in poenam legis inciderat, patroni liberi non erant: proinde filius vocari potuit. Rationem, cur filius non vocaretur, in iure patronatus patris sitam esse voluit Celsus. Praeterea edictum praetoris legi Aeliae

liae Sentiae quadantenus detrahere vidit: (§. 32.) et si filius vocari non possit, nec parentem posse vocari, per ipsa verba edicti: ea vero strictam saltem admittere interpretationem, quae iuri communi derogant: (L. 1. Tit. 1. §. 243.) immo magis, quae ampliata perplexitatem paterentur. Haec forte Celsum mo-
verunt. Sed Iulianus forsan argumentatus ita est: Reuerentiam libertum debe-
re familiae, independenter a iure patronatus patris familias: filium innocen-
tem ex delicto patris deterioris conditionis fieri non debere: aequè perplexum
esse, prius filium vocari posse, ex postfacto non posse: (L. 1. Tit. 5. §. 31.) in
dubio ergo praeualere benigniorem sententiam. (L. 1. Tit. 1. §. 249.) Hoc er-
go loco non tam Antinomia est, quae vulgo notatur, sed regularum interpre-
tandi aequilibrium.

A N N O T A T I O.

36. Plerique Iuliani sententiam probant; secundum quod eueniet, vt
patronus quidem in ius vocetur, filius, quasi innocens, non vocetur.
L. 8. §. 2. b.

A R G V M E N T V M.

37. Qui ex causa fideicommissi manumittit, ipse manumissor est, qui
magis pudore motus quam iure et testatoris voluntate obligatus, seruo liberta-
tem praestat. (L. 1. Tit. 7. §. 81.) Cum enim ciues Romani in longinquis ter-
rae partibus testamenta condere non possent, defectu ciuium Romanorum, le-
gitimo testium numero, codicilli reperti sunt, quibus fidei haeredum ab inte-
stato committebant precario, haereditatem vel rem singularem restitui: Hi-
storiam huius rei refert Iustinianus *pr. I. De Codicillis et §. 1. I. De fideicomm.
haeredit.* Quando igitur libertas fideicommissio relicta fuerat, dum beneficio
haeredis manumittentis libertas obtingebat, manumissor patronus fiebat.

A R G V M E N T V M.

38. Is quoque, qui ex causa fideicommissi manumittit, non debet in
ius vocari: (§. 37.) quamuis, vt manumittat, in ius vocetur. *L. 9. pr. b.*
nam antequam manumiserit, patronus non est.

*Paul. L. 4. a.
Ed.
L. 9.*

A N N O T A T I O.

39. Is, cui libertas fidei commissaria relicta erat, quasi libertatem, sed
ex euentu aliquo resolutiuam habebat, statuque liber dicebatur: de quo infra:
(L. 2. Tit. 9.) hinc in ius vocare poterat, quod seruo non licebat.

O B S E R V A T I O.

40. Iure constitutionis statutum est, vt, qui mancipium ea lege emit, vt
manumitteret, si non manumiserit, ex constitutione ad libertatem perueniat.
L. 2. 3. C. Si mancip. ita fuerit alien.

A R G V M E N T V M.

41. Sed si hac lege emi, vt manumittam et ex constitutione Diui
Marci venit ad libertatem: cum sim patronus (quia impensis meis et meo
beneficio effeci, vt constitutioni locus sit, et libertatem ipso iure contingere cu-
raui. (L. 1. Tit. 1. §. 51. 53.) modo seruum mihi adserere nolim,) in ius vocari
non potero. *L. 10. pr. b. (§. 11)*

*Vlp. I. 5. a.
Ed.
L. 10.*

ANNOTATIO.

42. Vt quis patronus fieret, libertatem ipsius beneficio effecisse oportebat. Ita liberta apud Plautum *Perfa, Actu 1. sc. 2.*

Solam illi meo soli cenfeo esse obsequentem:

Solam ille me soli sibi suo liberauit.

& *Actu 5. sc. 2.*

Ego sum tibi patronus plane, qui huic argentum pro te dedi.

ARGUMENTVM.

43. Sed si suis nummis emi, et fidem fregi, pro patrono non habebor. *L. 10. pr. b.* Nam nullo meo beneficio ad libertatem peruenit: (§. 42.) cum contra fidem datam in seruitute retinere nifus sum.

ANNOTATIO.

44. *Lex 7. C. de Operis libert.* dicit: Patronum omnino esse, qui suis nummis emtum, manumifit. Etenim eius idem sensus et distinctio est, quae traditur (§. 41.) quod nempe aduersatus non sit, vt ex constitutione liber fieret.

ARGUMENTVM.

§. 1.

45. Prostituta contra legem venditionis, venditorem habebit patronum, si hac lege venierat, vt si prostituta esset, fieret libera. *L. 19. §. 1. b.* Nam factum in se turpe beneficium esse nequit. Emptor prostituens libertati quidem causam dedit proximam, *L. 34. pr. ff. De euiction.* haec autem magis maleficium quam beneficium est: at ex benefico facto manumissoris ius patronatus oritur. (§. 42.) Remota causa libertatis in pacto per venditorem adiecto residet: hoc beneficium est, ergo hoc iura patroni sequuntur.

ARGUMENTVM.

46. At si venditor, qui manus iniunctionem exceptit, ipse prostituit, (antequam traderet) quoniam et haec peruenit ad libertatem, sub illo quidem, qui vendidit, libertatem consequitur: sed honorem haberi ei aequum non est: vt et Marcellus libro sexto Digestorum existimabat. *L. 10. §. 1. b.* Manumissor non beneficus patronus non fit (§. 42.) multo minus iniuriosus. Conuenit autem: vt prostituta libera sit: vteruis ergo prostituerit, vi pacti libera erit: hoc enim videtur reale.

ARGUMENTVM.

§. 2.

47. Patronum autem accipimus, etiamsi capite minutus sit. Nam gratitudo naturaliter ad benefactorem refertur (*L. 1. tit. 1. §. 166.*) et quod naturali ratione contractum est, ciuili modo non soluitur. (*Ibid. §. 153.*) vel si libertus capite minutus, dum adrogetur per obreptionem: (dum ingenuum se gessit vel mentitus est, nam requiritur consensus eius expressus. (*L. 1. tit. 7. §. 18.*) cum enim hoc ipso, quo adrogatur, celat conditionem (libertinitatis) non id actum videtur, vt fieret ingenuus. *L. 10. §. 2. b.* Certe, de quo non est cogitatum, hoc non est actum (*L. 1. tit. 1. §. 198.*). Sed adoptione ingenuitas ne quidem obtingere potuit: non a patrono (*L. 1. tit. 5. §. 75.*) nec ab extraneo. (*L. 1. tit. 7. §. 48.*)

OBSER-

OBSERVATIO.

48. Annulorum aureorum vsus ingenuitatis signum fuit: serui ferreis utebantur. STATIVS: *in Lacrimis Etrusci.*

*Mutavitque genus, lacuaeque ignobile ferrum
Exiit, et celso natorum aequavit honore.*

Et APVLEIVS *Metam. L. 10.* Donec iussu magistratum ministeria publica contrectatis nequissimi serui manibus annulum ferreum deprehensum cum signo sacculi conferunt. ASCONIVS PED. ad verba Ciceronis: et eos in concione: in Verrina: De iurisdictione et praetura Siciliae. *Quaedam praemia et honori et lucro sunt: ut, hastae, vexilla, falerae, coronae ciuicae. At annuli aurei ingenuitatis signa et liberationis.* Non desunt loca auctorum, quae equitibus prae plebe ingenua annulos aureos tribuere videntur. Mago Carthaginensium senatui persuasit, Romanorum neminem nisi equites, et ipsorum primores, Tribunos, aureos annulos gestare. LIVIVS L. 23. Sed idem auctor ibi notat, Magonem hoc commentum esse, ut maioris cladis Romanae ex numero detractorum caesis annulorum indicium faceret. MACROBIVS *Saturnal. L. 1. c. 3.* refert: *Cum Laberius in fine ludorum anulo aureo honoratus a Caesare, e vestigio in quatuordecim ad spectandum transit, violato ordine: et cum detrectatus est eques Romanus, et cum mimus (ipse Laberius) remissus. Laberius libertus accepto iure annuli aurei, equestrem ordinem inuadere ausus est. Ait autem Macrobius, ipsum ordinem violasse: ergo libertinum mansisse, sed cum honore ingenuitatis, affirmat. Alias difficultates videre est apud LIPSIUM *Elector. L. 2. c. 8.* et apud SIGONIVM, *De antiquo iure ciu. Rom. L. 2. c. 3.* Has extricare nostra non refert. Siquidem praefens textus amplius nihil, quam ingenuitatis vsurpationem poscit. Ita tamen resoluere ausum: Libertinum signo ingenuitatis status mutationem indigitare oportuit, ne notissimae pristinae conditionis esse censeretur: plebs ingenua annulo opus non habuit, quia natiuitate ingenua esse noscebatur. Caeterum Graecorum Romanorumque more annuli aurei in quarto sinistrae manus digito, qui minimo proximus est, gestabantur: quia persuasio erat, neruum eius digiti ad ipsum cor hominis pertinere. GELIVS. L. 10. c. 10.*

DEFINITIO.

49. Ius aureorum annulorum est beneficium Imperatoris homini liberto concessum; quo ingenuorum iure donatum esse significabatur.

ANNOTATIO.

Imperatores soliti sunt annulos aureos concedere. CICERO L. 3. in *Verrem. p. 304.* *Saepe enim nostri Imperatores superatis hostibus, optime re publica gesta, scribas suos annulis aureis in concione donarunt.* Ingenuorum autem saltem iura vsurpanda concedebantur; quia ingenui tantum natiuitate fiebant. (L. 1. tit. 5. §. 15. 16.) Non tantum scribis munificentia ob res prospere euenientes obtigit, sed et aliis personis: cuius rei argumentum vide infra. (L. 2. tit. 8. §. 34.)

ARGV-

ARGUMENTVM.

- §. 3. 50. Sed si ius annulorum accepit, puto eum reuerentiam patrono exhibere debere: quamuis omnia ingenuitatis munia habet. *L. 10. §. 3. b.* Nam gratitudo naturale debitum est: quod status mutatione non perit. (§. 47.)

DEFINITIO.

51. Natalibus restituere, est statum ingenuitatis natiuitate non competentem, quasi competeret, reddere.

ARGUMENTVM.

52. Quoniam is tantum libertinus est, qui ex iusta seruitute manumissus est: (*L. l. tit. 5. §. 19.*) sequitur, quod libertinus non sit, qui natalibus restitutus est. (§. 51.)

ARGUMENTVM.

53. Aliud (obtinet, quam §. 50. dictum fuit) si natalibus sit restitutus: nam princeps ingenuum facit. *L. 10. §. 3. b.* (*L. l. tit. 7. §. 120. 121.*)

ANNOTATIO.

- §. 4. 54. Qui manumittitur a corpore aliquo vel collegio, vel ciuitate, singulos in ius vocabit: nam non est illorum libertus. *L. 10. §. 4. b.* (*L. l. tit. 8. §. 47.*)

ARGUMENTVM.

55. Sed reipublicae honorem habere debet: *L. 10. §. 4. b.* (nam reipublicae beneficio liber est. (§. 42.) *L. l. tit. 8. §. 47.*)

DEFINITIO.

56. Actor est mandatarius constitutus ab eo, qui potestatem negotii habet, quod eius proprium non est.

DEFINITIO.

57. Syndicus est vicarius vniuersitatis ad omnia eius negotia et lites datus.

ARGUMENTVM.

58. Et si aduersus rempublicam vel vniuersitatem velit experiri, veniam edicti petere debet. (§. 55.) quamuis actorem eorum constitutum in ius sit vocaturus. *L. 10. §. 4. b.* Hic enim actor syndicus est, vniuersitatis vicarius eam repraesentans. (§. 57.) Actor autem nominatur, quando a duumiris, vel decurionibus, vel similibus constitutus est. Hi potestatem negotii reipublicae habent, negotium autem ipsorum non est. (§. 56.)

ANNOTATIO.

- §. 5. 59. Quod in edicto dicitur: Liberos, parentes (que) patroni, patronaeque: vtriusque sexus accipere debemus. *L. 10. §. 5. b.* (§. 11. 12.)

REGVLA.

60. Rem videtur amisisse, qui actionem eius rei amisit.

DEFINITIO.

61. Deportatio est iuris ciuilibus et ciuitatis amissio. (*L. l. tit. 5. §. 49. 45.*)

POSITIO.

- §. 6. 62. (Sed) si per poenam deportationis ad peregrinitatem redactus sit patronus: putat Pomponius, eum amisisse honorem. *L. 10. §. 6. b.*

PRO-

P R O B A T I O.

Actio vel exceptio, quae ex edicto praetoris, de in ius vocando competit, iure ciuium et ciuili competit (L. I. tit. I. §. 318.) et per hoc deportatione amittitur (§. 61.) Qui autem actionem amittit, rem videtur amisisse. (§. 60.) Ideo si patronus deportatus est, honorem videtur amisisse.

A N N O T A T I O.

63. Deportatio successit in locum aquae et ignis interdictionis: de qua (L. I. tit. 5. §. 49.) Peregrini iuris ciuitatis incapaces erant: Deportatio autem iure ciuitatis priuabat, quae in aqua et igne interdictionis locum successerat: *VLPIANVS Tit. 22.* facile intelligitur quid sit: ad peregrinitatem redigi. *BRISSENIUS Antiqu. L. 1. c. 13. et L. 3. c. 5.* Ita autem successit deportatio in locum interdictionis, cum haec ab Imperatoribus amplius non frequentaretur, quo minus interdictis liceret in vno loco conuenire, resque nouas moliri. *DION. L. 55. p. 344.* ex quo loco magis pro suppliciis successisse adparet, quam loco interdictionis.

D E F I N I T I O.

64. Restitutio in integrum est conditionis ciuilis in pristinum statum redintegratio.

A N N O T A T I O.

65. Alia restitutio in integrum sequenti Titulo 8. sistenda veniet.

A R G V M E N T V M.

66. Sed si fuerit restitutus, erit ei etiam huius edicti commodum saluum. *L. 10. §. 6. b.* restitutio enim in pristinum statum fit. (§. 64.)

A R G V M E N T V M.

67. Parentes patroni etiam adoptiuu excipiuntur (edicto praetoris: quoniam hos iura cognationis sequuntur, (§. 16. 17.) secundum quae parentes naturales non vocantur, (§. 59.) sed tamdiu, quamdiu adoptio durat. *L. 10. §. 7. b.* (L. I. tit. 7. §. 37.)

§. 7.

A R G V M E N T V M.

68. Si filius meus in adoptionem datus sit, vocari a liberto meo in ius non poterit: sed nec nepos in adoptiua familia susceptus. *L. 10. §. 8. b.* Quoniam reuerentia sanguinem sequitur. (§. II.)

§. 8.

A R G V M E N T V M.

69. Sed si filius meus emancipatus adoptauerit filium: hic nepos in ius vocari poterit: nam mihi alienus est. *L. 10. §. 8. b.* (L. I. tit. 7. §. 101.) proinde cognationis iura non sequuntur, dum nepos ille adgnatus non est. (§. 17.)

A R G V M E N T V M.

70. Liberos autem secundum Cassium vt in parentibus et vltra trinepotem accipimus. *L. 10. §. 9. b.* (§. II. 12.)

§. 9.

A R G V M E N T V M.

71. Si liberta ex patrono fuit enixa, mutuo se ipsa et filius eius non vocabunt. *L. 10. §. 10. b.* Ipsa filium non vocabit, quia filius patroni est, (§. II.) filius patroni libertam non vocabit, quia mater naturalis est. (§. 13.)

§. 10.

P O S I T I O .

- §. 11. 72. Sin autem liberi patroni capitis accusauerunt libertum paternum, vel in seruitutem petierunt: nullus eis honor debetur. *L. 10. §. 11. b.*

P R O B A T I O .

Liberi patroni, qui libertum paternum capitis accusauerunt, vel in seruitutem petierunt, contrarium faciunt eiusmodi, ex quo honor debetur: quod per se clarum est. Qui autem contrarium facit eiusmodi ex quo honor debetur, eius ius ad honorem solutum est (*L. 1. tit. 1. §. 153.*) Et quia his honor non debetur, quorum ius ad honorem solutum est (*L. 1. tit. 1. §. 216.*) sequitur, quod liberi, patroni, qui capitis accusauerunt libertum paternum, vel in seruitutem petierunt, nullus honor debeatur.

A N N O T A T I O .

- §. 12. 73. Praetor ait: In ius, nisi permissu meo, ne quis vocet: permissurus enim est, si famosa actio non sit, vel pudorem non fugillat, qua patronus conuenitur vel parentes. Et totum hoc causa cognita debet facere. *L. 10. §. 12. b.* Praetor totum hoc negotium debet facere, nec mandare poterit. (*L. 1. tit. 21. §. 16.*) Etenim, secundum citatum §. 16. Praetori causae cognitio necessario incumbit, ut eam mandare non possit: adoptio tamen a causae cognitione separatim per legatum expediri potest: quemadmodum et causae cognitio apud unum consulem fieri poterat, alter autem ipse manumittere. (*L. 1. tit. 10. §. 10. sequ.*) vide infra (*L. 2. tit. 15. §. 41.*)

O B S E R V A T I O .

74. Flagella seruis decreta poena sunt: qui ergo libertum flagellis caedebat, eum seruili more habebat, summaque et libertati concessae contraria contumelia afficiebat. De seruis nota res est. *PLAVTVS: Milite glor. Actu 2. sc. 2. in pr.*

*Nisi hercle defregeritis talos, posthac quemque in tegulis
Videritis alienum: ego vestra faciam latera lorea.*

Id est: lori et flagri vestigia faciam apparere in lateribus: haec ad seruos suos dominus. Argumentum seruilis conditionis fuit, aliquem flagris caesum esse. *SENECA: Apocolocyntoseos Claudii Caes. in fine. Apparuit subito C. Caesar, et petere illum (Claudium) in seruitutem coepit: producit testes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colapbis vapulantem: adiudicatur C. Caesari: etc.* *IDEM: De clementia L. 1. c. 14. Irroxem equitem Romanum, memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphis confodit. Vix illum Augusti Caes. auctoritas infestis tam patrum quam filiorum manibus eripuit.* Populus iniuriam libertati in filio factam aegre tulit.

A R G V M E N T V M .

75. Nam interdum etiam ex causa famosa, ut Pedius putat, permittere debet patronum in ius vocari a liberto: si eum grauissima iniuria affecit: flagellis forte caecidit. *L. 10 §. 12. b. (§. 74. 72.)*

A R G V M E N T V M .

- §. 13. 76. Semper autem hunc honorem patrono habendum, etsi quasi tutor,

tor, vel curator, vel defensor, vel actor interueniat patronus. *L. 10. §. 3. b. P.* nihilominus enim patronus est, et in eius persona vocatio fit.

A R G V M E N T V M.

77. Sed si patroni tutor vel curator interueniat, impune posse eos in ius vocare, Pomponius scribit: quod verius est. *L. 10. §. 13. b.* Quoniam hi tanquam procuratores litis domini fiunt, (*L. 2. tit. 3. §. 9.*) in hos actio dirigitur, nec persona vel fama patroni laedi, nec pudor sugillari potest: quae sola causa edicti est. (*§. 73.*)

A R G V M E N T V M.

78. Quamuis non adiciat praetor: causa cognita se poenale iudicium daturum: tamen Labeo ait: moderandam iurisdictionem, (veluti) si poeniteat libertum, (postquam sine venia vocauit) et actionem remittat: vel si patronus vocatus non venerit: (quod non imputatur, tanquam conatus effectu destitutus, (*L. 1. tit. 1. §. 62.*) aut si non inuitus vocatus sit, (*L. 1. tit. 8. §. 56.*) licet edicti verba non patiantur. *L. 11. b.* Nam et haec verba edicti cum effectu sunt accipienda. (*L. 2. tit. 2. §. 5.*)

Paul. L. 4. ad Ed.

L. 11.

A R G V M E N T V M.

79. Quoniam patronus laeditur, in filii persona, (*§. 11.*) actio poenalis proprie patroni est. (*L. 1. tit. 1. §. 318.*) Filius autem familias, exceptis causis publicis, in rebus priuatis nihil valide agere potest: (*L. 1. tit. 5. §. 29.*) Ergo nec actionem violatae reuerentiae et iuris patronatus mouere valet. *L. 22. §. 3. ff. Solutio matrim.* Alias filius familias actionem iniuriarum habet. Haec actio magis ex ingratitudine quam iniuria est.

A R G V M E N T V M.

80. Si libertus in ius vocauerit, contra praetoris edictum, filium patroni, quem ipse patronus in potestate habet: probandum est, absente patre subueniendum esse filio, qui in potestate est, (qui per hoc contra libertum agere non potest, (*§. 79*) et ei poenalem in factum actionem, id est, quinquaginta aureorum aduersus libertum competere. *L. 12. b.* Reuerentia haec per naturalem causam debetur (*L. 1. tit. 7. §. 46.*) *L. 1. tit. 1. §. 166.*) propter quam strictum ius aliquantisper remittitur. (*L. 1. tit. 1. §. 96.*)

Vlp. L. 75. ad Ed.

L. 12.

A N N O T A T I O.

81. Generaliter eas personas, quibus reuerentia praestanda est, sine iussu praetoris in ius vocare non possumus. *L. 13. b. (§. 3. 4. 11.)*

Modest. L. 10. Pand.

L. 13.

A R G V M E N T V M.

82. Libertus a patrono reus constitutus; qui se defendere paratus, pro tribunali praesidem provinciae frequenter interpellat, patronum accusatorem in ius non videtur vocare. *L. 14. b. (L. 1. tit. 8. §. 43.)*

Papin. L. 1. Resp.

L. 14.

A N N O T A T I O.

83. Die postulationi praefinita citabantur vel euocabantur litigatores per praeconeum: *L. 7. pr. ff. De in integr. restit.* De actore vocato sigillatim constat: *APVLEIVS Metamorph. L. 10. Placuit salubre consilium: et illico iussus praeco pronunciat: Patres in curiam conuenirent. Quibus protinus dignitatis*

iure consuetata loca residentibus, rursus praecoris vocatu accusator incedit. Libertus ergo non in ius vocavit, sed a patrono vocatus, ut praefes ad audiendum euocari iuberet, institit.

DEFINITIO.

84. Libellus est summaria causae coniectio, cum supplicatione ad principem, vel eum, qui eius loco est.

ANNOTATIO.

85. Supplicationis per libellum mos praecipue principum tempore inualluit. Iocum Augusti memorat SVETONIVS *in eius vita: c. 53.* Item MACROBIUS: *Saturnal. L. 2. c. 4.* quo alicui timidius offerenti libellum, dixit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, *quasi elephantum stipem.*

ARGUMENTVM.

86. Neque irreuerenter vocat, qui libellum principi dat, neque famam aut pudorem laedit, quando causa principi oblata tanta visa est, ut succurrendum liberto contra patronum censeat: (§. 75.) Iam: libertus aduersus patronum dedit libellum, non dissimulato, se libertum esse eius: an si ad desiderium eius rescribatur, etiam edicti poena remissa esse videtur? Respondi: non puto ad hunc casum edictum praetoris pertinere: neque enim, qui libellum principi vel praefidi dat, in ius vocare patronum videtur. *L. 15. b.*

Paulus L. 1.
Quaest.
L. 15.

ARGUMENTVM.

87. Quaesitum est, an tutor pupilli nomine patronam suam sine permissu praetoris vocare possit. Respondi: eum de quo quaeritur, pupilli nomine etiam in ius vocare patronam suam potuisse, sine permissu praetoris. *L. 16. b.* Cum officii necessitas excuset a dolo et delicto. (*L. 1. tit. 1. §. 73.*)

Id. L. 2. Resp.
L. 16.

OBSERVATIO.

88. Difficile est dicere, quid officium sit, quod in sequenti textu nominatur. Diuersum quid est a consilio: puto enim, quod in dicto textu dicitur: apud acta: idem significare, quod in consilio: de quo (*L. 1. tit. 10. §. 2.*) vel coram praetore, professis praeconi nominibus actoris, rei et fideiussoris, qui sistere promittit, (§. 83.) scribis excipientibus acta. *L. 33. §. 1. ff. Ex quibus caus. mai.* Quid autem officium? Gothofredus in notis citat *legem 27. C. De fideiussor.* ibi: *si fideiussor nullam quidem cautionem faciat, ostendens se fideiussorem extitisse: praesentibus autem tabulariis hoc confessus est, quod in fide sua eum suscepit,* tum secundum eum tabulariorum collegium fuisse oportet, quod officium appellatum sit. Qui tabulas publicas conficiebant, publici serui erant. (*L. 1. tit. 7. §. 67.*) Sic enim LIVIVS *L. 43. Censores extemplum atrium libertatis adscenderunt, et ubi signatis tabulis publicis clausoque tabulario, et dimissis seruis publicis, negarunt, se prius quicquam publici negotii gesturos, quam iudicium populi de se factum esset.* Hac coniectura interim sumus contenti. Rationem qua testamenta ad acta recepta sint, e Marculpho monacho, recenset CUIACIVS *in notis ad Pauli sentent. L. 4. tit. 6. §. 2.*

ANNOTATIO.

89. Eum, pro quo quis apud officium cauit, exhibere cogitur. (ideo quia

Id. L. 2. Sent.
L. 17.

quia cauit.) Item (eum) qui apud acta exhibiturum se esse quem promittit, etsi officio non caueat, ad exhibendum tamen cogitur. *L. 17. b.* Ob fidem reipublicae datam: quamvis forma satisfactionis priuatae defecerit. Cur autem hic textus ad materiam de in ius vocando relatus sit, e lege proxime antecedente declarandum existimo. Excusatur tutor, qui cogente officio vocat (§. 87.) excusabitur ergo etiam libertus qui cauit, aut apud acta promittit patronum iudicio sistere; quem adeo quasi vocare in ius, necessitate iuris adactus, impune poterit.

OBSERVATIO.

90. Laribus, domesticis diis, familiarumque custodibus reuerentia debebatur: coronis ornabantur, supplicationes fiebant: *PLAVTVS in Aulularia: Prologo.* Abeuntes domo eos salutabant. *IDEM, Milite glor. Act. 4. sc. 9. v.*
29. In conspectu quasi horum patri familias vis fieri non debuit.

ARGUMENTVM.

91. Plerique putauerunt, nullum de domo sua in ius vocare licere: quia domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum sit: eumque qui inde in ius vocarit, vim inferre videri. *L. 18. b.* Puto vim publicam: quia numinis tutelaris familiae reuerentia et ius violabatur. *Caius L. 1. ad L. 12. Tab. L. 18.*

ANNOTATIO.

92. In ius vocationem violentam quadantenus fuisse, manumque esse iniectam, negari nequit. *PLAVTVS: Aulularia. Actu 4. sc. 10.* *Iam quidem ad Praectorem, hercle, te rapiam:* pugnam fuisse, non crediderim. *Si caluitur, pedemque struit, manum endo iacito:* sic habuit lex XII. Tab. *FESTVS voc. struere.* Si nec tum sequebatur vocatus, *antestatio*, id est, testium aduocatio erat, & si testimonium defuisset, *obnagulatio*.

ANNOTATIO.

93. Nec tamen reo latitanti facultas data fuit eludendi ius aduersarii domestici carceris voluntaria hac patientia. Satisque poenae subire eum si non defendatur & latitet, certum est: quod mittitur aduersarius in bonorum possessionem eius. *L. 19. b.* (*L. 2. tit. 1. §. 4.*) *Paul. L. 1. ad Ed. L. 19.*

ARGUMENTVM.

94. Sed si aditum ad se praestet, aut ex publico conspiciatur, recte in ius vocari eum Iulianus ait: *L. 19. b.* manus iniunctionem puto cessasse, eamque vocationem e domo verbalem fuisse, qualis etiam illa fuit, quae ex publico fiebat ad fenestram, vel ad tectum aut ianuam.


ARGUMENTVM.

95. Vineae, balneum (publicum), theatrum deorum aliqua religione non erant veneranda: quare non solum e domo consentientis, Sed etiam a vinea, et balneo (publico, non priuato domus), et theatro nemo dubitat in ius vocare licere. *L. 20. b.* Sed et is, qui domi est, interdum vocari in ius potest: tamen de domo sua nemo extrahi debet. *L. 21. b.* *Caius L. 1. ad L. 12. Tab. L. 20. Paul. L. 1. ad Ed. L. 21.*

ANNOTATIO.

96. Videtur vinea pars domus fuisse. Ita enim in LL. XII. Tab. scriptum fuit:

fuit: *Tignum iunctum aedibus vineaeque concapes (vel concapu) ne soluito.* L. 1. §. 1. ff. *De tigno iuncto.* Concapes: explico: immissum, receptum; secundum NONIUM MARCELLUM *de proprietate serm. Cap. 4.* Pali in Vineae non iunguntur, non immittuntur, uti tignum in aedibus. Caeteroquin et tigni iuncti singulare ius propter venustatem urbis receptum fuit. In lege praecedenti et sequenti agitur de aedificiis urbanis: et theatrum balneumque urbana sunt: quid inter haec vineae, nisi et ipsa urbana quid est. Coniicio vineam fuisse id, quod VITRUVIUS *atrium* adpellat L. 6. c. 4. PERRAVLT vertit *vestibulum* quod, ipsum, atrium, cauedinem, fauces quoque dictum testatur. Hoc vestibulum superne tectum fuisse, Vitruvius ibidem innuit. *Altitudo*, inquit, *eorum (atriorum) quanta longitudo fuerit, quarta demta, sub traves extollatur: reliquum lacunariorum et arcae supra traves ratio habeatur.* Idem A. GELLIVS L. 16. c. 5. e Caecilio Gallo confirmat. *Qui Vestibulum esse dicit non in ipsis aedibus, neque partem aedium, sed locum ante ianuam domus vacuum, per quam a via aditus accessusque aedis est: quum dextra sinistraque ianuarum testa sunt viae iuncta, atque ipsa ianua procul via est arca vacanti interstita.* In tale vestibulum, quod Tertii Damionis erat se recepit Cicero, cum Clodii percussores ipsum inuaderent, *Ad Atticum. L. 4. Ep. 3.* Vestibulum hoc, siue atrium, sinus, prothyron, a similitudine vineae obfidionalis vineam dictam esse, verosimile est. Concordant etiam Libri Basilici, qui loco *vineae* habent *vestibulum*. Hoc vestibulum pars aedium non est, quare inde quis vocari potuit. Add. NONIUS MARCELLVS *de propr. Sermon. c. 1. voce: Vestibula.* Quid BYNKERSHOEK loci huius emendari debere credit vide L. 7. *Obs. Cap. 3.*



OBSERVATIO.

97. In foeminis sumnum pudorem, continentiam, verecundiam exigebant Romani, ita, vt ne quidem iuris colore, viris permissum fuerit matronas conrectare. Et ipsae dedecus reputarunt, publice in virorum coetu comparere. In ius ergo vocare matronam permissum non fuit, tangere manusque iniicere non licuit. VALERIVS *Max. L. 2. c. 1.* Praecipue ad Vestae virginis sacerdotium legebantur puellae, ad quarum animum ne quidem conscientia vel sensus rei obfoenae penetrauerat. Tenerae admodum aetatis capi solebant, cuius innocentia indubitata est, ne libidinis quidquam vel illecebrarum fomentum ad sacra virginalia adferrent. Nam et ipsa Vesta pudicitia et castitas dicta fuit: et impuberes *inuertes* appellati, quasi in Vesta, id est in pudicitia et castitate. NONIVS MARCELLVS *cap. 1.* Vestalis autem maior annis decem capi non poterat. A. GELLIVS *L. 1. cap. 12.* Patrimam esse oportebat et matrimam, id est, eam, cuius pater et mater adhuc esset in vitis: FESTVS: *V. Pater patrimus.* Adeoque oportebat eam esse in potestate aliena, GELLIVS *loco citato,* et quam matris quoque cura diligentius obseruasset.

ARGUMENTVM.

98. Neque impuberes puellas quae alieno iure subiectae essent, in ius vocare permissum est. *L. 22. pr. b.* Puellae intemeratae pudicitiae maiori sollicitudine conseruabantur, quod difficulter inuenirentur parentes, qui filias molesto virginitatis perpetuae oneri addicerent. SVETONIVS *in Augusto cap. 31.*

*Caius. L. 1. ad
L. 12. Tab.
L. 22.*

ARGUMENTVM.

99. Qui in ius vocatus est, duobus casibus dimittendus est: si quis eius personam defendet: (verbi causa: tutor vel possessor verus qui factum defendere paratus est) et si dum in ius venitur, de re transactum fuerit. *L. 22. §. 1. b.* Nam post transactionem controuersia non est. (*L. 1. tit. 19. §. 9.*)

§. 1.

ARGUMENTVM.

100. Communis libertus plurium patronorum singulorum beneficio libertatem adeptus est: igitur Communis libertus, licet plurium sit, debet a praetore petere, vt ei liceat vel quendam ex patronis (in ius) vocare: ne in poenam incidat ex edicto praetoris. *L. 23. b. (§. 42.)*

*Marcian. L. 3.
Inst.
L. 23.*

ANNOTATIO.

101. Libertus vniuersitatis vel ciuitatis singulos cines in ius vocare potest, (*L. 1. tit. 8. §. 47.*) quia non singulorum ciuium voluntate liber factus est, sed magistratus nomine ciuitatis, tanquam vnius personae mysticae. (*L. 1. tit. 8. §. 38.*)

ANNOTATIO.

102. In eum, qui aduersus ea fecerit, quinquaginta aureorum iudicium datur. *L. 24. b.*

*Vlp. L. 5. ad
Ed.
L. 24.*

ARGUMENTVM.

103. Iudicium hoc in factum eius datur, qui contra edictum vocat, quod factum

factum personale et physicum est, non civile. (L. 2. tit. 3. §. 6.) Consequenter tale est, Quod nec haeredi, nec in haerem, (non haeredi, quoniam in civilia saltem succedit, (L. 1. tit. 7. §. 75.) nec ultra annum datur. L. 24. b. Cum odiosa sint restringenda, (L. 1. tit. 1. §. 244.) et ipsa actio, tanquam praetoria sit praeter ius civile. (Ibid. §. 243.)

REGVLA.

104. Qui non habet in aere, luat in corpore.

ANNOTATIO.

Modest. L. 1.
de poen.
L. 25.

105. Si sine venia edicti impetrata, libertus patronum in ius vocaverit (si veniam petiit, sed hac negata a praetore, tamen vocarit) ex querela patroni vel supra dictam poenam, id est, quinquaginta aureos dat: (actionem) vel a praefecto vrbi, quasi inofficiosus castigatur, si inopia dignoscitur laborare. L. 25. b. (L. 1. tit. 12. §. 2.) Qui non habet in aere, luat in corpore. (§. 104.) Verba: *supra dictam poenam*: Tribonianus tribuit Bynkershoek *Obs.* L. 8. c. 20.

SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT:

SIVE QVIS EVM VOCAVERIT, QVEM EX

EDICTO NON DEBVERIT.

TITVLVS V

DEFINITIO.

1. Fideiussor idoneus vel locuples dicitur, per quem petitor vel creditor de iure suo securus redditur.

ARGVMENTVM.

2. Idoneus ergo non est, qui vt satisfaciat, cogi non potest.

ARGVMENTVM.

Vlp. L. 1. ad
Ed.
L. 1.

3. Si quis in ius vocatus, fideiussorem dederit in iudicio sistendi causa, non suppositum iurisdictioni illius, ad quem vocatur, pro non dato fideiussor haberetur. L. 1. b. Inidoneus enim et nullus in effectu ideim sunt, Inidoneus autem est, quia ab eo magistratu cogi nequit, apud quem sistere promiserat.

ANNOTATIO.

4. Nisi suo privilegio specialiter renunciauerit. L. 1. b. quo ipso iurisdictionem prorogatam ad se ampliauit. (L. 2. tit. 1. §. 63.)

ARGVMENTVM.

Paul. L. 1. ad
Ed.
L. 2.

5. Culpa lata est, officium et debitum scire nolle, (L. 1. tit. 1. §. 77.) ergo Ex quacunque causa ad praetorem vel alios, qui iurisdictioni praesunt, in ius vocatus venire debet, vt hoc ipsum sciatur, an iurisdictione eius sit. L. 2. pr. b.

ARGV-

ARGUMENTVM.

6. Iusta causa excusat a dolo (L. 1. tit. 1. §. 73.) Itaque, Si quis in ius vocatus non ierit, ex causa (dolosae contumaciae) a competenti iudice multa pro iurisdictione iudicis damnabitur. (in eam summam, quam ex iurisdictione mandata in potestatem accepit. (L. 2. tit. 1. §. 44.) Rusticitati enim hominis parcendum erit. Item, si nihil intersit actoris eo tempore in ius aduersarium venisse, (si nihil profuisset actori) remittit praetor poenam: puta, quia feriatuſ diés fuit. L. 2. §. 1. b. Venire enim recusavit, non quia contumax erat, sed quoniam inutile erat venire.

DEFINITIO.

7. Iudex competens dicitur, qui potestatem in personam et causam habet.

DEFINITIO.

8. Rusticitas est intemperies morum et actionum, cum opinione boni facti, per vitae rusticae consuetudinem contracta.

ANNOTATIO.

9. Nihil actoris interest, eo tempore non venisse vocatum, quo vocari et venire, frustraneum erat. Quanquam ergo tempore interiisset actio, vel res petenda vsucapta fuisset, ex facto rei non intererat petitoris, sed ex fato, quod forte feriae repentinae incidissent.

DEFINITIO.

10. Poena conventionalis est quantitas certa conuenta ab eo promissa, qui alterum incerto damno affecerit.

ARGUMENTVM.

11. Cum quis in iudicio fisci promiserit, neque adiecerit poenam, si status non esset: incerti cum eo agendum esse in id quod inter est, verisimum est. Et ita Celsus quoque scribit. L. 3. b. (L. 2. tit. 3. §. 17. 18.) Vlp. L. 47. ad Sab. L. 3.

ANNOTATIO.

12. Praesentem actionem et eam, quae supra (L. 2. tit. 3.) proponitur, e §. 20. dicti tituli 3. facile distinguere licet. Ibi in factum agitur, hic in damnum.



IN IVS VOCATI VT EANT, AVT SATIS VEL CAVTVM DENT.

TITVLVS VI.

D E F I N I T I O.

1. *Necessarii* sunt, qui sanguinis cognatione aut similitudine cognationis iuncti sunt, et qui propter summum beneficium his comparantur. (L. 1. tit. 7. §. 87.) 46.)

A N N O T A T I O.

2. Ita *Festus* definit voc. *Necessarii*. *Necessarii* sunt, vt *Gallus Aelius* ait, qui aut cognati aut affines sunt, in quos necessaria officia conferuntur praeter caeteros.

A R G V M E N T V M.

3. Officia, quae non coniunctis ex obligatione imperfecta et ex debito saltem congruentiae debentur, ea cognatis ex necessitate exhibenda sunt: vt, remissio summi rigoris, indulgentia, conuiuentia, &c. (§. 2.)

A R G V M E N T V M.

Paul. L. 1. ad Ed. L. 1. 4. Edicto cauetur, vt fideiussor iudicii sistendi causa datus, pro rei qualitate locuples detur (ne cautum non sit. (L. 2. tit. 5. §. 3.) exceptis necessariis personis, ibi enim qualemcumque accipi iubet: veluti pro parente, patrono L. 1. b. (§. 3.) Item pro patrona liberisue suis, vel vxore, nuraue: tunc enim qualiscunque accipi iubetur. L. 2. b.

A N N O T A T I O.

Callistr. L. 1. ad Ed. mon. L. 2. 5. Et in eum, qui non acceperit, cum sciret eam necessitudinem personarum, quinquaginta aureorum iudicium competit. L. 2. b.

A N N O T A T I O.

6. Excipitur hic error ignorantis necessitudinem, qui excusat. (L. 1. tit. 1. §. 73.)

A N N O T A T I O.

Paul. L. 4. ad Ed. L. 3. 7. Quoniam pro locuplete accipitur fideiussor in necessariis personis. L. 3. b. per remissionem rigoris in coniunctis obseruandum. (§. 3.)

R E G V L A.

8. In negotio stricti iuris id sequendum quod actum est.

A R G V M E N T V M.

Vlp. L. 58. ad Ed. L. 4. 9. Qui duos homines in iudicio sisti promisit, si alterum exhibet, alterum non, ex promissione non videtur eos sistisse: cum altereorum non sit exhibitus. L. 4. b. Id enim actum est, vt duo exhiberentur.

A N N O T A T I O.

10. Non stetit iudicio, qui alium sistere promisit. Non stetit iudicio reus, qui stare promiserat in comprehendendum. A. GELLIVS L. 2. c. 14. CICERO pro *Quintio*: stetit: habet.

NE

* * * * *

NE QVIS EVM, QVI IN IUS VOCABITVR, VI EXIMAT.

TITVLVS VII.

ANNO TATIO.

1. Hoc edictum praetor proposuit, vt metu poenae compesceret eos, qui in ius vocatos vi eripiunt. *L. 1. pr. b.* *Vlp. L. 5. ad Ed.*

POSITIO.

2. Denique Pomponius scribit, serui quoque nomine noxale iudicium reddendum. *L. 1. §. 1. b.* *L. 1. §. 1.*

PROBATIO.

Quando seruus vocatum vi eximit, facto suo vocanti iniuriam vel etiam damnum infert, dum actio tempore perit. (*L. 1. tit. 1. §. 119.*) cum autem actio noxalis competat etiam ex laesione serui (*L. 2. tit. 1. §. 35.*) idcirco serui quoque nomine noxale iudicium datur, si vocatum aliquem vi exemerit.

DEFINITIO.

3. Poena est malum subordinatum delicto vel facto, quod patiatur is, qui contra ius facit.

POSITIO.

4. Nisi sciente domino id fecit, tunc enim sine noxae deditioe iudicium suscipiet. *L. 1. §. 1. b.*

PROBATIO.

Quando seruus sciente domino vocatum exemit, dominus instrumentum admittit, cum esset in sua potestate idem prohibere: et ipse exemisse videtur (*L. 1. tit. 1. §. 41.*) noxae vero deditio non permittitur, si res alicuius non laesit (*L. 2. tit. 1. §. 31. sequ.*) ipse autem laedens actione poenali tenetur (*Ibid. §. 29.*) Ergo in casu proposito dominus sine noxae deditioe iudicium suscipere tenetur.

REGVLA.

5. Iniuria esse nequit, quod iniuriae repugnat.

ARGVMENTVM.

6. Quoniam patroni, parentes similesque personae sine venia praetoris iniuria in ius vocantur (*L. 1. tit. 4. §. 11.*) per iniuriam non eximuntur (*§. 5.*) Quare Ofilius putat, locum huic edicto non esse, si persona, quae in ius vocari non potuit, exempta est: veluti parens, et patronus caeteraeque personae. Quae sententia mihi videtur verior. Et sane, si deliquit qui vocat, non deliquit, qui exemit. *L. 1. §. 2. b.* *§. 2.*

DEFINITIO.

7. Vis est, quod manu et via facti contra ius fit in alium nolentem, dum non deficit via iuris.

ANNOTATIO.

Paul. L. 4. ad
Ed.

L. 2.

8. Nam cum vterque contra edictum faciat, et libertus, qui patronum vocat, et is, qui patronum vi eximat: deteriore tamen loco libertus est, qui in simili delicto petitoris partes sustinet. (qui ex iniuria sua ius et actionem sibi petit. (L. 1. tit. 1. §. 318.) Eadem aequitas est in eo, qui alio, quam quo debuerat, in ius vocabatur. Sed et fortius dicendum est, non videri vi eximi eum, cui sit ius, ibi non conueniri. L. 2. b.

ANNOTATIO.

9. Aequitas hic loci dicitur, quia per rerum naturam consequens est vt, qui iure non habetur pro vocato, iure non possit haberi pro eo, qui vi exemptus sit. (L. 2. tit. 2. §. 1.)

ARGUMENTVM.

10. Quia seruus non est liber, ideo ciuis non est, (L. 1. tit. 5. §. 44.) id est iure ciuili nullus, et personam standi in iudicio non habet. (L. 1. tit. 1. §. 195.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 5. ad
Ed.

L. 3.

11. Quodsi seruum quis exemerit in ius vocatum, Pedius putat cessare edictum: quoniam non fuit persona, quae in ius vocari potuit. L. 3. pr. b. (L. 2. tit. 5. §. 6.)

DEFINITIO.

12. Actio ad exhibendum est postulatio eius, cuius interest, rem in pristina causa sisti, contra eum, qui facit, quo minus adpareat.

ARGUMENTVM.

13. Interest petitoris seruum apparere, vt noxalem actionem instituere possit: fecit eximens, vt minus appareat: actio ex hoc edicto non datur. (§. 11.) Quid ergo? ad exhibendum erit agendum. L. 3. pr. b.

ARGUMENTVM.

14. Quia non in ius vocat, qui ad pedaneum iudicem vocat: si quidem ius hoc loco tribunal magistratus est, qui iurisdictionem habet, (L. 1. tit. 1. §. 347.) Ergo: Si quis ad pedaneum iudicem vocatum (quem) eximit, poena eius edicti cessabit. L. 3. §. 1. b. Poenalia enim stricte interpretamur. (L. 1. tit. 1. §. 244.)

ANNOTATIO.

§. 2.

15. Quod praetor praecipit: vi eximat: (vi) an et dolo malo? sufficit vi, quamuis dolus malus cesset. L. 3. §. 2. b. Nam verbis hic stricte inhaerendum (§. 14.) Potest autem vis fieri contra edictum sine dolo malo, quando quis aduersarium, quem vocare proposuerat, ab alio vocante iam occupatum offendit, cumque ad praetorem ipse rapit, et adeo priori vocanti vi eximit. Equidem hoc non facit, vt per iniuriam vocatum liberet, et vocantem reo priuet, sed sibi solum prodesse cupit: contra edictum tamen facit.

ARGUMENTVM.

Paul. L. 1. ad
Ed.

L. 4.

16. Sed eximendi verbum generale est, vt Pomponius ait. Eripere enim est, de manus auferre per raptum: eximere, quoquo modo auferre: (hic accipitur) vt puta, si quis non rapuerit quem, sed moram fecerit,

vt

vt actionis dies exiret, vel res tempore amitteretur, videbitur exemisse: quamvis corpus non exemerit: sed & si eo loci retinuerit, constat eum hoc edicto teneri. *L. 4. pr. b.* Eximit enim, qui potestatem adimit in ius ducendi reum. (*L. 1. tit. 1. §. 246.*) Non laeditur stricta edicti interpretatio, (§. 14.) quoniam vis verbi ea quoque complectitur.

DEFINITIO.

17. Calumnia est ditis iniustae dolo malo facta intentio: aliaue aduersarii iniqua vexatio, obtentu iuris facta.

ARGUMENTVM.

18. Item, si quis eum, qui per calumniam vocabatur, exemerit, constat eum hoc edicto teneri. *L. 4. §. 1. b.* Videlicet huius par ratio non est, cum parentibus et patronis, quorum cum vocatio nulla sit, etiam exemptio nulla est. (§. 9.) Hic ergo non attenditur vocatio iniusta, nam et haec vocatio est, sed nulla et iure vetita.

§. 1.

ARGUMENTVM.

19. Praetor ait: Neue faciat dolo malo, quo magis eximeretur. *L. 4. §. 2. b.* Qui facit vt eximatur reus, vim ipse non infert, ergo ex verbis edicti de vi (§. 15.) non tenetur. Oportuit ergo praetorem dolum eius coërcere, qui per alios fecit: nam instigatio imputatur instiganti. (*L. 1. tit. 1. §. 74.*)

§. 2.

ANNOTATIO.

20. Nam potest sine dolo malo id fieri: veluti, cum iusta causa est exemptionis. *L. 4. §. 2.* Si diem feriatum, praetorem absentem vel aegrotum, vocatum patronum vel necessarium, vel seruum, magistratum non competentem persuaserit, sicque effecerit, vt ab aliis eximatur. Haec iustae exemptionis causae sunt. (§. 6. 8. 11.)

ANNOTATIO.

21. Edictum praetoris ita compositum videtur: Ne quis eum, qui in ius vocabitur, vi eximat: neue faciat dolo malo, quo magis eximeretur.

ARGUMENTVM.

22. Si per alium quis exemerit, (dolo malo) hac clausula (§. 19.) tenetur: siue praesens fuit, siue absens. *L. 5. pr. b.* siue praesens instigauit, siue absens instruxit. (§. 19.)

Vlp. *L. 5. ad Ed. L. 5.*

DEFINITIO.

23. Actio in factum est postulatio laesi, contra eum, qui cum damno illius facti sui lucrum tenet.

ARGUMENTVM.

24. In eum autem, qui vi exemit, in factum iudicium datur; *L. 5. §. 1. b.* Eripuit enim vocanti iudicium, cuius facti lucrum tenet. (*L. 2. tit. 1. §. 33.*) §. 23.)

§. 1.

DEFINITIO.

25. Iuramentum in litem est religiosa aestimatio damni, quod dolo rei passus est, in poenam doli actori permessa.

A R G V M E N T V M.

26. Quo non id continetur, quod in veritate est, sed quanti ea res est ab actore aestimata, de qua controversia est. *L. 5. §. 1. b.* Quoniam violenta exemptio propterea dolosa est, quia contra edictum fit: licet aliquando dolosa non est, dum iniuriam vocantis non intendit. (§. 15.) Confer. (§. 33.) infra.

A R G V M E N T V M.

27. Hoc enim additum est, ut appareat, etiam si calumniator quis sit, tamen hanc poenam eum persequi: *L. 5. §. 1. b.* Calumniatori iudicium ereptum est: Eximens autem tenet lucrum facti licentiosi contra ius et edictum. Damnum proinde iuramento in litem aestimabit ipse calumniator.

A R G V M E N T V M.

§. 2. 28. Docere autem debet quis (qui agit ex edicto) per hanc exemptionem factum, quo minus in ius produceretur: caeterum, si nihilominus productus est, cessat poena: quoniam verba cum effectu sunt accipienda. *L. 5. §. 2. b.* (*L. 2. tit. 4. §. 78.*)

A R G V M E N T V M.

29. Hoc iudicium in factum est, (§. 24.) et si plures deliquerint, in singulos dabitur: (*L. 2. tit. 1. §. 30. 38.*) *L. 5. §. 3. b.* Nam actio factum et dolum persequitur, non rem, iniuriam vindicat, damnum non quaerit. (*L. 2. tit. 1. §. 40.*)

D E F I N I T I O.

30. Liberatio est obligationis per satisfactionem vel remissionem facta deletio.

A R G V M E N T V M.

31. Debitum vocati exempti non deletur, solvete eximente poenam suam; quia poena ob solum factum penditur (§. 3.) rem non restituit. (§. 29.)

P O S I T I O.

§. 3. 32. Et nihilominus manet, qui exemptus est, obligatus. *L. 5. §. 3. b.*

P R O B A T I O.

Obligationi exempti non satis fit, dum eximens poenam suam solvit, (§. 31.) adeoque exemptus non liberatur. (§. 30.) Certum autem est, eum manere obligatum, qui non liberatur: quare poenam suam solvete eximente, nihilominus, qui exemptus est, manet obligatus.

O B S E R V A T I O.

33. Factum, quo quis lucrum sibi quaerit, interdum praegnans est. Simul enim et libertas laesi contra ius imminuitur, et bona quoque laeduntur. Quando quis vocatum in ius vi eximit, vno facto iniuriam infert et bonis nocet, si actio tempore perimatur, aut reus post hac solvendo esse desierit, aut bona eius publicata fuerint: vel simile quid acciderit. Si vocanti cum reo exempto iudicium integrum est, si suum ab hoc consequi potest, damnum rei per exemptionem amissae contra eximentem persequi nequit: nam ipse idem bis consequere-

sequeretur et iniquum caperet lucrum: ergo actione in factum ad solam poenam agit (§. 26.) Si vero iniuriam facti passus non est, sed detrimentum rei, id est, quando eius interest, tum eadem actio in factum ad damni reparationem tendit. (§. 23.) Damnum tamen iuramento in litem etiam comprehenditur.

POSITIO.

34. Haeredibus autem ita dabitur, (actio in factum) si eorum interfit. *L. 5. §. 4. b.* §. 4.

PROBATIO.

Haeredibus actio in factum non datur, quatenus iniuriae persecutionem continet. (L. 2. tit. 4. §. 103.) Non autem datur, nisi ob iniuriam illatam vel bona laesa (§. 33.), restat ergo ut haeredibus ita deum detur, si eorum interfit; id est, si factio bonis nocitum sit.

ARGUMENTVM.

35. Quia iudicium hoc in factum poenale est, (§. 1.) haeredes litem iuramento aestimabunt. (§. 26.)

ARGUMENTVM.

36. Neque autem in haerem, neque post annum dabitur. *L. 5. §. 4. b.* (L. 2. tit. 4. §. 103.)

ANNOTATIO.

37. Is, qui debitorem vi exemit, si soluerit (quanti in litem iuratum fuit, (§. 26.) id quod ipsum debitum exaequare vel etiam excedere potest) reum non liberat: quia poenam suam soluit. *Idem L. 35. ad Ed. L. 6.*
L. 6. b. (§. 32.)

QVI SATISDARE COGANTVR, VEL IVRATO
PROMITTANT, VEL SVAE PROMISSIONI
COMMITTANTVR.

TITVLVS VIII.

ANNOTATIO.

1. Satisfactio eodem modo appellata est, quo satisfactio. Nam ut satisfacere dicimur ei, cuius desiderium implemus: ita satisfacere dicimur aduersario nostro, qui pro eo, quod a nobis petit, ita cauit, ut eum hoc nomine securum faciamus datis fideiussoribus. *Caius L. 5. ad Ed. prou. L. 1.* *L. 1. b.* (L. 1. tit. 7. §. 64.)

ARGUMENTVM.

2. Quia fideiussor ius tutum non efficit, si conueniri nequit, ut pro reo satisfaciatur: ideo fideiussor in iudicio sistendi causa locuples videtur dari, non tantum ex facultatibus, sed etiam ex conueniendi facilitate. *Vlp. L. 5. ad Ed. L. 2.* *L. 2. pr. b.* (L. 2. tit. 5. §. 3.)

ARGV-

ARGUMENTVM.

- §. 1. 3. Si quis his personis, quae agere non potuerunt, fideiussorem iudicio sistendi causa dederit, frustra erit datio. *L. 2. §. 1. b.* Ad iudicium quod non est, fideiussor dari non potest. (*L. 1. tit. 1. §. 216.*)

ANNOTATIO.

- §. 2. 4. Praetor ait: Si quis parentem, patronum, patronam, liberos, aut parentes patroni, patronae liberosue suos, eumque quem in potestate habebit, vel uxorem vel nurum in iudicium vocabit: qualiscunque fideiussor iudicio sistendi causa accipietur. *L. 2. §. 2. b.* (*L. 2. tit. 6. §. 3. sequ.*).

ANNOTATIO.

- §. 3. 5. Quod ait praetor: liberosue suos: accipiemus et ex foeminino sexu descendentes liberos: parentique dabimus hoc beneficium non solum sui iuris, sed etiam, si in potestate sit alicuius: hoc enim Pomponius scribit. *L. 2. §. 3. b.* (*L. 2. tit. 4. §. 12. 68. 59.*)

ARGUMENTVM.

6. Et filius fideiussor pro patre fieri potest, etiam si in alterius potestate sit. (per quod sine iussu patris adoptiui minus idonee cauere potest. (*L. 1. tit. 1. §. 29.*)). Nurum etiam, pronurum et deinceps accipere debemus. *L. 2. §. 3. b.* (*L. 2. tit. 6. §. 7.*)

ANNOTATIO.

- §. 4. 7. Quod ait praetor: Qualiscunque fideiussor accipiat: (§. 4.) hoc quantum ad facultates, etiam non locuples. *L. 2. §. 4. b.* Non quantum ad impotentiam conueniendi: quia tum nulla fideiussio videtur. (§. 2.)

ARGUMENTVM.

8. Quando fideiussor non stitit reum, quem iudicio sistere promiserat, facti lucrum contra ius et obligationem tenet; atque ita actione in factum conuenitur. An ergo ad iniuriam vindicandam? Praetor de fideiussore nihil edixit, nec contumeliosa iniuria illata est vocanti, ideo poenalis in factum actio non dabitur. Praeter hanc autem ad aliud non competit eadem in factum actio, quam ad id quod reuera actoris interest, vocatum statum non esse, (§. 33.) ergo ad hoc saltem dabitur: nec actori permittetur litem iuramento aestimare, cum dolo aperto contra edictum non peccauerit fideiussor. Praeterea fideiussoris qualitas non patitur ipsum amplius conuenire, quam principalem debitorem. (*L. 2. tit. 2. §. 16.*) Ita intelligo textum: In fideiussorem; qui aliquem iudicio sisti promiserit, tanti, quanti ea res est, actionem dat praetor. Quod vtrum veritatem (id quod ipsa re actoris interest) contineat, an vero quantitatem, (incertam, litis aestimatione in poenam taxandam) videamus. Et melius est, vt in veram quantitatem fideiussor teneatur. *L. 2. §. 5. b.*

ANNOTATIO.

9. Ergo actor non incerti aget, sed certi. (*L. 2. tit. 3. §. 16. 17.*) Id est, quantum damnatum ex eo capiat, quod reus non stiterit, liquido in iudicium deducet.

ARGV-

ARGUMENTVM.

10. Nisi pro certa quantitate (excedente id quod actoris veritate interest) accessit. *L. 2. §. 5. b.* Sequendum enim hic quod actum. (*L. 2. tit. 7. §. 8.*)

ANNOTATIO.

11. Quaedam actiones in duplum, triplum et quadruplum dantur: de quibus suo loco agendum erit: Eapropter, siue in duplum est actio, siue tripli aut quadrupli, tanti eundem fideiussorem omni modo tenere dicemus, quia tanti res esse intelligitur. *L. 3. b.*

Caj. L. 1. ad Ed. prou. L. 5.

OBSERVATIO.

12. Mortuus pro nullo est et pro eo, qui prorsus non est. **SENECA:** *Mors est non esse.*

POSITIO.

13. Si decefferit qui fideiussorem dederit iudicio sistendi causa: non debet praetor iubere exhibere eum. *L. 4. b.*

Paul. L. 4. ad Ed. L. 4.

PROBATIO.

Qui mortuus est, plane non est (§. 12.) et impossibile est eum exhibere: neque in poenam exhibitio irrogari poterit fideiussori, qui non fecit, quominus sit vel appareat quem iudicio sistere promisit. (*L. 1. tit. 1. §. 84.*) (*L. 2. tit. 7. §. 12.*) Consequens adeo est, ut fideiussor ad exhibendum reum, sine culpa sua mortuum, non obligetur. (*L. 1. tit. 1. §. 204.*) At praetor non iure coegeret eum exhibere, qui ad exhibendum non obligatur. (*L. 1. tit. 5. §. 54.*) Proinde nec fideiussorem iubere debet exhibere eum, quem iudicio sistere promisit, si is deceffit.

ARGUMENTVM.

14. Quod si ignorans (reum deceffisse) iusserit exhiberi, vel post decretum eius ante diem exhibitionis (ad exhibendum praestituto, id est, ante moram) decefferit, deneganda erit actio. *L. 4. b.* Nam qui in id ageret, quod non sistendo fideiussor ius dicenti non obtinuerasset (*L. 2. tit. 3. §. 20*) ex nullo iure ageret, videlicet errantis praetoris decretum non datur, (*L. 1. tit. 1. §. 55.*) et altero casu in eam causam incidit, unde incipere non poterat decretum, et iterum nullum vel irritum est. (*L. 2. tit. 1. §. 51.*)

ARGUMENTVM.

15. Si autem post diem exhibitionis decefferit (quando statuta die fideiussor non exhibuit) aut amiserit ciuitatem, (*L. 2. tit. 4. §. 63.*) qui ciuilitate mortuus erat) vtiliter agi potest. *L. 4. b.* Non enim stitit eum, quem sistere poterat: et mora euentum informauit, quo actionem amisit stipulator. (*L. 1. tit. 1. §. 84.*)

ANNOTATIO.

16. Si vero pro condemnato fideiussor, et condemnatus decefferit, aut ciuitatem Romanam amiserit: recte nihilominus cum fideiussore agitur. *L. 5. pr. b.* Quoniam tunc in debitum succedit quod manet, licet principalis debitor mortuus aut deportatus sit. (*L. 2. tit. 2. §. 16.*) Impossibile

Caj. L. 1. ad Ed. prou. L. 5.

non est pro mortuo soluere, vti impossibile est, mortuum in iudicio sistere. (§. 13.)

DEFINITIO.

17. Actio iniuriarum est persecutio libertatis imminutae, aut existimationis et dignitatis per contumeliam laesae.

ARGUMENTVM.

§. 1. 18. Qui pro rei qualitate evidentissime locupletem, vel, si dubitetur, adprobatum (forte apud officium (L. 2. tit. 4. §. 88.) fideiussorem iudicii sistendi causa non acceperit, iniuriarum actio aduersus eum esse potest: quia sane non quaelibet (non vulgaris et leuis) iniuria est, duci in ius eum, qui satis idoneam fideiussorem det. L. 5. §. 1. b. (§. 17.)

ARGUMENTVM.

19. Iniuriam facit qui existimationem alicuius spernit (§. 17.) ergo non tantum vocatus, Sed et ipse fideiussor, qui non sit acceptus, tanquam de iniuria sibi facta queri poterit. L. 5. §. 1. b.

POSITIO.

Paul. L. 12. ad Ed. L. 6. 20. Quotiens vitiose cautum vel satisdatum est, non videtur cautum. L. 6. b.

PROBATIO.

Tam cautio, quam satisdatio per fideiussores tertium quendam de iure suo securum reddere debent: (L. 1. tit. 7. §. 64.) dum autem nulla cautio interposita est; tertius de iure suo securus non est, neque magis, si vitiose cautum est. Propterea his paribus, plane cautum non est, quando vitiose cautum fuit.

ANNOTATIO.

Vlp. L. 14. ad Ed. L. 7. 21. Si fideiussor negetur idoneus, (pro rei qualitate quae in iudicium deducitur) sed dicatur habere fori praescriptionem, (§. 2.) et metuat petitor, ne iure fori vtatur: videndum, quid iuris sit. Et diuus Pius, vt et Pomponius libro Epistolarum refert, et Marcellus libro 3. Digestorum et Papinianus libro 3. Quaestionum, Cornelio Proculo rescripsit, merito petitorum recusare talem fideiussorem. (§. 2.) Sed si alias cauere non possit, praedicendum ei; non vsurum eum priuilegio, si conueniatur. L. 7. pr. b. Vt adeo renunciet priuilegio et exceptioni fori. (L. 2. tit. 5. §. 4.)

DEFINITIO.

22. Onus est molestia, sine merito suo alicui iure imposita, vel ex reciproca commodi desiderabilis consequens.

REGVLA.

23. Indulgendum est ei aliquid, qui onus sine facto meritoque suo sentit.

POSITIO.

§. 1. 24. Si necessaria satisdatio fuerit, et non facile possit reus ibi eam praestare, vbi conuenitur: potest audiri, si in alia eiusdem prouinciae ciuitate satisdationem praestare paratus sit. L. 7. §. 1. b.

PROBA-

PROBATIO.

Qui non sponte oneratur, is onus sine facto suo sentit (§. 20.) et meretur indulgentiam, (§. 21.) oneratur autem inuitus, qui satisfactionem solo iussu legis praestare cogitur, uti fideiussor necessarius: huic igitur indulgendum, ut in alia eiusdem ciuitatis prouincia, quam in qua conuenitur, satisfactionem praestet.

ANNOTATIO.

25. Hoc eo facilius admitti potest, quia eidem Praefidi subiectus est Fideiussionis necessariae exempla vide infra (§. 49.)

ANNOTATIO.

26. Si autem satisfactio voluntaria est, non in alium locum remittitur, (ut ibi eam praestet) neque enim meretur qui ipse sibi necessitatem satisfactionis imposuit. *L. 7. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

27. Si satisfactum pro re mobili non sit, et persona suspecta sit, ex qua satis desideratur, apud officium (*L. 2. tit. 4. §. 88.*) deponi debet, si hoc iudici sederit, donec vel satisfactio detur, vel lis finem accipiat. *L. 7. §. 2. b.* Nam res ipsa satis cauet.

§. 2.

ARGUMENTVM.

28. De die ponenda in satisfactione solet inter litigatores conuenire: si non conueniat, Pedius putat in potestate stipulatoris esse, (huius enim est, de iure suo remittere: (*L. 1. tit. 1. §. 199.*) debitori non conuenit debito suo modum ponere. (*L. 1. tit. 7. §. 56.*) moderato spatio de hoc a iudice statuendo. *L. 8. pr. b.* qui postulationes litigantium ex iusto et aequo ponderat. (*L. 1. tit. 9. §. 6.*)

Paul. L. 14. ad Ed. L. 8.

ANNOTATIO.

29. Perperam ex hoc textu generaliter inferunt, quod in praeparatoriis iudicii auctor fauorabilior sit reo. Etenim inde regula sic formanda est: Cuius iuri ob humanitatem detrahitur, eius partes sunt fauorabiliores.

DEFINITIO.

30. Auctoritas est principium in agente, quo actiones eius ciuiles, propter statum, consilium maturum et grauitatem, valide subsistunt.

OBSERVATIO.

31. Foeminis consilium infirmius, licet temerarium, est. Ea de causa in parentum, fratrum, maritorum manu et tutela erant. *LIVIVS. L. 34. c. 1. sequ.* Lex Attilia Romae iubebat mulieribus non habentibus tutores, a praetore dari: idem lex Iulia in prouinciis praesidibus iniungebat. *VLPIANVS tit. 11. §. 18. et §. 27.* Mulieribus necessaria est auctoritas tutoris, si lege aut legitimo iudicio agant, si se obligent, si ciuile negotium gerant. Igitur dos sine auctore tutore mulieris dicta vel data nulla erat. *CICERO pro Flacco* et quod mulier sine tutore auctore promiserat, non debebatur. *Idem pro Caecina.*

DEFINITIO.

32. Intercedere est alienae obligationi se subiicere.

ARGUMENTVM.

33. Auctoritate et vi valide negotium ciuile agendi, pollere necesse est

eum, qui alienae obligationi se subiicit: alias non conficit intercessio. (§. 28.) Ergo foeminae valide intercedere non potuerunt.

A N N O T A T I O.

34. Tutela perpetua foeminarum sensum desit, cum principes suis abblan-
direntur. Nam Caesar Pannonia subacta Romam redux Octaviae et Liuiiae sta-
tuas dedit, *utque sine tutore suis facultatibus uterentur* concessit. DION. L. 49.
Constantinus M. foeminis in omnibus negotiis tale ius habere indulgit, quale
mares. L. 2. §. 1. C. *De his, qui ven. aetatis impetr.* quo veniam sexus mulie-
ribus largitus est.

A R G V M E N T V M.

§. 1.

35. Qui mulierem adhibet ad satisfaciendum, non videtur cauere.
L. 8. §. 1. b.

D E F I N I T I O.

36. Restitutio in integrum est gestionis priuatae, summo iure contra ae-
quitatem nocentis abolitio.

O B S E R V A T I O.

37. Aetas 25 annis minor consilii nondum satis firmati censetur, nec eius
prudencia sat matura.

A R G V M E N T V M.

38. Minori ergo aetati gestione laesae per restitutionem in integrum suc-
curritur.

O B S E R V A T I O.

39. Interest reipublicae, milites semper esse expeditos, et quasi in pro-
cinctu, nec alienis negotiis implicari. L. 31. C. *De locato.*

A R G V M E N T V M.

40. Quoniam miles prohibetur aliena priuata agere, ut liberius reipublicae
vacet: (§. 39.) nec miles nec minor 25 annis (fideiussores dati) probandi
sunt. L. 8. §. 1. b. His enim fideiussoribus cautum non est.

A R G V M E N T V M.

41. Nisi hae personae in rem suam fideiubeant: ut pro suo procura-
tore. L. 8. §. 1. b. Tum alienae obligationi se non subiiciunt. (L. 2.
tit. 2. §. 14.)

A R G V M E N T V M.

42. Maritus bonorum dotalium dominium ciuile habet, vxor naturale.
Huius respectu iuris vxorii vicarius est: vnde Quidam (affirmant) etiam, si a
marito fundus dotalis petatur, (et vxor pro eo satisfacet iudicio fisci) in rem
suam fideiussuram mulierem. L. 8. §. 1. b.

A R G V M E N T V M.

§. 2.

43. Si seruus inueniatur, qui antequam iudicium accipiatur fideiussit
iudicatum solui, succurrendum est actori, ut ex integro caueatur. L. 8.
§. 2. b. Quia seruus iure ciuili nullus est, (L. 2. tit. 7. §. 10.) perque eum cau-
tum non fit.

A N N O T A T I O.

44. Casum ponere oportet, quod seruus pro procuratore quem constitue-
rat, cauerit iudicatum solui.

ANNO-

ANNOTATIO.

45. Minori quoque 25 annis succurrendum est (§. 36.) fortasse et mulieri, propter imperitiam. *L. 8. §. 2. b.* Si non idoneum fideiussorem acceperunt.

ARGUMENTVM.

46. Oportet fideiussorem fieri debitorem stipulatoris (*L. 2. tit. 2. §. 16.*) quando igitur desinit esse debitor, fideiussio expirat.

ARGUMENTVM.

47. Quando fideiussor fit haeres stipulatoris, succedit in eius personam civilem, (*L. 1. tit. 7. §. 75.*) et viceversa: quare uterque utroque casu se sibi obligatum haberet, quod absurdum. (*L. 1. tit. 1. §. 200.*)

POSITIO.

48. Si fideiussor iudicatum solui stipulatori haeres extiterit, aut stipulator fideiussori: ex integro cauendum erit. *L. 8. §. 3. b.*

§. 2.

PROBATIO.

Quando fideiussor stipulatori, aut stipulator fideiussori existit haeres sibi ipsi debitor fit iudicatum solui, et debitum ex fideiussione expirat (§. 45.) et stipulatori iam cautum non est: ergo ex integro cauendum erit.

OBSERVATIO.

49. Lege satisdare coguntur tutor et curator: rem pupilli vel adolescentis saluam fore *tit. ff. Rem pupilli vel adol. fructuarius: Tit. ff. usufruct. quemadm. cau.* Legatarius, de restituendo legato, si haereditas euicta fuerit, *L. 6. ff. De haered. petit.* aut si plus, quam per *L. Falcidiam* debetur, solutum sit. *L. 8. ff. Si cui plus quam per L. Falc.* Haeres satisdare iubetur legatorum solutorum nomine. *Tit. ff. Ut legator. vel fideicomm. causa cau.* Sub conditione institutus de haereditate restituenda, si conditio defecerit. *L. 12. ff. b. t.*

ARGUMENTVM.

50. Tutor et curator, (in prouincia datus) vt rem saluam fore pupillo caueant, mittendi sunt in municipio: quia necessaria est satisfactio (§. 24.) Item, de re restituenda domino proprietatis, cuius usufructus datus est: item legatarius vt caueat, euicta haereditate legata reddi, et quod amplius per legem Falcidiam ceperit. Haeres quoque, vt legatorum satisfactus audiendus est, vt in municipium mittatur. *L. 8. §. 4. b.*

§. 4.

ARGUMENTVM.

51. Plane, si misso iam legatario in possessionem, cum per heredem stare, quo minus caueret: haeres postulet, vti de possessione decedat, (quasi praetor in possessionem misisset, vt cogeret cauere haeres, (*L. 2. tit. 1. §. 4.*) paratumque se dicat, in municipio cauere: impetrare non debet. *L. 8. §. 4. b.* Nam praetor contumacem hic non cogit, sed rei possessione legatario cauet: quare nec opus est cautione alia, nec ad hoc redire debet haeres, quod repudiavit. (*L. 2. tit. 1. §. 4.*) *L. 1. tit. 7. §. 92.*)

ANNOTATIO.

52. Diuersum, si sine culpa aut dolo haeredis missus sit in possessionem. *L. 8. §. 4. b. (§. 51.)*

DEFINITIO.

53. Iuramentum calumniae est religiosa testatio, quod quis proba opinione bonae causae iure suo utatur, non vexandi aduersarii intentione.

ARGUMENTVM.

§. 5. 54. Iubetur iurare de calumnia: ne quis vexandi magis aduersarii causa, forsitan, cum Romae possit satisfacere, in municipium euocet. *L. 8. §. 5. b.*

ARGUMENTVM.

55. In personas coniunctas quibus reuerentia debetur non cadit suspicio vexationis improbae; vetat etiam veneratio eos malitiae insimulare: (L. 1. tit. 1. §. 160.) L. 1. tit. 7. §. 46.) His igitur hoc iusiurandum de calumnia remittitur; veluti parentibus et patronis.

ANNOTATIO.

56. Sic autem iurare debet, qui in municipium remittitur: Romae satisfacere non posse, et ibi posse, quo postulat remitti: idque se non calumniae causa facere. Nam sic non est compellendus iurare: alibi se, quam eo loco satisfacere non posse: quia si Romae non potest, pluribus autem locis possit, cogetur peierare. *L. 8. §. 5. b.*

ARGUMENTVM.

§. 6. 57. Suspecta est petitio eius, qui in municipium satisfaciendi causa remitti petit: hinc causae cognitione opus est. (L. 1. tit. 7. §. 61.) Hoc (autem) tunc impetrabitur; cum iusta causa esse videbitur. Quid enim, si cum erat in municipio, noluit cauere? hoc casu non debet impetrare: cum per eum steterit, quo minus ibi, ubi (ire) desiderat, satisfacere. *L. 8. §. 6. b.* Manifesto videtur is calumniose et ludendi aduersarii causa desiderare: et ad id reuerti non debet, quod repudiarat. (L. 1. c. 7. §. 92.)

DEFINITIO.

58. Appellatio est legitima superioris iudicis inuocatio contra sententiam inferioris subordinati, qua eius vis suspenditur.

ANNOTATIO.

59. Appellatio etiam dicitur grauamen de eo, quod iudicans contra officium suum infert. Exemplum habetur in Legato proconsulis, merum imperium exercente, quod ex mandata iurisdictione habere non poterat. (L. 1. tit. 16. §. 31.) Haec appellatio potius imploratio est, contra vim et apertam iniuriam.

OBSERVATIO.

60. De arbitris planissime docet Proculus, *lege 76. ff. Pro socio. Arbitrorum genera sunt duo: vnum eiusmodi, ut siue aequum sit, siue iniquum, parere debeamus: quod obseruatur, quando ex compromisso ad arbitrum itum est.* In hoc arbitrio mera transactio est, et iustitiam non desiderant compromittentes, sed

sed euentum qui controuersiam componat. Hoc an actum sit, ex compromissi tenore adparet. Pergit Proculus: *Alterum eiusmodi; ut ad boni viri arbitrium redigi debeat*: His verbis iustitiam si poscunt compromittentes. In simplici compromisso hoc dicitur: Quidquid Titius arbiter pronunciauerit, litem finiet: in altero; quidquid Titius arbiter ut vir bonus secundum iustum et aequum pronuntiabit, seruabimus. Ictus porro addit: *etsi nominatim persona sit comprehensa, cuius arbitrato fiat*. Quare enim iustitia a nominato desiderari non posset?

DEFINITIO.

61. Arbiter compromissarius iudicandi est disceptator extraordinarius iuris controuersi bona fide decidendi, conuentione partium electus.

DEFINITIO.

62. Arbiter compromissarius transigendi est persona electa cuius enuntiatum causae controuersiae ius statuat.

ANNOTATIO.

63. Differunt ambo arbitri in hoc, quod contra prioris indubitata iniquitatem querela concedatur, contra alterius opinionem nulla: quia in hoc non fuit constitutus, ut ex rei veritate sententiam dicat. Conueniunt autem in eo, quod arbitrio suo finiunt causam, salua tantum accusatione iniquitatis contra priorem. (§. 79.)

POSITIO.

64. Arbiter ad fideiussores probandos constitutus, si in alterutram partem iniquum arbitrium videatur, perinde ab eo, atque ab iudicibus appellare licet. *L. 9. b.* *Caius. L. 5. ad Ed. prom. L. 9.*

PROBATIO.

Fideiussores probare, nihil aliud est, quam inquisitione in eorum facultates, conditionem et conueniendi facilitatem habita, eos vel idoneos vel non idoneos pronunciare: ex quo palam fit, quod fideiussorum probandorum causa constitutus arbiter bona fide sincerum arbitrium pro veritate rei dicere teneatur. (§. 81.) quia vero contra iudicantis indubitata iniquitatem querela permittitur, (§. 79.) ergo etiam contra iniquum arbitrium, quo fideiussores idonei probati vel idonei reprobatii sunt.

ARGUMENTVM.

65. Si (ab) arbitro probati sunt fideiussores, pro locupletibus habendi sunt, cum potuerit querela ad competentem iudicem deferri. *L. 10. pr. b.* nec tamen delata est. Ergo quod appellatio dicitur (§. 84.) proprie non est appellatio, sed hic querela dicitur. *Paul. L. 25. ad Ed. L. 10.*

REGVLA.

66. Improbato vno ex duobus alternatiuis necessariis, probatur alterum.

ARGUMENTVM.

67. Qui ex causa improbat ab arbitro probatos, alias improbatos probat. *L. 10. §. 1. b.* §. 1.

ANNO-

ANNOTATIO.

68. Offert aduersa pars fideiussores duos alternatiue: repudio primum, et arbitrum posco probando alterutri fideiussori. Arbitrater alterum probat: hunc iterum improbo ex rationibus legitimis: videor tacite priorem probare.

ANNOTATIO.

69. Multo magis, si sua voluntate (expresse) accepit fideiussores, contentus his esse debet. *L. 10. §. 1. b.* (L. I. tit. 7. §. 92.)

ARGUMENTVM.

70. Quodsi medio tempore calamitas fideiussoribus insignis vel magna inopia accidit, caussa cognita, ex integro satisfidendum erit. *L. 10. §. 1. b.* Ex integro satisfidendum erit, quia iam sine culpa actoris cautum non est: (§. 29.) sed non nisi caussa cogita, quia merito dubitatur bene peti, quod iam ante impetratum est. (L. I. tit. 7. §. 61.)

ARGUMENTVM.

*Vlp. L. 75.
ad Ed.
L. 11.*

71. Ratihabitio aequipollet mandato: (L. I. tit. 8. §. 63.) hinc Iulianus ait: si antequam mandarem tibi, vt fundum peteres, satis acceperis, (iudicio fisci) petiturus fundum, et postea mandato meo agere institueris, fideiussorem teneri. *L. 11. b.*

ARGUMENTVM.

*Id. L. 77. ad
Ed.
L. 12.*

72. Inter omnes conuenit, haeredem sub conditione (pendente conditione) possidentem haereditatem, substituto cauere debere de haereditate. *L. 12. pr. b.* Nam satisfidatione opus est, quoties ius alicuius indefinite laedi potest, vt hic in haereditate. (L. I. tit. 7. §. 64.)

DEFINITIO.

73. Substitutio vulgaris est institutio posterioris haeredis in casum deficientis prioris: qua posterior haeres consequitur, quod a priore vacat,

ANNOTATIO.

74. Non dubitatur, quod ius caducorum substitutionibus occasionem praebuerit. *L. vn. pr. C. De caducis tollendis.*

DEFINITIO.

75. Haereditatis petitio est actio, qua haeres ab eo, qui haeres non est, sed pro haerede vel possessore haereditatem possidet, eam sibi restitui postulat.

ANNOTATIO.

76. Etiam is, qui rem singularem pro haerede possidet, ius haereditarium quasi possidet: quo casu etiam illa res singularis haereditas vocatur.

POSITIO.

77. Quando deficit institutionis conditio, et substitutus haereditatem adit, petere haereditatem potest ab instituto.

PROBATIO.

Quando conditio institutionis deficit, ipsa institutio concidit, (L. I. tit. 5. §. 42.) substitutus autem, qui adiit, fit haeres. (§. 93.) Potest autem haeres petere haereditatem a non haerede, pro haerede possidente. (§. 95.) Quare deficiente institutionis conditione substitutus haereditatem petere potest ab instituto.

ANNO-

ANNOTATIO.

78. Hoc ait textus: et si defecerit conditio, adeuntem haereditatem substitutum et petere haereditatem posse, (§. 97.) et si obtinuerit (contra institutum) committi stipulationem. *L. 12. b.* (L. 1. tit. 1. §. 206.) et incipere fideiussorum obligationem de haereditate restituenda. (§. 92.)

DEFINITIO.

79. Officium iudicis nobile est, quatenus iudex iuri et iustitiae in utilitatem publicam inseruit, licet non requisitus.

DEFINITIO.

80. Officium iudicis mercenarium est, quatenus petitioni, actioni et causae in iudicium deductae reiue priuatae inseruit.

ANNOTATIO.

81. Et plerumque ipse praetor et ante conditionem existentem, et ante diem petitionis venientem ex causa (aequitatis, proprio motu et parte non petente) iubere solet stipulationem interponi. *L. 12. b.* (§. 99.) Distinctionem officii iudicis in nobile et mercenarium, antiqui quidem ignorant, rem tamen agnoscunt: quare eam non negligendam duxi.

ARGUMENTVM.

82. Sed et si plures substituti sint, singulis cauendum est. *L. 13. b.* *Paul. L. 15. ad Ed.*
quia singulorum timeri potest laesio. (L. 1. tit. 7. §. 64.)

L. 13.

DEFINITIO.

83. Defensor est, qui loco rei absentis non latitantis causam agit. (L. 2. tit. 1. §. 60.)

REGVLA.

84. Nemo alienae litis defensor sine idonea satisfactione intelligitur. *L. 46. §. 2. ff. De procurat.*

REGVLA.

85. Quilibet potius praesumitur velle defendi, quam condemnari, aut missionem in bona pati.

ARGUMENTVM.

86. Filius familias defendit absentem patrem: quaero, an iudicatum solui satisfacere debeat. Paulus respondit, eum qui absentem defendit, etiam si filius vel pater sit, satisfacere petitulo ex forma edicti debere. *L. 14. b.* (§. 104.)

Id. L. 2. Resp. L. 14

DEFINITIO.

87. Cautio in genere est remedium contra eum, qui nocere potest, ne noceat.

ANNOTATIO.

88. Cautio simplex illa est, quae fit pignoribus, iuramento, vel promissione. De satisfactione per fideiussores vide supra (L. 1. tit. 7. §. 64.)

DEFINITIO.

89. Res immobilis est, quae salua de loco in locum transferri nequit.

ARGUMENTVM.

90. Ergo res imobilis cauet pro possessore suo.

ARGUMENTVM.

*Marc. L. 2.
de Appell.
L. 15.*

91. Sciendum est, possessores immobilium rerum fatisdare non compelli. *L. 15. pr. b. (§. 90.)*

DEFINITIO.

92. Possessor est, qui rem corpore vel iuris intellectu affectu proprietatis ita tenet, vt speciei interitus ipsius periculo sit.

DEFINITIO.

93. Quasi-possessor est, qui rei incorporalis vsum et exercitium tenet.

ARGUMENTVM.

- §. 1. 94. Possessor autem is accipiendus est, qui in agro vel ciuitate rem soli possidet, aut ex asse aut pro parte: sed et qui vectigalem, id est, emphyteuticum agrum possidet. (vide § sequ.) Item, qui solam proprietatem habet, possessor intelligendus est. Eum vero, qui solum vsumfructum habet, possessorem non esse Vlpianus scripsit. *L. 15. §. 1. b.* Creditor, qui pignus accepit, possessor non est, tametsi possessionem habeat, aut sibi traditam, aut precario debitori concessam. *L. 15. §. 2. b.* (nec enim cum affectu proprietatis tenet, nec res ipsius periculo est.) Si fundus in dotem datus sit, tam vxor, quam maritus propter possessionem eius fundi possessores intelliguntur. *L. 15. §. 3. b.* (vxor, quia dominium naturale eius est: maritus, quia ciuile habet.) Diuersa causa est eius, qui fundi petitionem personalem habet. *L. 15. §. 4. b.* (neque enim hic rem iuris intellectu tenet, sed obligationem debitoris.) Tutores, siue pupilli eorum siue ipsi possideant, possessorum loco habentur. (Non sunt possessores, sed eorum loco habentur, quantum ad liberationem a cautione attinet.) Sed et si vnus ex tutoribus possessor fuit, idem dicendum erit. *L. 15. §. 5. b.* (quia tutelae iure possidet). Si fundum, quem possidebam, a me petieris, deinde cum secundum te esset iudicatum, appellauerim: an possessor eiusdem fundi sim? Et recte dicitur, possessorem me esse, quia nihilominus possideo: (dum sententia per appellationem suspensa (§. 78.) fundum non abstulit) nec ad rem pertinet, quod euinci (mihi) ea possessio possit, *L. 15. §. 6. b.* Nec enim possessio euinci a me possit, nisi mea esset.
- §. 2.
§. 3.
§. 4.
§. 5.
§. 6.

ANNOTATIO.

95. Deuictarum nationum agros in ditionem populi Romani redactos, censoria locatione vel venditione alienabat populus. Venditio autem et locatio promiscue dicebantur *L. 19. 20. ff. De act. emti vend. et decumani agri venditi dicuntur. CICERO in Verrem. L. 3. p. 284.* Eodem loco idem refert: quod perpaucae Siciliae ciuitates bello a maioribus subactae fuerint: *quarum ager, cum esset publicus populi Romani, tamen illis est redditus. Is ager a Censoribus locari solet.* Et Lege Sempronia Asiae locatio censoria constituta fuit. Vectigalium autem agrorum haec est ratio. Vectigal aut certum

certum fuit, quod stipendium et agri stipendiarii appellabantur: quasi victoriae praemium et poena belli, aut cenforia locatio fuit constituta. CICERO *ibidem*. Haec institui debebat a Cenforibus Romae in foro, posita hasta, adhibitisque finitoribus, qui modum et fines agrorum renunciabant, CICERO: *de L. Agraria. p. 394. 399. 402.* Locabantur fundi plebi Romanae; ea tamen lege, ut qui ararent, decimam frumenti, caeterarum frugum quintam persoluerent. SIGONIVS: *de ant. iure civ. Rom. L. 1. c. 16. p. 205.* A decima autem frumenti, decumanos dictos, patet. Fundi vectigales vel decumani ad filios morte patris transibant. SIGONIVS: *citato loco. §. 3. I. De locat. conduct.* De agro vectigali, perpetuo locato, plura testimonia habet ALCIATVS *Parergon. L. 1. c. 36. sequ.* Constat hinc, quod interitus fundi vectigalis periculo et damno redemptoris fuerit: unde de possessore facilis est decisio.

OBSERVATIO.

96. Fundus cauet pro possessore (§. 110.) sed saltem pro eo, qui fuit tempore cautionis.

ARGUMENTVM.

97. Possessor autem quis, nec ne, fuerit, tempus cautionis spectandum est: nam sicut ei, qui post cautionem (possessionem vendidit) nihil obest, ita nec prodest ei, qui post cautionem possidere coepit. *L. 15. §. 7. b.* §. 7.

ANNOTATIO.

98. Haec lex per interpolata verba: *possessionem vendidit*: pessime est corrupta. His enim eiectis sensus sanus prodibit. Fundus non est obligatus iure reali pro possessore suo, sed hunc tantum liberat, qui tempore cautionis possidet: nam sicut ei, qui post cautionem possidere coepit, nihil obest, quasi fundus pro priore possessore in vim cautionis obligatus et pignoratus sit; ita nec ei, qui post cautionem praestitam fundum possidere coepit, prodest, ut eius fideiussores liberentur.


DEFINITIO.

99. Periurium est iuramenti dolosa violatio, vel falsi tanquam veri iurata asseueratio.

ARGUMENTVM.

100. Iusta et iure probata causa excusata dolo: consequenter a periurio: *Paul. L. 6. ad Ed. L. 16.* Proinde, Qui iurato promisit iudicio sisti, non videtur peccasse, si ex concessa causa hoc deseruerit. *L. 16. b. (L. 1. tit. 1.)*

§. 73.)



SI EX NOXALI CAUSSA AGATUR, QVEMADMODVM CAVEATUR.

TITVLVS. IX.

DEFINITIO.

1. In eadem caussa sistere, est in iis circumstantiis, qualitate et statu exhibere, ex quibus petitionis conditio non fiet deterior.

REGVLA.

2. Noxa caput sequitur. §. 7. I. De noxal. act. nam capiti vel corpori nocenti adhaeret. (L. 2. tit. 1. §. 33.)

ARGVMENTVM.

Vlp. L. 7. ad
Ed.
L. 1.

3. Si quis eum de quo noxalis actio est, iudicio sisti promiserit, praetor ait; in eadem caussa eum exhibere, in qua tunc est: donec iudicium accipiatur. L. 1. pr. b. Hoc edixit pro iustitiae administratione ex officio nobili. (L. 2. tit. 8. §. 99.)

ANNOTATIO.

4. Dominus seruum noxae obligatum defendens, cauere debebat eum in eadem caussa sistere: cuius rei exempla sequuntur.

ANNOTATIO.

§. 1.

5. In eadem caussa (sistere) quid sit, videamus; et puto verius, eum (videri in) eadem caussa, qui ad experiendum non facit ius actoris deterius. L. 1. §. 1. b.

ANNOTATIO.

6. Si desinat seruus esse promissoris: vel actio amissa sit (quae propter seruum competebat: e. gr. Legis Aquiliae, si exhibendus ab alio damno adfectus erat) non videri in eadem caussa statum, Labeo ait. Vel si qui pari loco erat in litigando, coepit esse in duriore, vel loco vel persona mutata. Itaque si (quis) ei, qui foro promissoris conueniri non potest, venditus, aut potentiori datus sit, magis esse putat, ut non videatur in eadem caussa sisti. L. 1. §. 1. b.

ARGVMENTVM.

Paul. L. 6. ad
Ed.
L. 2.

7. Sed et si noxae deditus sit, Ofilius non putat in eadem caussa sisti: cum noxae deditioe caeteris noxalem actionem perimi putat. L. 1. §. 1. b. Seruus duas vel plures noxas contraxisse ponitur. Primo actori satisdedit seruum iudicio sisti: secundo eundem noxae dedit. Non sine ratione credidit Ofilius peremptam esse primo actori noxalem actionem, tam contra deditentem, qui dominus esse desiit (L. 2. tit. 1. §. 35.) quam contra accipientem, qui seruum pro suo damno duxit: lucrum autem nullum capit, quod alius actor persequeretur. (Ibid. §. 33.) Sed aliò iure vtimur: nam ex praecedentibus caussis non liberatur noxae deditus: perinde enim noxa caput

caput sequitur, ac si venisset. *L. 2. pr. b. (§. 2.) cit. §. 33.)* Attenditur hic lucrum facti, quod seruum noxam facientem comitatur, (*L. 2. tit. 3. §. 25.*) non spectatur lucrum quod in patrimonio est, quo quis ditior euadit.

ARGVMENTVM.

8. Si absens sit seruus, pro quo noxalis actio alicui competit, si quidem dominus non negat, in sua potestate esse: (seruum absentem peregre vel ruri esse, eumque posse exhiberi. *L. 21. §. 3. ff. De noxal. action.*) Compellendum putat Vindius vel iudicio eum fisci promittere vel iudicium (pure, sine noxae deditio) accipere: aut, si nolit defendere, cauturum, cum primum potuerit, se exhibiturum. *L. 2. §. 1. b.* Hoc iudex virtute officii nobilis potest, ne eludatur ius laesi. (*L. 2. tit. 9. §. 99.*) §. 1.

REGVLA.

9. Aequum est, id quemque pati, quod contumacia et dolo euitare cupit.

ARGVMENTVM.

10. Ergo pro possessore esse fingitur, qui dolo malo possidere desit.

REGVLA.

11. Aequum est, professionem falsam, in alterius damnum dolo confictam, contra profitentem facere.

ARGVMENTVM.

12. Sin vero falso negat in sua potestate esse, suscepturum iudicium sine noxae deditio. *L. 2. §. 1. b.* Defendere enim videtur seruum, quem iudicio subtrahere conatur: ergo iudicium pure suscipere cogitur. Et ita praetor edixerat. *L. 21. §. 2. ff. De noxal. action.*

ARGVMENTVM.

13. Idque Iulianus scribit, et si dolo fecerit, quo minus in eius esset potestate. *L. 2. §. 1. b.* Fecit, quo minus noxae dare possit, ergo deditio beneficio renunciauit: fingitur tamen possidere, (§. 10.) consequenter tenetur iudicium sine deditio suscipere. (§. 9.) *L. 2. tit. 8. §. 86.*

ARGVMENTVM.

14. Si seruus praesens est, dominus abest, nec quisquam seruum defendit, ducendus erit iussu praetoris. *L. 2. §. 1. b.* Nam nemine defendente seruus par est illi, qui in iure ceditur, quem adeo praetor petitori addicit. *L. 26. §. 6. ff. De noxal. act.*

REGVLA.

15. Absentia non affectata excusat a dolo.

ARGVMENTVM.

16. Sed caussa cognita domino postea dabitur defensio, vt Pomponius et Vindius scribunt: ne ei absentia sua noceat. *L. 2. §. 1. b.* (§. 15.) Causae cognitione iterum opus est, quia absentiae qualitas praesumi nequit. (*L. 1. tit. 7. §. 61.*)

REGVLA.

17. Qui possidet, agere nequit, vt ei res detur, quam habet.

A R G V M E N T V M.

18. Qui serui possessionem a praetore accepit, cum habeat, quod ipsi abest, de damno agere nequit. (§. 17.) Succurrendum autem est domino innocenter absenti, (§. 15.) ergo restituendus hic est in integrum: (§. 16.) Restitutio autem est abolitio eius quod gestum est, (L. 2. tit. 8. §. 36.) et datur domino defensio serui: ergo et actori (qui seruum duxerat) actio (noxalis) restituenda est, perempta ea, quod ductus seruus in bonis esse coepit. L. 2. §. 1. b. Per possessionem serui in iure, specie quadam cessionis, adquisitam perempta fuit actio. (§. 17.)

A N N O T A T I O.

19. Imperator in Institutionibus §. 2. in f. *De Actionibus* excipit vnum casum, quo, qui possidet, partes actoris obtinet. Hunc casum interpretes Institutionum multo negotio, quibus pro ingenio et opinione sua, quaesierunt: quidam de inueniendo eo desperarunt: vnus nouissime eundem in libris Digestorum de legatis absconditum esse, in disputatione ridicule adserit: Quare demum? Ait Imperator de casu illo vnico: *sicut in latioribus Digestorum libris oportunius adparebit*: libri de legatis sunt latiores, ait ille, ergo. Hoc autem interscenium ad librum 7. Digestorum praesentandum referuo.

D E F I N I T I O.

20. Vfus fructus est seruitus, qua certa persona corporis certi alieni fructum vsu habet, saluo illo corpore et causa eius.

A R G V M E N T V M.

21. Requiritur ergo proprietas rei, in qua vsusfructus consistere debet.

A R G V M E N T V M.

22. In re, quae nullius est, vsusfructus esse nequit.

A R G V M E N T V M.

23. Fructus corporis vsu datur: ergo ex fine proprio et more consueto, id est, vti bonus paterfamilias solet, vsufriui oportet.

A N N O T A T I O.

24. Vfus hic loci, vti et alibi, pro facto ordinario, solito et communiter eueniente accipitur.

A N N O T A T I O.

25. Boni patris familias est, res saluas facere et ab interitu defendere.

A R G V M E N T V M.

26. Si cum vsufructuario noxali iudicio agetur, isque seruum non defenderit: denegatur ei per praetorem vsusfructus persecutio. L. 3. b. Dum enim noxali actione petitum seruum non defendit, cum conueniretur qua vsufructuarius, et dum duci eum passus est, seruo in iure cessit, quantum in ipso fuit: ergo vsufructu tenus cessit. Iam vsufructum persequendo contra docentem rediret ad id, cui renunciandum censuit, quod non potest. (L. 1. tit. 7. §. 92.)

D E F I N I T I O.

27. Socius est, persona electae diligentiae cui res cum alio communis est pro parte incerta vel aliquota ad participandum pro rata lucrum et damnum.

A N N O T A T I O.

Vlp. L. 7.
ad. Ed.

L. 3.

A N N O T A T I O.

28. Partes aliquotae per totum vagantur, sunt indemonstrabiles et assignari vel tangi nequeunt: ut $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{3}$, $\frac{1}{4}$, habent relationem ad totum, et ex toto denominantur. Sunt autem incertae, quia si fundi vel haereditatis diuidium tibi relictum est, fines partis tuae monstrare non vales, antequam cum socio vel haerede diuisio facta sit.

A R G V M E N T V M.

29. Ergo qui focii sunt; pro parte domini sunt: partibus tamen aliquotis non apparentibus, eorum ius per totum vagatur. E. gr. Titio, Mæuio, Paulo, legatus est ager aequis partibus: quilibet dominus fit tertiae partis: sed ante diuisionem nullus partem suam commonstrare valet, sed in qualibet agri gleba haerere videtur.

A R G V M E N T V M.

30. Si cum vno ex dominis noxaliter agetur, an pro parte socii satisfacere deberet? Sabinus ait, non debere; quia quodammodo totum suum hominem defenderet; (Hanc non esse subtilitatem nugatoriam ICtorum, sed in re ipsa fundatam sanamque doctrinam, antecedens declaratio ostendit) cui in solidum defendendi necessitas esset: nec auditur, si pro parte paratus sit defendere. *L. 4. b. (§. 28. 29.)*

Caius L. 6. ad Ed. prou. L. 4.

A R G V M E N T V M.

31. Si seruum in eadem caussa sistere quidam promiserit, et liber factus sistatur: si de ipso controuersia est capitalium actionum iniuriarumque nomine, non recte sistitur: quia aliter de seruo supplicium, et verberibus (de iniuria) satisfacit, aliter de libero vindicta sumitur, vel condemnatio pecuniaria. His casibus libertas actioni omnino detrahit, et non sistitur in eadem caussa. (§. 1. 5.) quod autem ad caeteras noxales caussas pertinet, (si damnum intulit pecuniarium, sine contumelia) etiam in meliorem caussam videtur peruenisse. *L. 5. b.* In meliorem caussam respectu persecutionis litis: dum forte a domino potente liberatus est. (§. 1.)

Vlp. L. 74. ad Sab. L. 5.

D E F I N I T I O.

32. Statu liber est seruus qui destinatum & statutum in tempus, conditionem vel litis euentum libertatem habet.

A N N O T A T I O.

33. Qui statu liberum in eadem caussa sistere promisit, id promississe videtur, ut aut liber, aut seruus, vel etiam adhuc statu liber sistatur. Nam caussa, id est, circumstantia statu liberi ea est, ut speretur proxime liber vel seruus, prout conditio extiterit vel defecerit.

A R G V M E N T V M.

34. Sed si statu liberum sisti promissum sit, in eadem caussa si videtur, quamuis liber sistatur; quod implicitus ei casus libertatis fuerit. *L. 6. b. (§. 33.)* libertatem habet, sed latentem et resolutiuam. (§. 32.) Si ergo liber factus est euentu, per fatum Stoicum iam liber erat, cum in eadem caussa sisti promittebatur.

Paulus L. 11. ad Sab. L. 6.

DE

DE EO PER QVEM FACTVM ERIT, QVO MINVS QVIS IN IVDICIO SISTAT.

T I T V L V S X.

OBSERVATIO.

Vlp. L. 7. ad
Ed.
L. 1.

1. Aequissimum putavit praetor, dolum eius coërcere, qui impedit aliquem iudicio fisci. *L. 1. pr. b.*

ARGUMENTVM.

§. 1.

2. Fecisse autem dolo malo non tantum is putatur, qui suis manibus vel per suos retinuerit (per suos qui in retinentis potestate sunt, qui iussu suo retinerent) verum, qui alios quoque rogavit, (in quos potestatem dominicam vel patriam non habet) ut eum detinerent, vel abducerent, ne iudicio sistat: siue scientes, siue ignorantes, quid esset, quod committeretur. *L. 1. §. 1. b. (L. 1. tit. 1. §. 40.)*

ANNOTATIO.

§. 2.

3. Dolum autem malum sic accipimus, ut si quis venienti ad iudicium, aliquid pronunciauerit triste, propter quod is necesse habuerit ad iudicium non venire, teneatur edicto. Quamuis quidam putent, sibi eum imputare, qui credulus fuit. *L. 1. §. 2. b.*

DEFINITIO.

4. Exceptio est allegatio rationis, qua reus ius suum potius contra intentionem actoris demonstrat, ad eam summouendam.

DEFINITIO.

5. Exceptio doli mali, seu in factum, est allegatio iuris, reo ex aequitate competentis, contra actorem stricto iure ex dolo vel facto suo sibi lucrum petente cum damno rei.

ARGUMENTVM.

§. 3.

6. Si reus dolo actoris non stiterit, non habebit reus aduersus eum actionem ex hoc edicto (in factum poenalem) cum contentus esse possit exceptione (doli mali, (§. 5.) si ex stipulatu conueniatur de poena, (L. 2. tit. 5. §. 10.) quod ad iudicium non venerit. *L. 1. §. 3. b.* Agere nequit ob id, quod facto actoris poena commissa sit, cum actorem poenam petentem exceptione submouere possit.

ANNOTATIO.

7. Aliter, atque si ab alio (qui actor non est) sit impeditus: nam actionem propositam aduersus eum exercebit. *L. 1. §. 3. b.*

ARGUMENTVM.

§. 4.

8. Si plures dolo fecerint, omnes tenentur. *L. 1. §. 4. b.* Quoniam singulorum integer dolus est, (L. 1. tit. 1. §. 72.) et quot sunt voluntates, tot sunt facta. (L. 2. tit. 1. §. 39. 40.)

P O S I -

POSITIO.

9. Sed si vnus praestiterit poenam, caeteri liberantur; cum nihil interlit. *L. 1. §. 4. b.*

PROBATIO.

In caussis pecuniariis et priuatis quod plures dolo fecerunt, effectu tenus spectatur, qui vnus est. (*L. 2. tit. 1. §. 38.*) si ergo vnus de hoc satisfecerit quod effectum est, vt hic, obligatio ex factis plurium pro vno computatis, tollitur, et liberatio contingit. (*L. 2. tit. 7. §. 31.*) Eapropter, licet plures dolo fecerint, si vnus praestiterit poenam, caeteri liberantur.

ARGVMENTVM.

10. Serui nomine ex hac caussa noxali iudicio agendum, omnes consentiunt. *L. 1. §. 5. b.* (*L. 2. tit. 1. §. 35.*) Est enim damnum pecuniarium. (*Ibid. §. 34.*) Contumelia vero et delicta noxalem actionem non producebant. (*L. 2. tit. 9. §. 31.*) §. 5.

ARGVMENTVM.

11. Et haeredi dandam, sed non vltra annum. (*L. 2. tit. 4. §. 103.*) Aduersus haereditatem autem hactenus puto dandam, (actionem) vt ex dolo defuncti haeres non lucretur. *L. 1. §. 6. b.* (*L. 1. tit. 8. §. 138.*) §. 6.

ARGVMENTVM.

12. Si actoris seruus domino sciente, et cum possit, non prohibente, dolo fecerit, quo minus in iudicio sistam, (quod factum ipsius domini actoris est, (*L. 1. tit. 1. §. 41.*) Ofilius, dandam mihi exceptionem (doli) aduersus dominum (in poenam agentem) ait: ne ex dolo serui dominus lucretur. *L. 2. b.* (*§. 6.*) Lucrum dominus caperet, si non ex suo sed serui facto conueniri deberet. *Paul. L. 6. ad Ed. L. 2.*

ARGVMENTVM.

13. Si vero sine voluntate domini seruus hoc fecerit, Sabinus noxale iudicium dandum ait, (*L. 2. tit. 1. §. 35.*) nec factum serui domino obesse debere, nisi hactenus, vt ipso careat (vt eum noxae dedat, si expedit sibi non putet, eum defendere) quando ipse nihil deliquit. *L. 2. b.* dum ignorans ipse nihil egit. (*§. 12.*)

ARGVMENTVM.

14. In hac caussa pecuniaria factum effectu tenus attenditur, et damnum rei priuatae actor persequitur: (*§. 9.*) proinde Ex hoc edicto aduersus eum qui dolo fecit, quo minus quis in iudicium vocatus, sistat, in factum actio competit, quanti actoris interfuit eum sisti. In quo iudicio deducitur, (computatur) si quid amiserit actor ob eam rem: veluti, si reus tempore dominium rei interim sibi adquirat, aut actione liberatus fuerit. *L. 3. pr. b.* *Julian. L. 2. Dig. L. 3.*

ARGVMENTVM.

15. Plane, si is qui dolo fecerit, quo minus in iudicio sistatur, soluendo non fuerit: aequum erit aduersus ipsum reum restitutoriam actionem competere (Nam summo iure ex stipulatione noxia laeditur. (*L. 2.*) §. 1.

tit. 8. §. 36.) ne propter dolum alienum reus lucrum faciat, et actor damno adficiatur. *L. 3. §. 1. b.* (L. 1. tit. 7. §. 136.)

ARGUMENTVM.

16. Restitutio in integrum gestioni iure communi validae detrahit: ideo restringenda est et tantum danda in subsidium, deficiente alio remedio ordinario iuris, quo laesus indemnus sit. Qua de causa non datur, si reus solvendo est. (L. 1. tit. 1. §. 243.)

ARGUMENTVM.

§. 2.

17. Si et stipulator dolo Titii, et promissor dolo Maevii impeditus fuerit, quo minus in iudicio sistatur: vterque aduersus eum, cuius dolo impeditus fuerit, actione in factum experietur. *L. 3. §. 2. b.* Interesse enim potest stipulatoris propter actionem tempore peremptam vel rem a reo vscaptam: promissoris omnino interest, ob poenam et stipulationem commissam. Ad restitutionem autem in integrum aduersus se inuicem neuter confugere potest, dum vterque damni reparationem ordinaria actione consecutus est. (§. 16.)

DEFINITIO.

18. Compensatio est modus tollendi ipso iure debitum per creditum in simili et aequipollente causa et quantitate.

ARGUMENTVM.

§. 3.

19. Si et stipulator dolo promissoris, et promissor dolo stipulatoris impeditus fuerit, quo minus ad iudicium veniret: neutri eorum praetor succurrere debet: ab vtraque parte dolo compensando. *L. 3. §. 3. b.* Stipulator qui dolo fecit, quo minus reus sisteret, ex stipulatu agens, exceptione doli repellitur, (§. 6.) promissor dolo stipulatoris impeditus iterum exceptione doli summouetur: (§. 6.) nam eius non interest, quia exceptione doli tutus est, sic ut ab eo poena exigi non possit: atque hoc est, quod in textu dicitur de dolo ab vtraque parte compensando. Obstat vtrinque doli exceptio: etenim dolus cum dolo vere compensari nequit. (§. 18.) Iam restitutionem petit alteruter: sed neutri succurret praetor, quoniam restitutio ex aequo et bono contra summum ius gestiois datur (L. 2. tit. 8. §. 36.) non contra id, quod quis dolo deliquit.

ARGUMENTVM.

§. 4.

20. Si a fideiussore quinquaginta stipulatus fuero, si in iudicium reus non venerit, petiturus a reo centum: et dolo (malo) Sempronii factum fuerit, ne in iudicium reus veniat, centum a Sempronio consequar. (Videlicet, in hac actione respicitur, quid dolo impediens effecerit. (§. 14.) Tanti enim mea interfuisse videtur: quia si venisset in iudicium, actio mihi centum aduersus reum, vel aduersus haereditatem eius competebat: (aduersus haereditatem: quandoquidem, per litis contestationem actio in bonis esse cepisset, (L. 2. tit. 3. §. 9.) licet fideiussor minorem summam mihi promiserit. *L. 3. §. 4. b.* Liberum enim mihi erat nullum fideiussorem exigere.

66723 66723 66723

* * * * *

SI QVIS CAUTIONIBVS IN IUDICIO SISTEN- DI CAVSSA FACTIS NON OBTEMPERAVERIT.

T I T V L V S X I.

O B S E R V A T I O.

1. Vicena millia passuum in singulos dies dinumerari praetor iubet, praeter eum diem, quo cautum promittitur, et in quem sistere in iudicium oportet. Nam sane talis itineris dinumeratio neutri litigatorum onerosa est. *L. 1. h.*

*Caius L. 1.
ad Ed. prot.
L. 1.*

A N N O T A T I O.

2. Si diuiduntur 20000 passus per mille, quotus est 20 milliaria, quorum 4. conficiunt vnum milliare Germanicum. Ergo praetor in singulos dies 5 milliaria Germanica imperavit ei, qui ad iudicium proficiscitur.

D E F I N I T I O.

3. Iudicium est disceptatio controuersiae secundum veritatem et causas iustitiam legitime agitata.

A R G V M E N T V M.

4. Vbi deficit res controuersa, ibi cessat iudicium: et actio est ipso iure sublata: dum enim instituitur, modum resoluentem secum fert. (*L. 1. tit. 7. §. 35*).

A R G V M E N T V M.

5. Controuersa causa decisione finita, definit esse controuersa.

A R G V M E N T V M.

6. Cessante iudicio, non est vt reus iudicio sistat. (*L. 1. tit. 1. §. 216. 204.*).

P O S I T I O.

7. Non exigimus reum iudicio sisti, si negotium propter quod iudicio sisti promisit, fuerit transactum. *L. 2. pr. h.*

*Vlp. L. 74.
ad Ed.
L. 2.*

P R O B A T I O.

Negotio transacto res controuersa decisione finitur (*L. 1. tit. 19. §. 9.*) et definit esse controuersa, (*§. 5.*) et cessat adeo ipso iure actio et iudicium. (*§. 3.*) Quoniam vero cessante iudicio reus iudicio sistere non tenetur, (*§. 6.*) ideo reus iudicio sistere non cogitur, si negotium, cuius causa iudicio sistere promiserat, fuerit transactum.

A N N O T A T I O.

8. Sed hoc ita, si (non) prius id negotium transactum sit, quam sisti oporteret. *L. 2. pr. h.* Expungenda hic iterum est negatio parenthesi inclusa: quod plerique iubent, *Bynkershoek Obs. L. 3. c. 5.* transponit: *si non prius sisti oporteret, quam &c.* Puto, negationem auctoritate Codicis Florentini retinendam esse. Nam collatio sequentium prodit, Vlpianum locutum esse de exceptione doli; qua repellitur actor, et de eo casu, quando actio ipso iure tol-

tollitur. De hoc casu modo egit, pergit: *Sed hoc ita, si non*, id est: sed hoc non aliter, nisi prius negotium transactum sit quam &c.

P O S I T I O.

9. Caeterum, si postea transactum est, exceptio doli opponi debet. *L. 2. pr. b.* Ei nimirum, qui ad poenam ageret.

P R O B A T I O.

Actor, qui poenam stipulationis ante transactionem commissam, post transactionem negotii petit, lucrum licentiae et facti sibi contra fidem bonam petit, ut sibi liceat transactioni non parere. (*L. 2. tit. 1. §. 33.*) *L. 1. tit. 1. §. 220.*) qui vero lucrum huiusmodi sibi petit, exceptione doli remoueri debet. (*L. 2. tit. 10. §. 5.*) Ergo si postea transactum est negotium, quam reus iudicio sistere debebat, exceptio doli opponi debet.

A N N O T A T I O.

10. Quis enim de poena promissa laborat post negotium transactum, cum etiam transacti negotii exceptionem (ob ipsum negotium, non ob poenam commissam, ex qua doli competit, (§. 9.) putauerit quis nocere, quasi etiam de poena transactum sit. Nisi contrarium specialiter partibus placuerit. *L. 2. pr. b.* Id est: Nemo de poena promissa amplius sollicitus erit vel metuet, cum omnino putet exceptionem transactionis etiam exactioni poenae obsturam, quasi negotio transacto etiam de poena transactum fuerit. Nam interpretatio ad congruens fieri debet. (*L. 1. tit. 1. §. 239.*) In transactione tamen dari vel remitti aliquid debet. (*L. 1. tit. 19. §. 9.*) Ergo poena in praemium transactionis subsistere potest, si ita partibus expresse placuerit: tum vero interpretatione nulla opus est, (*L. 1. tit. 1. §. 234.*) et sequendum id, quod actum est. (*L. 2. tit. 6. §. 8.*)

P O S I T I O.

§. 1. 11. Si quis municipalis muneris causa, sine suo dolo malo, impeditus, in iudicio secundum suam promissionem non stetit, aequissimum, est tribui exceptionem. *L. 2. §. 1. b.*

P R O B A T I O.

Excusat a proposito et facto muneris necessitas. (*L. 1. tit. 1. §. 61.*) Quando vero ab eo poena facti petitur, cui non imputatur factum, damnum innocentis petitur, et poena in lucrum exigitur petentis, qui eam ex nullo delicto, et adeo gratis polcit. (*L. 1. tit. 1. §. 220.*) Verum eiusmodi petitioni opponi debet exceptio doli. (*L. 2. tit. 10. §. 5.*) Aequissimum ergo est tribui hoc casu exceptionem doli.

A N N O T A T I O.

§. 2.
§. 3. 12. Simili modo, et si ad testimonium desideratus, ad iudicium occurrere non potuit, erit ei subueniendum. *L. 2. §. 2. b.* Si quis iudicio se sisti promiserit, et valetudine, vel tempestate, vel vi fluminis prohibitus se sistere non possit, exceptione adiuuatur: nec immerito: cum enim in tali promissione praesentia opus sit, quemadmodum potuit se sistere, qui aduersa valetudine impeditus est. Et ideo etiam

lex

lex duodecim tabularum, si iudex, vel alteruter ex litigatoribus morbo fontico impediatur, iubet diem iudicii esse diffusum. *L. 2. §. 3. b.*

ANNOTATIO.

13. Dies diffindi dicebatur, cum vel cognitionem vel iudicationem causas iudex in alium diem reiciebat. A. GELLIVS *L. 14. c. 2.*

ARGVMENTVM.

14. Quamuis graviditas morbus non sit, infirmitas tamen iade interdum eadem est, quae ex morbo. Quare, Si non propter valetudinem mulier non steterit iudicio, sed quod grauida erat, exceptionem (doli) ei dandam, Labeo ait; (quoniam verba XII. Tab. quae ob fonticum morbum diem diffindi iubent, stricta interpretatione ad iniquitatem trahit actor. Quaesio enim, grauida vicena millia passuum (§. 1.) in diem iter facere quomodo potest: et quid si plures dies sint? Quod CUIACIVS huic legi opponit *L. 12. Obs. 18.* ipsi excidit, quod loca et tempora non satis attendit.) si tamen post partum decubuerit, probandum erit, quasi valetudine impeditam. *L. 2. §. 4. b.* Cur enim interne vulnerata non aegrotaret? Idem est, et si quis furere, coeperit: nam qui furore impeditur, valetudine impeditur. *L. 2. §. 5. b.*

§. 4.

§. 5.

ANNOTATIO.

15. Quod diximus, succurri etiam ei, qui tempestate, aut vi fluminis prohibitus non venit; tempestatem sic intelligere debemus, siue maritima siue terrestris sit: tempestatem intelligere debemus talem, quae impedimento sit itineri, vel navigationi. *L. 2. §. 6. b.* (*L. 1. tit. 1. §. 237.*)

§. 6.

ANNOTATIO.

16. Tempesta aëris intemperiem regulariter denotat. Sed Vis fluminis etiam sine tempestate accipienda est: vim fluminis intelligimus, etiam si magnitudo eius impedimento sit, siue pons solutus sit, siue nauigium non stet. *L. 2. §. 7. b.*

§. 7.

ARGVMENTVM.

17. Non liquet, an quis sua culpa vel mora casum vis et impedimenti maioris anteuertere potuerit: et ignoratur, an bene de culpa impediti statuatur: Potest in his culpa committi: Si quis tamen, cum posset non incidere in tempestatem, vel in fluminis vim, si ante profectus esset, vel tempore oportuno nauigasset, ipse se artauerit, (non tam vi maiore arctatus sit, sed sua culpa,) nunquid exceptio ei minime proffit? quod quidem causa cognita erit statuendum. (*L. 1. tit. 7. §. 6.*) Nam neque sic artandus sit, ut possit ei dici: cur non multo ante profectus est, quam dies promissionis veniret: neque iterum permittendum ei, si quid sit, quod ei imputetur, causari tempestatem vel vim fluminis. *L. 2. §. 8. b.*

§. 8.

ANNOTATIO.

18. Quid enim, si (quis) cum Romae esset, ipso tempore promissionis sistendi, nulla necessitate urgente, voluptatis causa in municipium

cipium profectus sit: nonne indignus est, cui (haec) exceptio patrocinetur? Aut si tempestas quaedam in mari fuit, terra autem iste potuit venire, vel flumen circumire? aequè dicendum, non semper ei exceptionem prodesse: nisi angustiae non patiebantur, terra iter metiri vel circumire. *L. 2. §. 8. b.*

ARGUMENTVM.

19. Cum tamen vel flumen sic abundasset, vt impleffet omnem locum, in quo sisti oportuit, (cum iam nec circumire inundationem posset) vel aliqua fortuita calamitas eundem locum euertit: vel praesentiam venienti periculosam fecit, ex bono et aequo et hic exceptio ei accommodanda est. *L. 2. §. 8. b. (§. 9.)*

ARGUMENTVM.

§. 9. 20. Simili modo exceptio datur ei, qui cum ad iudicium venire volebat, a magistratu retentus est (non vi, sed imperio,) et retentus sine dolo malo ipsius: nam si ipse hoc affectavit, vel causam praestitit, non ei proderit exceptio, sed ipsius quidem dolus ei oberit. *L. 2. §. 9. b.* Nam vt detineretur, ipse fecit. (*L. 1. tit. 1. §. 84.*)

ARGUMENTVM.

21. Caeterorum non oberit, (quo minus vtatur exceptione) qui malo dolo fecerunt, vt retineretur. (a magistratu) *L. 2. §. 9.*

ARGUMENTVM.

22. Sed si priuatus eum detinuerit (imperio) nullo modo proderit ei exceptio. *L. 2. §. 9. b.* Priuato nulla potestas est in alium liberum hominem; qua iure detinere possit. Qui ergo paruit priuati imperio, affectavit dolo malo detineri. Si vero comminationem timuit, et ita paruit, exceptione non vtetur: Sed actio ei datur aduersus eum, qui detinuit, in id, quod eius interest. *L. 3. b. in factum nempe. (L. 2. tit. 7. §. 23.)*

*Paul. L. 69.
ad Ed.
L. 3.*

ARGUMENTVM.

*Vlp. L. 74.
ad Ed.
L. 4.*

23. Sed et si quis rei capitalis ante condemnatus, iudici sistere se non potuit, merito huic ignoscitur. *L. 4. pr. b. (L. 1. tit. 1. §. 6.)*

DEFINITIO.

24. Rei capitalis condemnatum accipere debemus, qui morte exilium coërcitus est. *L. 4. pr. b.* Capitale quoque erat de fama periclitari. CICERO.

ANNOTATIO.

25. Diceret aliquis: quo ergo haec exceptio damnato. Sed respondebitur: fideiussori eius esse necessariam: (*L. 2. tit. 2. §. 16.*) aut si forte in exilium salua ciuitate abiit: vbi defensori eius exceptio ista proderit. *L. 4. pr. b.*

ANNOTATIO.

26. Exilium non erat poena, nec irrogari solitum fuit; sed erat fuga et euitatio condemnationis. CICERO *pro Caccina: p. 361.* *Nulla in lege nostra*

fra reperietur, maleficium vllum exilio esse multatum. Idem OVIDIVS vult L. 2. Trist.

*Nec mea decreto damnasti facta senatus,
Nec mea selecto iudice iussa fuga est.*

ANNOTATIO.

27. Fideiussori prodesse debet exceptio, quia in omnem debiti qualitatem succedit. (L. 2. tit. 2. §. 16.) Hoc loco fideiussor exceptione gaudet, quia innocentia facti, quo reus non stitit, exceptionem hanc parit: non enim proficiscitur ex persona et conditione rei.

ARGVMENTVM.

28. Capitalis sententiae vel poenae metus et fuga excusat a dolo.

OBSERVATIO.

29. Qui accusationem alicuius parabat, eum quem accusare volebat reum faciebat. Postulabat accusator apud Praetorem Quaestionis, vt sibi liceret nomen rei deferri: delatione impetrata, nomen recipiebatur, quod praetor a scriba in tabulas referri iubebat, atque ita reus fieri solitus est. SIGONIVS *de Iudiciis: cap. 9. ROSINVS Ant. L. 9. c. 19. POLLETVS Hist. fori Rom. L. 4. c. 8.* Sequebatur demum ipsa accusatio.

ARGVMENTVM.

30. Illud sciendum est, eum qui idcirco non stetit, quia capitis reus factus est (§. 29.) in ea causa esse, vt exceptione vti non possit. L. 4 §. 1. b. nam nondum instabat condemnatio, quae sola mali maioris fugam excusabat. (§. 28.)

§. 1.

ARGVMENTVM.

31. Plane, si vinculis vel custodia militum impeditus, ideo non stetit, in ea erit causa, vt exceptione vtatur. L. 4 §. 1. b. est enim vis maior, quam superare non potuit. (L. 1. tit. 1. §. 204.)

OBSERVATIO.

32. Inter iusta manium feriae nouendiales et denicales fuerunt. IAC. GVTHERICVS *de Iure manium L. 1. c. 16.* de his ita differit. *Inter ferias funerum sunt Denicales, cum hominis mortui causa familia purgabatur, a Graeco verbo deductae: Graeci enim νεκρον mortuum dixerunt. FESTVS in v. Denicales. Nouendiales a dierum numero denominatae: de quibus copiose TURNEBVS L. 24. Aduers. c. 13. quae Lipsius in Taciti explicatione sua fecit: ad L. 6. Annal. n. 18. Nouendialia veteribus glossis: εννεκα ενι νεκρον αρχόμενα. Nam apud maiores, ubi quis extinctus esset, diebus septem domi illius corpus adseruabatur, et curabatur lauando, unguendo, osculando, conplorando, conclamando. Octauo die funus procedebat, et corpus incendebatur: nono sepeliebatur, et si qui ludis in mortui honorem fierent, ab eo nouendiales sunt appellati. SERVIVS. 5. Aeneid.*

ARGVMENTVM.

33. Praeterea, si funere quis domestico impeditus, ideo non venit, debet ei exceptio dari. L. 4 §. 2. b. ob iusta manibus exsoluenda.

§. 2.

ARGV-

ARGVMENTVM.

- §. 3. 34. Item, si quis in seruitute hostium fuerit, ac per hoc in iudicium non stetit, debet exceptione adiuuari. *L. 4. §. 3. b. ex ratione (§. 31.)*

ARGVMENTVM.

- §. 4. 35. Quaesitum est, an possit conueniri: Ne vlla exceptio in promissione deserta, iudicio sistendi causa facta, obiiciatur: et ait Attilicinus (conventionem istam non valere). *L. 4. §. 4. b.* Hic iterum reiectis vltimis verbis quae librarii sunt, sensumque turbant, eumque in contrariam Attilicini sententiam torquent, legendum est, et ait Attilicinus: id est affirmat: valere talem conventionem: (*L. 2. tit. 2. §. 17.*) cum quilibet iuri pro se introducto, adeoque etiam fauori exceptionum renunciare possit. (*L. 1. tit. 1. §. 199.*) *ALCIATVS Parerg. L. 2. c. 27. pro deserta*, substituendum opinatur: *deserta*.

REGVLA.

36. Conuentio dubii et incerti sensus non valet, quando interpretatio bono et aequo aduersa fieri deberet.

ARGVMENTVM.

37. Sed et ego puto, conventionem istam ita valere (ergo et Attilicinus valere affirmauit,) si specialiter causae exceptionum expressae sint, quibus a promissore sponte renunciatum est. *L. 4. §. 4. b.* Sponte intelligo scienter: ne generalis renunciatio aliquid comprehendere videatur, cui tanquam aequo et bono renunciare nolisset promissor in lucrum iniquum, stipulatoris, si de hoc cogitasset. De quo vero non cogitatum est, de eo nihil conuenit. (*L. 1. tit. 1. §. 198.*) Si vero specialiter causae exceptionum expressae sunt, de his actum, hisque renunciatum esse indubie adparet.

OBSERVATIO.

38. Qui nullo iure munitus ab alio quid petit, tam lucrum rei sibi petit, cum damno alieno: quam facto ipso lucrum habet, et libertatem alterius laedit atque imminuit, qui alium sine iure sibi obnoxium et debitorem postulat.

POSITIO.

- §. 5. 39. Item, quaeritur, si quis iudicio sistendi causa satisfacere non deberet, satisfadato promiserit: an fideiussoribus eius exceptio detur: puto interesse, vtrum per errorem satisfadato promissum est, an ex conventionem: si per errorem, dandam fideiussoribus exceptionem. *L. 4. §. 5. b.*

PROBATIO.

- Qui ex satisfadatione nulla poenam petit, is iniquum lucrum sibi petit cum damno fideiussorum, (§. 38.) ergo etiam is, qui ex satisfadatione per errorem praesita, cum satisfacere reus non deberet, poenam petit: haec enim nulla est. (*L. 1. tit. 1. §. 45.*) Si autem quis lucrum sibi petit cum damno alieno, exceptio doli competit, (*L. 1. tit. 10. §. 5.*) cumque fideiussori profit exceptio, quae ex qualitate obligationis principalis competit, (*L. 2. tit. 2. §. 16.*) sequitur, quod si quis

quis fatisdato promisit, qui fatisdare non debuit, si per errorem fatisdatum est, fideiussoribus profit exceptio.

ANNOTATIO.

40. Absurdum forte videtur, quod nullitatem faciam qualitatem fatisfactionis. Nam nonentis non dantur qualitates. Verum tamen est fatisfactionem secundum ritum et formam iuris esse perfectam, eamque stricto iure subsistere, cui adeo qualitas iniquitatis insit, quae ipsam infirmat.

ARGUMENTVM.

41. Si ex conuentione, minime dandam. *L. 4. §. 5. b.* quia sequendum, quod actum est, (*L. 2. tit. 6. §. 8.*) nec iam subest iniquitas. (*L. 1. tit. 8. §. 51.*)

REGVLA.

42. Accessorium, quod cum principali consistere nequit, vitiatur.

ANNOTATIO.

43. Nam et Iulianus scribit, si iudicio sistendi causa plura quam statutum est (edicto praetoris, qui in id actionem pollicetur, quanti ea res est, (*L. 2. tit. 8. §. 8.*) per ignorantiam promissum fuerit, exceptionem (doli) dari debere. Si autem ex conuentione tantae summae promissio facta sit: exceptionem pacti conuenti replicatione (doli) infirmandam (Iulianus ait.) *L. 4. §. 5. b.* Quare si fideiussores in ampliorem summam acciperentur pacto et scientes, quantum conuentio excedit id, quod fere interest, vitiatur, tanquam accessorium quod cum principali, scilicet fideiussione consistere simul nequit, sed ab ea non admittitur. Nam fideiussio non excedit qualitatem debiti principalis. Ergo ex eadem nullitate pacti replicatio doli competit.

DEFINITIO.

44. Societas est contractus, quo res pro partibus aliquotis plurium propria fit: ad communionem pro rata lucri et damni.

DEFINITIO.

45. Correi credendi sunt, qui singuli eiusdem rei creditores in solidum sunt.

DEFINITIO.

46. Correi debendi sunt, qui singuli eiusdem rei debitores in solidum sunt.

DEFINITIO.

47. Rei siue correi stipulandi sunt, quibus singulis res in solidum promittitur.

DEFINITIO.

48. Stipulatio est contractus civilis, quo per interrogationis et congruae responsionis solennitatem conuentioni praecedenti exactio virtus conciliatur. *L. 4. §. 3. ff. b. t.*

ARGUMENTVM.

49. In stipulatione non adparet, quid stipulator promittenti in vicem obligationis susceptae reponat: ergo stricti iuris est. (L. 1. tit. 1. §. 263.)

ARGUMENTVM.

50. Ergo stipulatio personas contrahentes non egreditur.

ARGUMENTVM.

51. Si duo rei stipulandi sunt, et vni debitor iudicio se fisci cum poena promiserit, alter autem impediens: ita demum exceptio aduersus alterum (cui poenam promisit) danda est, si socii sint: ne profit ei dolus, propter societatem. *L. 5. pr. b.* Debitor Primo et Secundo pecuniam ex stipulatu, vtrique solidam debet. Primus eum vocat in ius: huic promittit sub poena se iudicio sistere: haec promissio ad Secundum non pertinet. (§. 50.) Secundus debitorem venientem ad iudicium impedit, et incidit in edictum, ex quo actio in factum debitori aduersus eum datur. (L. 2. tit. 10. §. 7.) Primus ideo poenam petit, quod reus iudicio non steterit: hic exceptionem doli opponere desiderat, quae ipsi non permittetur, si creditores socii non sunt, sed soluere debet poenam promissam Primo, de qua nihil participabit Secundus, quia socius non est, et quia stipulatio poenae personam Primi non egreditur, licet rei credendi sint: sed id quanti ea res est, quod impeditus fuerit, id est, ipsam poenam a Secundo actione in factum consequetur. (L. 2. tit. 8. §. 8.) Si vero creditores socii sunt, Primus poenae partem cum Secundo communicare deberet, (§. 44.) tum doli exceptione aduersus eum vtetur debitor, quia secundo lucrum doli sui petit. (L. 1. tit. 8. §. 136.) Exceptio autem doli ideo subsidiaria est et parcius conceditur, quia famosa et odiosa est. (L. 1. tit. 1. §. 244.)

ARGUMENTVM.

§. 1. 52. Item, si duo rei promittendi sunt, et vnus ad iudicium non venerit, contempta sua promissione, iudicio sistendi causa facta, actor autem ab altero, (qui stetit) rem petat, (solidam) (§. 46.) ab altero poenam desertionis: petendo poenam exceptione submouebitur. *L. 5. §. 1. b.* Nam solidum consequitur ab eo qui comparuit: ergo nullo iure petit poenam quanti ea res, id est; quanti damnum eius est, alterum non stetisse: unde exceptio competit. (§. 38.)

ANNOTATIO.

53. Ex eo, quod doli exceptio et replicatio obstat ei, qui ex stipulatu agit, vel ex pacto conuento excipit, sequitur, quod statutum est, (§. 43.) explicari debere de edicto praetoris, non de eo quod partes statuerunt: nec poenam in finitum supra id, quanti ea res est, siue quanti damnum est, conuentione statui potuisse: quod quidem eommuniter opinantur.

ARGUMENTVM.

§. 2. 54. Aequè, si a patre facta fuerit promissio iudicio sistendi gratia ex filii contractu: (Filius habet peculium: (L. 2. tit. 4. §. 21.) contractu se obligauit: pater conuenitur peculiotenus: promittit se iudicio sistere) deinde de re actor egerit cum filio: exceptione submouebitur, si cum patre ex eius promissio-

Paul. L. 6.
ad Ed.
L. 5.

missione agat. (quia cum patre iudicium cessat, conuento filio. (§. 6. 7.) Et contra, idem erit, si filius promiserit (iudicio se sistere, sub poena) et actor egerit cum patre de peculio. *L. 5. §. 2. b.*

ANNOTATIO.

55. Qui reipublicae causa abesse, per officium boni ciuis et muneris necessitate abesse videtur.

ARGUMENTVM.

56. Si is, qui fideiussorem dedit, ideo non steterit, quod reipublicae causa abfuit: (ipse excusatur: (L. 2. tit. 9. §. 15.) iniquum est, fideiussorem ob alium necessitate sistendi obligatum esse, cum ipsi liberum esset, non sistere. *L. 6. b.* Nam fideiussori omne prodesse debet, quod iure et qualitate obligationis ipsi reo principali prodest. (§. 39.)

*Cai. L. 1. ad
L. 12. Tab.
L. 6.*

DEFINITIO.

57. Reipublicae causa abesse dicitur, qui propter curationem muneris Reipublicae non adest.

OBSERVATIO.

58. Nemini nisi cui negotia reipublicae concredebantur: vel propter dignitatem, vel propter fidei et communis foederis vinculum. (L. 1. tit. 1. §. 313.) Sed nec cui proletario aut capite censo particula reipublicae committebatur. *IULIVS PAVLVS poeta apud A. Gellium L. 16. c. 10. Sed quoniam res pecuniarumque familiaris obsidis vicem pignorisque esse apud rempublicam videbatur, amorisque in patriam fides quaedam in ea firmamentumque erat: neque proletarii, neque capite censi milites, nisi in tumultu scribebantur: quia familia pecuniarumque his aut tepuis aut nulla esset. LIPSIVS de militia Roman. L. 1. Dial. 2.*

POSITIO.

59. Seruus reipublicae causa abesse nequit.

PROBATIO.

Seruus non est ciuis, sed iure ciuili nullus, (L. 2. tit. 7. §. 10.) quare munus reipublicae curare nequit. (§. 58.) quoniam vero reipublicae causa abesse nequit, qui munus reipublicae curare non potest, (§. 57.) ideo seruus reipublicae causa abesse nequit.

ANNOTATIO.

60. Si quis seruum (ex causa noxali) in iudicio sisti promiserit, vel alium, qui in aliena potestate est, iisdem exceptionibus utitur, quibus, si pro libero, vel patrefamilias fideiussit: (scilicet transacti negotii (§. 7.) valetudinis, tempestatis, (§. 12.) detentionis per magistratum, (§. 20.) vinculorum, (§. 31.) fugae poenae capitalis (§. 23.) &c.) praeterquam si reipublicae causa abesse diceretur seruus: nam seruus reipublicae causa abesse non potest. (§. 59.) Hac ergo exceptione: seruum reipublicae causa abesse: uti non potuit.) Praeter hanc autem exceptionem caeterae, quia communes sunt, tam in libero homine quam in seruo, locum habent. *L. 7. b.*

*Paul. L. 69,
ad Ed.
L. 7.*

ARGUMENTVM.

*Cai. L. 29. ad
Ed. prou.
L. 8.*

61. Aut si post tres aut quinque, pluresue dies, quam iudicio sisti se reus promissit, secum agendi potestatem fecerit, nec actoris ius ex mora deterius factum sit: consequens est dici, defendi eum debere per exceptionem. *L. 8. b.* (scilicet doli: quoniam actor re sua integra poenam quanti damnum suum sit, iniquo lucro suo petit. (L. 2. tit. 10. §. 5.)

POSITIO.

*Vlp. L. 77. ad
Ed.
L. 9.*

62. Si seruus iudicio se sisti promittat, non committitur stipulatio, neque in eum, neque in fideiussores eius. *L. 9. pr. b.*

PROBATIO.

Stipulatio ab eo facta, qui iure ciuili obligari nequit, ipso iure nulla est, (L. 1. tit. 7. §. 35. 36.) L. 2. tit. 7. §. 10.) adeoque in vim effectus non absoluitur, id est, non committitur, (L. 1. tit. 1. §. 205. 206.) cum sit nonens, (L. 1. tit. 1. §. 216.) huiusmodi autem est serui promissio stipulatione facta. (L. 2. tit. 7. §. 10.) Igitur, si seruus iudicio se sisti promissit, stipulatio in eum non committitur: neque etiam in fideiussores, qui succedunt in idem ius debiti, quod debitoris principalis est. L. 2. tit. 2. §. 16.)

ARGUMENTVM.

§. 1.

63. Si plurium seruorum nomine, iudicio sistendi causa, vna stipulatione promittatur, poenam quidem integram committi, licet vnus status non est, Labeo ait: quia verum sit, omnes status non esse. (stricto iure stipulationis.) §. 49.) verum, si pro rata vnus offeratur poena, exceptione doli vsurum eum, qui ex hac stipulatione conuenitur. *L. 9. §. 1. b.* Nam quod poenam omnium petit, etiam horum, quos noxae acciperet, iniquo lucro petit: inde autem doli exceptio nascitur. (L. 2. tit. 10. §. 5.)

ARGUMENTVM.

*Paul. L. 1. ad
Plaut.
L. 10.*

64. Si eum iudicio sisti promissero, qui iam tempore liberatus esse dicebatur: (nondum certo probabatur) quia iam actione forte non tenebatur, (quae tempore periisse perhibebatur) actio (ex stipulatu) in me danda est: vt vel exhibeam eum: (non ad poenam: quia forte stipulatio perempta actione et cessante iudicio committi non potuit. (§. 62. 5.) vel defendam: (quod perhibeo, extinctam esse actionem) vt veritas inquiratur. *L. 10. pr. b.* Eo ipso defensorem absentis me gero, (L. 2. tit. 8. §. 103.) quia exceptionem deficientis actionis allego: quam ergo probare cogor, nisi reum ipsum sistam.

ARGUMENTVM.

§. 1.

65. Homo sisti promissus, ante diem (quo sisti debebat) dolo promissoris perit. Certo iure vtimur, non ante poenam peti posse, quam dies venerit: tota enim stipulatio in diem collata videtur. *L. 10. §. 1. b.* Equidem certum est, eo die veniente, quo sisti promissus est, peremptum sisti non posse. Efficit tamen ius strictum stipulationis, (§. 29.) vt eius verbis presse inhaereatur: (L. 2. tit. 6. §. 8.) ne cedente adhuc die petatur.

ARGV-

A R G V M E N T V M.

66. Quoniam existimatio, libertas, dignitas, non in bonis sunt, sed personae cohaerent, actio iniuriarum ex causa personalis est.

P O S I T I O.

67. Iniuriarum acturus stipulatus sum, vt reus iudicio sistat: si commissâ stipulatione morior, non competit haeredi meo ex stipulatu actio.

P R O B A T I O.

Aduersarius meus promisit iudicio sisti, dum iniuriarum acturus eram: ergo promisit ob causam personalem, (§. 66.) quae ad haereditatem meam nec natura sua transit, (L. 2. tit. 3. §. 25.) nec per litis contestationem, quae non facta est. (L. 2. tit. 3. §. 9.) Cum itaque iudicio iniuriarum me mortuo cessante, iudicio sisti non debeat, (§. 6.) certum est, quod actio ex stipulatu non detur haeredi.

A N N O T A T I O.

68. Hoc ait Paulus: Qui iniuriarum acturus est, stipulatus erat ante litem contestatam, vt aduersarius suus iudicio sistat: commissâ stipulatione mortuus est: non competere haeredi eius ex stipulatu actionem placuit, quia tales stipulationes propter rem ipsam (interesse bonorum) darentur. Iniuriarum autem actio haeredi non competit. Quamuis enim haec stipulatio iudicio sistendi causa facta ad haereditatem transeat, (si ex causa bonorum laesorum est,) tamen in hac causa danda non est. Nam et defunctus, si vellet omissa iniuriarum actione, ex stipulatu agere, non permetteretur (ei). L. 10. §. 2. b. (§. 67.)

§. 2.

A N N O T A T I O.

69. Idem dicendum esse, et si is, cum quo iniuriarum agere volebam, stipulatione tali commissâ decesserit. Nam non competit mihi aduersus haereditatem (eius) ex stipulatu actio. Et hoc Iulianus scribit. Secundum quod, et si fideiussores dati erunt, minime in eos dabitur actio mortuo reo. L. 10. §. 2. b. (§. 67.)

A R G V M E N T V M.

70. Si fideiussores moram sistendi fecerunt, casum, quod post moram sistere non possunt, culpa eorum praecedens informauit. (L. 1. tit. 1. §. 84.) Idem Pomponius, si non post longum tempus decesserit: quia si ad iudicem venisset, litem cum eo actor contestari potuisset. L. 10. §. 2. b.

A R G V M E N T V M.

71. Si quis quendam in iudicio sisti promiserit, in eadem causa eum debet sistere. L. 11. b. Aliter enim eundem non sisteret, quem promiserat.

Vlp. L. 47. ad Sab. L. 11.

A N N O T A T I O.

72. In eadem autem causa sistere hoc est, (ita) sistere, vt actori persecutio loco deteriori non sit. (L. 2. tit. 9. §. 1.) Equidem in eadem causa non sistitur, qui in meliori causa respectu litis sistitur. Attamen deterior petitionis causa hic saltem attenditur, vbi stipulatio in rem, in id quod interest

est et in detrimentum bonorum constituta est. (§. 43.) Melior causa nihil variat.) Quamvis exactio rei possit esse difficilior, (exactio rei et causa personae diuersa sunt, et stipulationis verbis stricte inhaerendum est. (L. 2. tit. 6. §. 8.) tamen dicendum est; videri in eadem causa eum stetisse. Nam et si nouum aes alienum contraxisset, vel pecuniam perdidisset, videtur tamen in eadem causa stetisse. Ergo et qui alii iudicatus sistitur, in eadem causa stare videtur. *L. 11. b.*

ARGUMENTVM.

Paul. L. 11. ad Sab.

L. 12.

73. Qui autem nouo priuilegio utitur, (exceptione fori vel alio persequendi conditioni derogante) non videtur in eadem causa sisti, *L. 12. pr. b.* Nam priuilegium personae rei adhaeret, et est causa. (L. 1. tit. 1. §. 227.)

ARGUMENTVM.

§. 1.

74. Illud tenendum est, quod aestimationem eius, quod interfit agentis, ad illud tempus referendum est, quo sisti debuit: (quia tum poena stipulationis committitur) non ad id, quo agitur: quamvis (interea) desierit interesse. *L. 12. §. 1. b.* Petitor ex eo, quod tempore commissae stipulationis sua interfuit, poenam aestimat et petit, stricte iure. Quod tamen salua sit reo exceptio doli, supra abunde demonstratum est.

ANNOTATIO.

Julian. L. 55.

Dig.

L. 13.

75. Quotiens seruus iudicio sistendi causa, vt ipse litigaturus, vel ab alio stipulatur, vel ipse promittit: nec committitur stipulatio, nec fideiussores tenentur: quia seruus conueniri vel conuenire non potest: *L. 13. b. (§. 62.)*

ANNOTATIO.

Nerat. L. 2.

Membr.

L. 14.

76. Si procurator ita stipulatus (est) vt sistat duntaxat eum, quem stipularetur, non etiam poenam, si status non esset, stipularetur: prope modum nullius momenti est ea stipulatio, quia procuratoris, quod ad ipsius vtilitatem pertinet, nihil interest sisti. (nam ante litem contestatam dominus litis nondum est: (L. 2. tit. 3. §. 9.) Sed cum alienum negotium in stipulando egerit, (L. 1. tit. 19. §. 6.) potest defendi, non procuratoris, sed eius, cuius negotium gesserit, vtilitatem in ea re spectandam esse: vt quantum domini litis interfuit sisti, tantum ex ea stipulatione non stato reo, procuratori debeatur. *L. 14. b.* Nam id egisse partes praesumuntur, vt verba effectus sequatur. (L. 1. tit. 1. §. 237.)

ANNOTATIO.

77. Eadem et fortius adhuc dici possunt, si procurator ita stipulatus esset: Quanti ea res erit: (his verbis, quanti cuiuscunque intererit: comprehenditur id, quod domini interest) vt hanc conceptionem verborum, non ad ipsius sed ad domini vtilitatem relata interpretemur. *L. 14. b.* Nam verba gestionis, quae stricti iuris est, interpretationem recipiunt, vbi sensus eruendus est, (L. 1. tit. 1. §. 233) licet non extensiuam. (L. 2. tit. 6. §. 8.)

OBSER-

OBSERVATIO.

78. Sui et necessarij haeredes, haereditatem ipso iure acquirunt, sed Praetor suis dedit beneficium abstinendi.

DEFINITIO.

79. Actio iudicati est postulatio victoris in causa contra condemnatum litem auctorem, in id quod iudicatum fuit.

ARGUMENTVM.

80. Ergo in tutorem finita tutela non datur actio iudicati: quia tantum resolutiue auctor litem est, qui officij ratione litem suscipere cogebatur.

ARGUMENTVM.

81. Si tutor iudicio sibi promiserit, et stipulationi non obtemperauerit, et interea pupillus adoleuerit, aut mortem obierit, aut etiam absentus sit haereditate, (§. 77.) denegabitur ex stipulatu actio. Nam et ipsius rei, quae petebatur, si tutor iudicatus fuerit, et eorum quid acciderit, non esse dandam in eum actionem iudicati (§. 79.) probatum est. *L. 15. b.* Quando pupillus haereditate absentus est, cum tutor a creditore haereditatis conuentus iudicio sibi promiserat, controuersia et iudicium cessat, et comparandum non fuit tutori. (§. 6.)

DE FERIIS ET DILATIONIBVS ET
DIVERSIS TEMPORIBVS.

TITVLVS XII.

DEFINITIO.

1. Ferae sunt tempus publicae occupationi vel quae moram non patitur, destinatum, quo vacatio ab actibus iudicialibus conceditur.

OBSERVATIO.

2. Ne quis messium vindemiarumque tempore aduersarium cogat ad iudicium venire, oratione Diui Marci exprimitur: quia occupati circa rem rusticam, in forum compellendi non sunt. *L. 1. pr. b.* Messis et vindemia moram vix patiuntur, et serias largiuntur a litibus.

*Vlp. L. 4. de
omn. tribus.
L. 1.*

ARGUMENTVM.

3. Sed si praetor aut per ignorantiam vel socordiam euocare eos (qui eiusmodi opere rustico occupati sunt) perseuerauerit, hique sponte venerint, si quidem sententiam dixerit praesentibus illis, (ne contra absentes inuitos lata, videatur,) et sponte litigantibus sententia valebit. *L. 1. §. 1. b.* Nam fauori feriarum renunciare possunt litigantes. (*L. 1. tit. 1. §. 199.*)

§. 1.

ANNO-

A N N O T A T I O.

4. Tametsi non recte fecerit, qui eos euocarit. *L. 1. §. 1. b.* Quod prius non recte fecerat praetor, prorogatione iurisdictionis ultra priuilegium ratum factum est. (*L. 2. tit. 1. §. 63.*)

D E F I N I T I O.

5. Sententia est decisio litis secundum id, quod iudex causa cognita litigatoribus praesentibus pro iusto enunciauerit.

A R G V M E N T V M.

6. Absens per contumaciam habetur pro praesente. (*L. 2. tit. 9. §. 9.*)

A R G V M E N T V M.

7. Sin vero, cum abesse perseuerauerint, sententiam protulerit etiam absentibus illis, consequens erit dicere, sententiam nullius esse momenti. (Cum contumaces non sint, qui iure suo non comparent: neque pro praesentibus habendi. (*L. 2. tit. 9. §. 9.*) Neque enim praetoris factum iuri derogare oportet. *L. 1. §. 1. b.* (*L. 1. tit. 1. §. 201.*)

R E G V L A.

8. Quod ipso iure nullum est, non opus habet vt infirmetur facto.

A R G V M E N T V M.

9. (Et) citra appellationem igitur sententia infirmabitur. *L. 1. §. 1. b. §. 8.*

R E G V L A.

10. Ius singulare cedere debet publicae salutis, nec vergere in iniuriam alterius.

A R G V M E N T V M.

§. 2.

11. Sed excipiuntur certae causae, ex quibus cogi poterimus et per id temporis, cum messes vindemiaeque sunt, ad praetores venire. Scilicet si res tempore peritura sit: hoc est, si dilatio actionem sit peremptura. *L. 1. §. 2. b.*

A N N O T A T I O.

12. Quid ergo: si messis inoram non patitur, (§. 1.) neque etiam actio, quodnam deteriore loco est, aequiponderante vtriusque ratione? Sane, quotiens res vrget, cogendi quidem sumus ad praetorem venire: verum ad hoc tantum cogi aequum est, vt lis contestetur: at ita ipsis verbis orationis exprimitur. Denique alterutro recusante post litem contestatam litigare, dilationem oratio concessit. *L. 1. §. 2. b.* Nam litis contestatione perpetuatur actio. (*L. 2. tit. 3. §. 9.* Eadem oratione Diuus Marcus in senatu recitata effecit, de aliis speciebus praetorem adiri etiam diebus feriatis: vt puta vt tutores aut curatores dentur: vt officii admoneantur cessantes, excusationes allegentur, alimenta constituantur, aetates probentur, ventris nomine in possessionem mittatur, vel rei seruandae causa, vel legatorum fideiue commissorum, vel damni infecti: item de testamentis exhibendis, vt curator detur bonorum eius, qui an haeres exstaturus sit, incertum est: aut de alendis liberis, pa-

Il. L. 5. ad

Ed.

L. 2.

rentibus, patronis: aut de adeunda suspecta haereditate: aut vt adpectu atrox iniuria aestimetur, vel fidei commissaria libertas praestanda. *L. 2. b.* Haec moram non ferunt, nec feriarum finem expectant. De aetate probanda causa moram non ferebat, dum, qui annis 25. esse negabatur, negotia sua gerere impediatur: vnde damnum ingens metui poterat. *PLAVTVS Rudente Actu 4. Sc. 3. v. 24.*

*cedo, qui cum habeam iudicem:
Ni dolo malo instipulatus
sis: niue etiam dum sem
Quinque et viginti natus annor.*

A R G V M E N T V M.

13. Solet etiam messis vindemiarumque tempore ius dici (de) rebus, quae tempore vel morte periturae sunt: morte, veluti furti, damni, iniuriae, iniuriarum atrocium, qui de incendio, ruina, naufragio, rate naue expugnata rapuisse dicuntur: et si quae similes sunt. (Horum delictorum actiones morte delinquentium extinguuntur, nec in haeredes dantur. (*L. 2. tit. 3. §. 25.*) *L. 1. tit. 1. §. 70.*) Item, si res tempore periturae sunt, aut actionis dies exiturus (est). *L. 3. pr. b.*

*Id. L. 2. ad.
Ed.
L. 3.*

A R G V M E N T V M.

14. Status libertatis naturae magis conueniens est. (*L. 1. tit. 1. §. 320.*) Ideo libertatis summus fauor in iure Romano habitus est.

A R G V M E N T V M.

15. Ergo: Liberalia quoque iudicia omni tempore finiuntur. *L. 3. §. 1. b.*

§. 1.

A N N O T A T I O.

16. An nundinae feriae sint, apud antiquos varie disputatum fuit. Ferias quidam esse contenderunt, quia rusticis operibus quasi vacationem darent, vt ciues rure degentes, in urbem conuenire atque mercari possint. *FESTVS. PAVLVVS DIAC. v. Nundinae. MACROBIVS. Saturnal. L. 1. c. 16. VALERIVS MAX. L. 7. c. 6.* Praetores in prouinciis nundinas indicebant. *SIGONIVS de ant. Iure Ital. L. 2. c. 15.* In rem autem praesentem potissimum facit, quod Macrobius citato loco refert, nundinas institutas esse, vt in urbem ex agris conuenirent homines urbanas rusticasque res ordinaturi, aut vt Seruio Tullio parentarent, aut vt leges acciperent, vel magistratum Candidatos viderent. Obibant isti Candidati concionem, fauorem populi sibi conciliaturi: qua occasione suffragia interdum mercabantur pretioque redimebant: hinc crimen Ambitus dictum. Sic *LIVIVS L. 7.* docet: *Caio Petilio Tribuno plebis, auctoribus patribus, tum primum ad populum latum esse: eaque rogatione novorum maxime hominum ambitum, qui nundinas et conciliabula obire soliti erant, compressum.* Nundinari dicebatur, qui in conuentu hominum aliquid accipiebat donatum. *SVETONIVS in Tito c. 7.* *Suspecta et rapacitas; quod constabat in concionibus patriis nundinari praemiarique solitum.* Idem *CICERO L. 2. in Verrem* ait: *Pueri annorum senum septenumque decem senatorum*

rium nomen nundinati sunt. Sequentem textum de his interpretari conuenit, qui largitionibus et ambitu suffragium vendiderant. Ambitus crimen publicum erat; et contra publicam utilitatem faciebat, qui propter lucrum priuatum rei publicae indignum vel nocentem magistratum dabat.

ARGUMENTVM.

- §. 2. 17. Item in eum, qui quid nundinarum nomine aduersus communem utilitatem acceperit, omni tempore ius dicitur. *L. 3. §. 2. b.*

ANNOTATIO.

Paul. L. 1. ad Ed. L. 4. 18. Praefides prouinciarum ex consuetudine cuiusque loci solent messis vindemiarumque causa tempus statuere. *L. 4. b.*

ANNOTATIO.

Vlp. L. 62. ad Ed. L. 5. 19. Pridie Kalendas Ianuarias magistratus neque ius dicere, sed nec sui potestatem facere consuerunt. *L. 5. b.* Kalendis Ianuariis magistratus noui potestatem ingrediebantur. *L. 36. pr. ff. De condit. et Demonstr. CICERO L. 2. in Verr. Si finem edicto praetoris afferunt Kalendae Ianuariae, cur non initium quoque edicti nascitur a Kalendis Ianuariis.*

ARGUMENTVM.

Id. L. 77. ad Ed. L. 6. 20. Si feriatis diebus fuerit iudicatum, lege cautum est, ne his diebus iudicium sit, (§. 7.) nisi ex voluntate partium. *L. 6. b. (§. 3.)*

ARGUMENTVM.

21. Et quod aliter aduersus ea iudicatum erit, ne quis iudicatum facere, neue soluere debeat: neue quis, ea de re in ius aditum erit, iudicatum facere cogat. *L. 6. b.* Quia sententia nullius momenti est, (§. 7.) nec ullus eius effectus. (*L. 1. tit. 1. §. 216.*)

DEFINITIO.

22. Dilatio est eius, quod litigantes statuto tempore facere debebant, in aliud tempus reiectio a iudice ex causa indulta.

ANNOTATIO.

Id. L. 1. De off. Conf. L. 7. 23. Oratione quidem Diui Marci amplius quam semel non esse dandam instrumentorum (inquirendorum et exhibendorum) dilationem, expressum est. Sed utilitatis litigantium gratia causa cognita et iterum dilatio tam ex eadem quam ex alia prouincia, secundum moderamen locorum impertiri solet: et maxime, si aliquid inopinatum emergat. Illud videndum: si defunctus acceperit aliquam dilationem propter instrumenta, an successori quoque eius dari debeat: an vero, quia iam data est, amplius dari non possit: et magis est, ut et hic causa cognita dari debeat. *L. 7. b.* Dilatio enim ex causa indulgetur: (§. 22.) Et oratio Imperatoris tergiuersantibus dicta in odium innocentium trahenda non est. (*L. 1. tit. 1. §. 26.*)

OBSERVATIO.

Id. L. 23. ad Sab. L. 8. 24. More Romano dies a media nocte incipit, et sequentis noctis media parte finitur. *L. 8. b.*

A N N O T A T I O.

25. Ritus et necessitas auspiciorum hos diei terminos suasit. Magistratus maiores rerum agendarum auspicia sumebant. Eadem autem die et auspican- dum et negotium inchoandum erat. Inde post mediam noctem auspicabantur, et post exortum solem agebant: auspicatique esse et egisse eodem die diceban- tur. Ita decrefcentis noctis tempus diei principium statuerunt, decrefcentis vero diei spatium eius sequelam et appendicem. Hinc ratio diei apud Roma- nos, quae civilis erat. A. GELLIVS *L. 3. c. 2.* MACROBIVS *Saturn. L. 1. c. 3.* Auspicia maiora erant, quibus templum maius definiebatur per augures. Templum erat districtus conspiciōne id est, prospectu auguris terminis tentis vt arboribus aliisue, qua prospectum finiebat, definitus. Haec auspicia Consul- is, Praetoris et Censoris fuere: minora, angustioris templi reliquorum ma- gistratum fuerunt. RAEVARDVS *Coniectancor. L. 1. c. 1.* Videatur Diss. I. J. MASCOV. *De iure Auspicii.* Cauendum autem, ne omina cum Auspiciis confundantur.

A R G V M E N T V M.

26. Itaque, quidquid in his viginti quatuor horis, id est, duabus dimidiatis noctibus et luce media, actum est, perinde est, qua- si quavis hora lucis actum esset. *L. 8. b.*

A R G V M E N T V M.

27. Diuus Traianus Minitio Natali rescriptit, ferias a forensibus tantum negotiis dare vacationem: ea autem, quae ad disciplinam mili- tarem pertinent, etiam feriatis diebus peragenda: inter quae etiam custodiarum cognitionem esse. *L. 9. b.*

*Vlp L. 7.
de off. Pro-
conf.
L. 9. b.*

A N N O T A T I O.

28. Custodiarum cognitio est de prehensione et vinculis delinquentium.

R E G V L A.

29. Reipublicae interest lites finiri.

A R G V M E N T V M.

30. In pecuniariis caussis omnis dilatio singulis caussis plus semel tribui non potest. *L. 10. b.*

*Paul. L. 5.
Sent.
L. 10.*

R E G V L A.

31. Res maioris momenti et irreparabilis damni maiorem circumspetio- nem et curam requirunt.

A R G V M E N T V M.

32. In capitalibus autem reo tres dilationes accusatori duae dari possunt. *L. 10. b.*

A N N O T A T I O.

33. Pro reo defensionis fauor tres dilationes suasit. Accusatoris quoque causa periculi plena est, propter inscriptionem nominis: et nisi vicisset aut abolitio- nem impetrasset, talis imminabat: capitales autem caussae et illae erant, quae famam in discrimen deducebant. CICERO *pro Caccina.*



DE EDENDO.

TITVLVS. XIII.

DEFINITIO.

1. Agere, est rationibus coram iudice aduersus reum defendentem contendere.

ARGVMENTVM.

Vsp. I. 4. ad
Ed.
L. 1.

2. Quia reis defensionis parandae spatium concedendum est ad praemeditandum: proinde, Qua quisque actione agere volet, eam edere debet. Nam aequissimum videtur, eum qui acturus est, edere actionem, vt proinde sciat reus, vtrum cedere, an contendere ultra debeat: et si contendendum putat, veniat instructus ad agendum, cognita actione, qua conueniatur. *L. 1. pr. b.*

DEFINITIO.

3. Edere, est totam litem futuram eiusque fundamenta in albo praetoris et ex instrumentis reo ignoranti commonstrare.

ANNOTATIO.

4. De albo praetoris dictum supra (*L. 2. tit. 1. §. 19.*)

ANNOTATIO.

§. 1.)

5. Edere (instrumenta) est etiam copiam describendi facere, vel in libello complecti et dare, vel dictare. Eum quoque edere Labeo ait, qui producat aduersarium suum ad album, et demonstret, quod dictaturus est, vel id dicendo, quo vti velit. *L. 1. §. 1. b.* CICERO *pro Caecina. p. 358.* ad hunc edendi morem alludit, verbis: *quo denique digitum proferat.* Credibile est, ipso textu suadente, aut cum in ius venerit actor cum reo vocato, et satisdederit reus iudicio fisci, editionem actionis factam esse. Aliter sentit SCHILTERVS *Exercit. 7. §. 22.* RAEVARDVM secutus *Protribunalium c. 4.* qui edendi morem Plauti aevo incognitum fuisse autumat, ex loco *Persae: Actu 4. sc. 9.* Forsan putauit reum festinatione oppressum fuisse, cum tamen eidem ex comperendinatione tridui spatium datum esset.

ANNOTATIO.

6. Dubitatur, vtrum in edendo nomen actionis olim exprimere necesse fuerit. Si meminerit, processum apud Romanos formularem fuisse, dubitatio tollitur. Quare formula cognita, vel edicti tenore (*L. 2. tit. 1. §. 19.*) nominatione actionis praecise opus non fuit. Neque tamen dici potest, actionem nunquam nominatam fuisse.

REGVLA.

7. Vbi est periculum laesionis, ibi opus est remedio cautionis.

ARGVMENTVM.

§. 2.)

8. Editiones (instrumentorum) sine die et consule fieri debent: ne quid excogitetur e die et consule, et praelato die fiat. Diem autem et consulem excipit praetor, quo instrumentum conscriptum est, non in

in quem solutio concepta est: nam dies solutionis, sicuti summa, est pars stipulationis. *L. 1. §. 2. b.* pertinet ad fundamentum intentionis.

A N N O T A T I O.

9. Alii legunt: *pro lato die*: Puto idem esse, quod edito die: quidquid alii obscuritatis in hac voce quaesitarint.

A N N O T A T I O.

10. Rationes tamen cum die et consule edi debent: quoniam accepta et data non alias possunt apparere, nisi dies et consul fuerit editus. *L. 1. §. 2. b.*

A R G V M E N T V M.

11. Edenda sunt omnia, quae quis apud iudicem editurus est. §. 3. *L. 1. §. 3. b.* Nam totius litis fundamentum aperiendum est. (§. 3.)

A R G V M E N T V M.

12. Non tamen, ut et instrumenta, quibus quis usurus non est, compellatur aedere. *L. 1. §. 3. b.* Siquidem in his fundamentum intentionis non ponit actor.

A R G V M E N T V M.

13. Edere non videtur, qui stipulationem totam non edit. *L. 1. §. 4. b.* Fundat enim actor intentionem in integro stipulationis instrumento. (§. II.) §. 4.

A R G V M E N T V M.

14. Eis, qui ob aetatem, vel rusticitatem, vel ob sexum lapsi non ediderunt, vel ex alia iusta causa, subuenietur. *L. 1. §. 5. b.* (*L. 1. tit. 1. §. 73.*) His enim personis iura ignorantibus ignoscendum est. §. 5.

A R G V M E N T V M.

15. Si legatum petatur, non iubet praetor (legatum actorem) verba testamenti (haeredi) edere: ideo fortasse, quia haeredes solent habere exemplum testamenti. *L. 2. b.* nam haec esset calumnia. (*L. 2. tit. 7. §. 17.*) *Paul. L. 3. ad Ed. L. 2.*

A N N O T A T I O.

16. Senatus censuit, ne quisquam eorum, a quibus quid fisco petetur, alia instrumenta delatori cogatur edere, quam quae ad eam causam pertinerent, ex qua se deserre professus esset. *L. 3. b.* Reo regulariter editur. (§. 3.) Filici tamen fauor et ius exorbitans fecit, ut ei reus edere cogatur. Domitiani cupiditas omnes aequitatis terminos transgressa fuit. SVETONIVS *in Domitiano*. PLINIVS *in Panegy. Traiani*. Omnem delatorum, quadruplatorum, indicum, emissariorum familiam sustulerat Vespasianus; SVETONIVS *in Vespasiano*. Eius licentiam Traianus forte oratione cohibendam suavit, quae senatus-consulto occasionem praebuit. *Mauric. L. 2. de Poen. L. 3.*

R E G V L A.

17. Aequum est, meum mihi exhiberi et edi.

DEFINITIO.

18. Argentarius est persona ministerii, quod reipublicae praestat, recipiendis fide publica pecuniis, eisdemque soluendis, elocandis, conficiendis harum rationibus vacans.

ANNOTATIO.

19. Publicum ministerium hoc sensu capio, quod dicitur in *L. 10. §. 1. h. t.* Sed et tabernas argentarias in loco publico, nempe in foro fuisse constat: vsus autem priuatorum erat. *L. 32. ff. De contrah. Emt. et Vend. PLAVTVS in Asinar. Act. 1. Sc. 1. in fine:*

*Sed quid ego cesso ire ad forum, quod incoeperam?
Ibo, atque ibi manebo apud argentarium.*

LIVIVS L. 26. *Inuentum Romae emtorem, ut extemplo vocato praecone tabernas argentarias, quae circa forum Romanum tunc essent, iusserit venire.* Iidem et mensarii et Mensularii dicti. Pecunia apud hos praecipue foenori accipiebatur. *L. 26. §. 1. C. de Vfur.* De argentariis non incommode intelligi poterit **CICERO pro Caecina:** ubi officii eorum bonam partem describit. Secundum ibi tradita oportet, argentarios adfuisse vel praefuisse tabulis auctionum: pecunias coegisse ab his, quibus res addicebatur: confecisse eos tabulas rationum, in quibus emtum addictum emtori expensum ferebatur, solum vicissim pretium acceptum referebatur: tabulas edidisse emtoribus, ut quae publice in foro et concione consecrae fuerant, publicam quoque fidem haberent. Conuenta etiam scriptura argentariorum firmabantur. **CICERO ad Atticum L. 4. epist. ult.** Formulam perscribendi apud argentarium pecuniam, hanc sibi concipit **HOTOMANNVS in Commentationem Pediani ad orationem Cicero- nis contra Verrem de Praectura urbana: Verbis: syngraphas fecerat. Sester- tium XL, Memmii nomine Cn. Domitio Kalendis proximis dabebuntur.** Rescribere, in rationibus significabat reddere per mensae scripturam, quod debebatur. Plerumque de mensa soluere malebat debitor, ut solutionis euidentem et indubiam probationem haberet, vel etiam mutuum de mensa accipere, ut de num- morum probitate securior esset. Creditoris autem nec minus interfuit de mensa dare mutuum, quo debitor debitum non posset negare, quod rationum codex ostendebat. *Add. BRISSONIVS de Form. L. 6. c. 10.* Multa et prae- clara de argentariis obseruat **PANCIROLVS: Thesauro variar. Lect. L. 1. c. 31.**

ARGVMENTVM.

20. Ergo tabulae rationum argentarii, ipsae autem rationes eorum fue- runt, quorum negotium perscriptum fuerat.

ARGVMENTVM.

21. Praetor ait: argentariae mensae exercitores, rationem, quae ad se pertinet, edant adiecto die et consule. *L. 4. pr. b.* Huius edicti aequissima ratio est. Nam cum singulorum rationes argentarii confi- ciant, aequum fuit id quod mei causa confecit, meum quodammodo instrumentum mihi edi. *L. 4. §. 1. b.*

Vlp. L. 4. a. d.

Ed. L. 4.

§. 1.

ARGV-

ARGUMENTVM.

22. Quia peculium quaestui filii permissum est, (L. 2. tit. 4. §. 21.) ipse argentariae peculiariis exercitor est, qui edere iubetur: Igitur et filiusfamilias (argentariam in peculio habens) continetur his verbis, vt vel ipse cogatur edere. L. 4. §. 2. b. §. 2.

DEFINITIO.

23. Actio de peculio est postulatio creditorum peculiarium contra patrem vel dominum peculium permittentem, vt soluat pro viribus peculii.

ARGUMENTVM.

24. Haec actio videri posset realis, quia peculium obaeratum, persequitur: sed magis est personalis, quia venit ex obligatione patris vel domini, qui pro viribus peculii ex permissione peculii tenetur.

DEFINITIO.

25. Actio inlitoria est postulatio aduersus eum, qui inlitorum negotiationi praeposuit, in solidum quod ex contractu praepositi debetur.

DEFINITIO.

26. Actio quod iussu est postulatio contrahentium cum filiofamilias vel seruo iussu patris vel domini contrahente aduersus iubentem, in solidum ex contractu debitum.

DEFINITIO.

27. Actio de in rem verso est postulatio creditorum peculii aduersus dominum vel patrem, in cuius rem creditum versum est, tanquam contra debitorem peculii, ad soluendum debitum peculiare.

DEFINITIO.

28. In rem versum dicitur, quod pater vel dominus ex peculio lucrum facit.

ARGUMENTVM.

29. Quando filiusfamilias iussu patris vel inlitorio nomine argentariam exercet, pater tenetur ad edendum rationes: nam ipse est argentarius. (L. 1. tit. 8. §. 40. 41.)

ARGUMENTVM.

30. An et pater (edere cogatur) quaeritur: Labeo scribit, patrem non cogendum, nisi sciante eo argentaria exercetur. Sed recte Sabinus respondit, tunc id admittendum, (vt pater edere cogatur,) cum patri quaestum refert. L. 4. §. 2. b. Sola scientia patris, quod filius argentariam faciat, patrem non efficit argentarium. Sed si quaestum ipsi refert, constat patrem esse argentarium, et tum quod iussu vel inlitoria conuenitur.

ARGUMENTVM.

31. Sed si seruus argentariam faciat, potest enim (quia priuata negotiatio est, (§. 19.) siquidem voluntate domini (argentariam in peculium concedentis aut iubentis) fecerit: compellendum dominum edere: ac perinde in eum dandum esse iudicium, ac si ipse fecisset. L. 4. §. 3. b. (L. 1. tit. 1. §. 41.) §. 3.

DEFI-

DEFINITIO.

32. Iuramentum Iudiciale est, quod iudex alterutri litigantium imponit.

DEFINITIO.

33. Iuramentum purgatorium est iuramentum iudiciale, quo suspicio purgatur.

ARGUMENTVM.

34. Sed si in seio domino (argentariam) (fecit) satis est dominum iurare (purgare iuramento suspicionem,) eas se rationes non habere. *L. 4. §. 3. b.* ignarus enim, neque ex iussu neque ex praepositione tenetur; nec peculiotenus, quia seruo argentariam in peculium non dederat: quare nec de in rem verso. Hinc saltem ex re, si rationes habet, obligari potuit, et hoc purgare necesse habet.

ARGUMENTVM.

35. Si seruus peculiarem faciat argentariam, dominus de peculio, vel de in rem verso tenetur. *L. 4. §. 3. b.* Nam seruus prorsus conueniri nequit. (*L. 2. tit. 7. §. 10. II.*) *L. 2. tit. II. §. 74.*)

ARGUMENTVM.

36. Sed si dominus habet rationes, nec edit, in solidum tenetur. *L. 4. §. 3. b.* Non conuenitur actione de peculio, qua tantum peculiotenus soluere cogitur, neque actione de in rem verso, per quam tantum conueniretur, quantum in rem versum est: sed actione in factum, ad id quod interest actoris, cum non edidisse. (*L. 2. tit. 7. §. 23.*)

ARGUMENTVM.

37. Rationes eius sunt, cuius causa confectae sunt, (§. 21.) et lucrum facti habet, qui a meo me prohibet, vnde in factum tenetur, (*L. 2. tit. 7. §. 23.*) quare Etiam is, qui desit argentariam facere, ad editionem compellitur. *L. 4. §. 4. b.*

ARGUMENTVM.

38. Sed ibi quis compellitur edere, vbi argentariam exercuit. Et hoc est constitutum; Quod si instrumentum argentariae in alia prouincia haberet, in alia administrauerit; ibi puto cogendum edere (sumtibus suis) vbi argentariam exercuit. Hoc enim primum deliquit, (constitutionem Principis transgressus est,) quod alio instrumentum transtulit. *L. 4. §. 5. b.*

ANNOTATIO.

39. E contrario, Quod si in alio loco argentariam exercet, alibi autem ad editionem compelletur, minime hoc facere cogitur: nisi descriptum velis, vbi de ea re agitur, eum tibi dare, tuis videlicet sumtibus. *L. 4. §. 5. b.* Spatiumque ad perferendum eas tribuendum est. *L. 5. b.*

*Paul. L. 3.
ad Ed.
L. 5.*

OBSERVATIO.

40. Horrea Romae publica erant per regiones Urbis distributa, adseruando publico frumento, item vino condendo destinata. BRISSONIVS *Antiqu.* *L. 4.*

L. 4. c. 18. Eadem erant, quae et insulae appellabantur, de quibus supra dictum: (L. 1. tit. 15. §. 2.) Hic saltem Apuleii locum ibi citatum referre, operae pretium duco: *Cum vi patefactis aedibus globus latronum inuadit omnia, et singula domus membra cingit armata factio, et auxiliis hinc inde conuolantibus obstitit occurfus hostilis. Cuncti gladiis et facibus instructi noctem illuminant. Coruscat in modum ortiui solis ignis et mucro. Tunc horreum quoddam satis validis claustris obseptum obsecratumque, quod mediis aedibus constitutum gazis Milonis fuerat refertum, securibus validis adgressi, diffidunt: quo passim recluso, totas opes vehunt.* Domini horrea haec obsignabant. LAURENTIUS Polymathia L. 1. Dissert. 2.

OBSERVATIO.

41. De Romanorum habitationibus in hortis villisque ita obseruauit BRISSONIVS L. 3. Antiq. c. 13. *Habentur, inquit, in L. 5. §. 3. ff. De iniur. haec verba: Quod si quis in villa habitet vel in hortis: quibus admonemur, veteres in hortis habitationes habuisse: quod et l. pen. ff. De donat. inter V. et Vx. ostendit. Et TACITVS L. 16. Tuin ad Thraseam, ait, in hortis agentem Quaestor Consulis missus vesperscente iam die. SVETONIVS in Claudio c. 5. Tunc demum abiecta spe dignitatis ad otium concessit: modo in hortis et suburbano, modo in Campaniae secessu delitescens. ASCONIVS in Milonia: de Pompeio: Plerumque non domi suae, sed in hortis manebat. Qua de causa mirum nemini videbitur, quod de penu in hortis condita legitur in Lege 4. §. vlt. ff. De penu leg. In qua lege praeterea hoc notandum censco, quod ait: sed et si in in hortis sit vrbi iunctis: nam extra Urbem Romanorum horti erant, ut Cicero libro 12. Epist. ad Atticum indicat: cum de horti emtione idcirco cogitare scribit: ut ne Romae in turba sit, et ne ab Vrbe absit. Etenim, qui in hortis erant, abesse, dum in continentibus urbis essent, non videbantur; secundum definitionem Legis 199. ff. De V. S. immo praesentes eos haberi, diserte traditur in lege 5. ff. De procurat. Caeterum, quae in hortis ponebantur aedificia, voluptuaria erant, et amoenitatis gratia exstructa: in quae sui colligendi causa Romani secedebant. Atque has amoenas hortorum habitationes dietas appellabant: ut in d. l. penult. §. 1. ff. De penu leg. L. 43. §. 1. ff. De Leg. i. L. 13. §. vlt. ff. De vsufr. L. 41. §. 1. ff. De Legatis. 3. et apud Plinium L. 2. Epist. ad Gallum, quae et visitata Graecis commutatione Zetae dicuntur a Lampridio in Heliogabalo duobus locis.*

ANNOTATIO.

42. Si quis ex argentariis, ut plerique eorum, in villa habeat instrumentum, vel in horreo, (forte etiam in horto) aut ad locum te perducet, aut descriptas rationes dabit. L. 6. pr. b. Nulla argentarii culpa hic taxatur, dum solito more rationes adseruat. (L. 1. tit. 1. §. 80.)

Vip. L. 4. ad Ed. L. 6.

ARGUMENTVM.

43. Dominium est ius reale, quia ipsa res ex facto occupationis affecta, qualitatem contraxit. L. 1. tit. 1. §. 187.) L. 2. tit. 3. §. 23.)

A R G V M E N T V M.

§. 1.

44. Cogentur et successores argentarii edere rationes. (quia rationes ipsorum sunt, quorum gratia confectae sunt (§. 21.) ex iure in re quilibet possessor ipsis edere obligatur: vtut non ex edicto. (L. 2. tit. 3. §. 26.) Quod si plures sunt haeredes, et vnus habeat, solus ad editionem compellitur. L. 6. §. 1. b.

A N N O T A T I O.

45. Sed si omnes habeant, et vnus ediderit, omnes ad editionem compellendi sunt. (vt ex collatione plurium codicum de fide instrumenti constat.) Quid enim si humilis et deploratus vnus edidit, vt dubitare quis merito de fide editionis possit; vt igitur comparari rationes possint, etiam caeteri edere debent, aut certe vnus editioni subscribere. L. 6. §. 1. b. Subscriptio reliquorum fidem faciet, instrumenta omnia concordare, cum codice edito.

A N N O T A T I O.

46. Hoc idem erit, si plures fuerint argentarii a quibus editio desideratur. Nam etsi plures tutores tutelam administrauerunt simul, aut omnes edere debent (rationis administrationis) aut vnus editioni subscribere. L. 6. §. 1. b.

A R G V M E N T V M.

§. 2.

47. De calumnia iurare cogitur, qui suspicione grauatur, quod aduersarii vexandi causa beneficium iuris petat. (L. 2. tit. 8. §. 52.) Exigitur (ergo) ab aduersario argentarii iusiurandum, non calumniae causa postulare edi sibi: ne forte vel superuacuas rationes, vel quas habet, edi sibi postulet, vexandi argentarii causa. L. 6. §. 2. b. Praesumitur enim, quemuis rationum suarum descriptum habere.

D E F I N I T I O.

48. Rationem autem esse Labeo ait, vltro citro dandi, accipiendi, credendi, obligandi, soluendi, sui causa negotiationem. L. 6. §. 3. b.

S I V E:

Rationes sunt tabulae negotiationis acceptae et expensae pecuniae.

A R G V M E N T V M.

49. Negotiatio haec et consignatio sui causa fit: et quia negotiatio est, ad rationes non refertur, quod pignoris, depositi, mandati causa accipitur vel datur.

A N N O T A T I O.

50. Imperatores bellici, Praetores, Quaestores, ad rationes reddendas adacti fuerunt: videlicet pecuniarum ex tributis aliaue causa exactarum. De Lucullo ex Athenaeo refert BVDABVS de Affe L. 2. pag. 226. cum Romam post expeditionem Ponticam rediisset, et ex eo bello triumphasset, eum rationes ad aerarium retulisse ob eius pecuniae administrationem.

A R G V-

ARGUMENTVM.

51. Nec ullam rationem nuda duntaxat solutione debiti incipere. §. 3.
L. 6. §. 3. b. Quia solutionem debitum praecedere oportet.

ANNOTATIO.

52. Nec si pignus acceperit, aut mandatum, compellendum edere: hoc enim extra rationem esse. L. 6. §. 3. b. (§. 49.)

DEFINITIO.

53. Constitutum est pactum legitimum, quo manente pristina obligatione et debitore modus vel circumstantiae satisfactionis mutantur.

ARGUMENTVM.

54. Potuit solutio per argentarium fieri: quo casu oportet eum debitori expensum tulisse id, quod ex constituto pro debitore solueret: deinde, cum soluisset, idem creditori acceptum tulisse.

ARGUMENTVM.

55. Sed et quod solui constituit argentarius, edere debet, nam et hoc ex argentaria (negotiatione pecuniaria crediti et debiti) venit. L. 6. §. 3. b. (§. 48.)

ARGUMENTVM.

56. Ex hoc edicto in id, quod interfuit, actio competit. L. 6. §. 4. b. Non competit actio poenalis: nam hoc edicto de edendo praetor iurisdictionem suam non tuetur, uti quidem superioribus huius libri titulis observatur. Sed ex sola aequitate datur. (L. 2. tit. 1. §. 29.) Agitur autem in factum. (L. 2. tit. 7. §. 23.) §. 4.

ARGUMENTVM.

57. Vnde adparet, ita demum tenere hoc edictum, si ad eum (qui edi petit) pertineat. L. 6. §. 5. b. Id est, si ex denegata editione damnnum capiat, ut adeo eius interfuit. §. 5.

ARGUMENTVM.

58. Pertinere autem videtur ad me ratio, si modo eam tractaueris me mandante. (tibi argentario.) L. 6. §. 5. b. Tum enim rationes mei gratia confectae meae sunt. (§. 21.)

ARGUMENTVM.

59. Ratio, quam procurator meus confici curavit, mandatu meo facta est, (L. 1. tit. 19. §. 6.) atque ad me pertinet. (§. 58.) Iam quaeritur, sed si procurator meus absente me mandauerit, an mihi edenda sit, quasi ad me pertineat? Et magis est ut edatur. L. 6. §. 5. b.

ARGUMENTVM.

60. Procuratori quoque meo edendam rationem, quam mecum habet (quasi communem: mea enim est, quia mei causa confecta: procuratoris autem, quia fieri curavit) non dubito, quasi ad eum pertineat. L. 6. §. 5. b. (§. 58.)

DEFINITIO.

61. Cautio de rato est prouisio contra metuendam frustrationem eius, qui sine mandato vel ex defectuoso mandato agit, dum praesumitur ei mandatam esse.

POSITIO.

62. Procurator rationem ad mandatam pertinentem sibi edi petens, cauet de rato, quando ipsi specialiter mandatam non est.

PROBATIO.

Per se clarum est, quod procuratori sine mandato, id est, actione ex documentis vel ratione instruenda, etiam media, inspectio rationis vel instrumenti, mandata praesumatur. (L. i. tit. i. §. 172.) cum autem de rato caueat, cui expresse mandatam non est, dum mandatam praesumitur: (§. 61.) consequens est, quod procurator rationem ad mandatam pertinentem sibi edi petens cauere teneatur de rato.

ARGUMENTVM.

§. 6. 63. Eadem die plures rationes in eadem codicis pagina perferri poterunt: unde, si initium tabularum habet diem, in quibus Titii ratio scripta est, postmodum mea sine die et consul: etiam mihi edendus est dies et Consul. Communis enim omnis rationis est praepositio diei et Consulis. L. 6. §. 6. h.

ANNOTATIO.

§. 7. 64. Edi autem est, vel dictare, vel tradere libellum, (id est, descriptum rationis,) vel codicem proferre. L. 6. §. 7. h. (§. 5.)

ARGUMENTVM.

§. 8. 65. Praetor ait: argentario ciue, qui iterum edi postulabit, (cui iam semel editum est,) caussa cognita edi iubebo. L. 6. §. 8. h. Argentario nunquam, nisi caussa cognita editur: aliis, si plus simplici vice edi sibi petunt. Prohibet (praetor) argentario edi illa ratione, quod etiam ipse instructus esse potest instrumento suae professionis: et absurdum est, cum ipse in ea sit caussa, ut edere debeat, ipsum petere, ut edatur ei. L. 6. §. 9. h. Non praesumitur argentarius, vel is cui iam editum fuit, recte petere ut edatur: hinc caussae cognitio. (L. i. tit. 7. §. 61.)

ARGUMENTVM.

66. An nec haeredi argentarii edi ratio debeat, videndum. Et si quidem instrumentum argentarii ad eum peruenit, non debet ei edi: si minus, edenda est ex caussa. Nam et ipsi argentario ex caussa ratio edenda est, si naufragio, vel ruina, vel incendio, vel alio simili casu rationes perdidisse probet, aut in longinquo habere, veluti trans mare. L. 6. §. 9. h. Nec iterum postulanti edi praetor iubet, nisi (ex) caussa. L. 6. §. 10. h. (§. 65.) Veluti si peregre habere, quod primum editum est, doceat, vel minus plene editum, vel eas rationes, quas casu maiore, non vero negligentia perdidit: nam si eo casu amisit, cui ignosci debeat,

§. 10.
Paul. L. 3.
ad Ed.
L. 7.

debeat, ex integro edi iubebit. *L. 7. pr. b.* Casus enim non imputatur, (L. 1. tit. 1. §. 83.) sed culpa sua cuique nocet. (Ibid. §. 85.)

ANNOTATIO.

67. Haec vox Iterum, duas res significat: alteram, qua demonstraretur tempus secundum, quod Graeci *δευτερον* dicunt: alteram, quae ad insequentia quoque tempora pertinet, quae Graece dicitur *πάλιν*, quod ita accipitur, quotiens opus erit. Nam potest fieri, ut bis editam sibi rationem quis perdiderit, ut verbum Iterum, pro Saepius accipiatur. *L. 7. §. 5. b.*

§. 1.

ARGUMENTVM.

68. Vbi exigitur argentarius rationes edere, tunc punitur, cum dolo malo non exhibet: (Ad praefectum vrbi puniendus mittitur. (L. 1. tit. 12. §. 2. in f.)) Sed culpam (poenaliter) non praestabit, nisi dolo proximam. *L. 8. pr. b.* Haec enim dolus ipse est, eidemque comparatur. (L. 1. tit. 1. §. 78. 79.)

*Vlp. L. 4.
ad Ed.
L. 8.*

ARGUMENTVM.

69. Dolo malo autem non edit, et qui malitiose edit, et qui in totum non edit. *L. 8. pr. b.* Adparet enim callida machinatio studiose adhibita. (L. 1. tit. 1. §. 68.)

OBSERVATIO.

70. Aestimatio eius quod ex facto interest, ad eam quantitatem fit, quam quis habiturus esset, si iuri paruisset, qui fecit.

ARGUMENTVM.

71. Is autem, qui in hoc edictum incidit, id praestat, quod interfuit mea rationes edi, cum decerneretur a Praetore: (ut ederet: tum enim si obtemperasset, habuisset actionem vel exceptionem de quantitate controuersa,) non quod hodie interest. Ideo, licet interesse desit, vel minoris vel pluris interesse coepit, locum actio non habebit, neque augmentum, neque deminutionem. *L. 8. §. 1. b.*

§. 1.

ANNOTATIO.

72. Tametsi interesse desierit, non puto obstitisse actioni exceptionem doli, veluti in causa, quod quis cautionibus iudicio sistendi causa factis non obtemperauit. (L. 2. tit. 11. §. 73.) Nam quia rationes actoris sunt, (§. 21.) non edens iniuriam intulit, in (L. 1. tit. 1. §. 119.) quam impune ipsum ferre non decet: uti in possessore ficto obseruatur.

ARGUMENTVM.

73. Actionem e iure ciuili habenti praetor non dat actionem: quia supplementaria gaudet iurisdictione, quando ciuilis deficit actio ex aequitate conueniens.

DEFINITIO.

74. Actio mandati directa est postulatio mandantis contra mandatarium, ut mandatum exequatur, bonamque fidem praestet.

ARGUMENTVM.

75. Bonam fidem hic nominò ipsam aequitatem, (L. i. tit. i. §. 260.) quae lucrum iniquum respuit. (Ibid. §. 219.) Quare mandatarius finito mandato omne quod huius occasione percepit, restituere tenetur. Est enim mandatum contractus bonae fidei. (L. i. tit. i. §. 262.) Hoc autem, an recte fiat, intelligi nequit, nisi discussis rationibus.

ARGUMENTVM.

Paul. L. 3. ad
Ed.
L. 9.

76. Quaedam sunt personae, quas rationes nobis edere oportet, nec tamen a praetore per hoc edictum compelluntur. Veluti cum procurator res rationesque nostras administravit, non cogitur a praetore per metum in factum actionis rationes edere: scilicet quia id consuevit per mandati actionem. *L. 9. pr. h.*

ANNOTATIO.

77. Aliae personae, quae citra necessitatem ex edicto rationes redditae etiam edere tenentur recensitae sunt (§. 50.) ex causa (§. 66.)

DEFINITIO.

78. Actio pro socio est postulatio socii contra socium, ut secundum naturam contractus competente iure et lucro pro rata fruatur.

ANNOTATIO.

79. In societate id intenditur, ut neuter sociorum lucrum bonorum faciat: (L. 2. tit. II. §. 44.) per hoc ergo bonae fidei est. (L. i. tit. i. §. 262.)

ARGUMENTVM.

80. Et cum dolo malo socius negotia gessit, praetor per hanc clausulam (§. 73.) non interuenit: est enim pro socio actio. *L. 9. pr. h.* Propter bonam fidem societati debitam actio pro socio omne comprehendit, quod ex bona fide debetur: unde etiam edere rationes eadem actione compellitur.

DEFINITIO.

81. Actio tutelae est postulatio adulti aduersus tutorem vel curatorem ad id, ut bona administrata restituantur.

ANNOTATIO.

82. Haec actio iterum bonae fidei est, et participat de natura quasi contractus tutelae, quae lucrum vel damnum tam pupilli, quam tutoris non admittit.

DEFINITIO.

83. Actio tutelae contraria est postulatio tutoris aduersus adultum, ad id, ut ob administrationem tutelae indemnitas praestetur.

ARGUMENTVM.

84. Sed nec tutorem cogit praetor pupillo edere rationes (per actionem in factum ex edicto) sed iudicio tutelae solet cogere edere. *L. 9. pr. h.* (§. 73.) cum etiam natura tutelae actionem hinc ortam ad editionem rationum protendat. (§. 82. 80.)

ARGV-

A R G V M E N T V M.

85. Nihil interest, si successores aut pater aut dominus argentarii eiusdem fuerint professionis, quia cum in locum et in ius succedant argentarii, partibus eius fungi debent. *L. 9. §. 1. b.* Haeres succedit in personam legemque bonorum, (L. 1. tit. 1. §. 75.) Filius vel seruus pecuniam peculii in argentariam negotiationem vertit: peculium, siue morte siue ademtione ad patrem dominumue recidit: quo respectu pater vel dominus successor dicitur, et peculiotenus ad edendum compellitur, (§. 23.) et praeterea quoque, quia re videtur obligatus. (§. 44.)

§. 1.

D E F I N I T I O.

86. Legatarius est, qui ex lege haereditatis per defunctum dicta, ab haerede rem singularem capit.

A R G V M E N T V M.

87. Legatum detrahit haereditati et fauori: ideo est stricti iuris (L. 1. tit. 1. §. 243.)

A R G V M E N T V M.

88. Legatarius proinde non succedit in personam civilem defuncti: nec in ius legemque vniuersitatis bonorum, quemadmodum haeres.

A R G V M E N T V M.

89. Is autem, cui argentarius rationes suas legauit, non videbitur contineri, (nomine successoris,) quia iuris (vniuersitatis) successor his verbis significatur: non magis, quam si ei viuus eas donasset. *L. 9. §. 1. b.*

D E F I N I T I O.

90. Vniuersitas est corpus bonorum vno collectiuo nomine res, causas et iura complectens.

A R G V M E N T V M.

91. Sed nec haeres tenebitur, (hoc edicto ad edendum,) cum nec possideat, (L. 1. tit. 1. §. 204.) nec dolo malo fecerit. *L. 9. §. 1. b.* (videlicet, quo minus possideret. (L. 2. tit. 9. §. 10.)

A R G V M E N T V M.

92. Sed si ei, antequam eas legatario traderet, renunciatum fuerit, ne eas tradat, (antequam edidisset) tenebitur, quasi dolo fecerit. Si sprete denunciatione nihilominus tradidit. (Item, antequam eas tradat, tenebitur) *L. 9. §. 1. b.* Haec verba perperam textui adspersa, omnino abundant.

A R G V M E N T V M.

93. Quodsi nihil dolo fecerit (argentarii haeres, qui edicto comprehenditur et tenetur (§. 85.) Legatarius (qui edicto non continetur, (§. 89.) causa cognita cogendus est edere. *L. 9. §. 1. b.* Causa cognita et innocentia haereditatis reperta. Cogitur autem legatarius non vi edicti, sed obligatione ex re. (§. 44.)

OBSER-

OBSERVATIO.

94. Qui nummularii fuerint, non est expeditum. *CVIACIVS L. 10. Obs.*
 14. nummularios ministros mercenarios argentariorum esse putat. Verumtamen ab argentariis eos distinguit *Vlpianus L. 1. §. 9. et 15. ff. De Praef. Urbi.* (L. 1. tit. 12. §. 2.) Seruos fuisse impossibile est, cum actio in factum in eos ipsos data sit, quod textus proxime sequens ostendit. Officium eorum erat, nummos probare. *APVLEIVS Metamorph. L. 10. Sed ne forte aliquis, inquam, istorum, quos offers, aureorum nequam vel adulter reperiatur, in hoc ipso sacculo, conditor eos annulo tuo praenota, donec altera die nummulario praesente comprobentur.* Fuerunt forte proxenetae elocandarum pecuniarum, quorum fidem priuati homines sequebantur. Nouerunt procul dubio facultates ciuium, qui soluendo essent, et probitatem valoremque nummorum. Distinctos eos fuisse ab argentariis, cum hic et in citato textu *Vlpiani* separatim nominentur, edicto autem praetoris sub appellatione argentariorum comprehensi non sint, sed saltem per consequentiam ex similitudine negotiationis ipsum edictum ad eos trahatur, vti e textu sequenti liquet. Argentarii negotium suum publice in tabernis circa forum tractarunt, (§. 19.) nummularii forsan priuatim et ostiatim.

ARGUMENTVM.

§. 2. 95. Nummularios quoque non esse iniquum cogi rationem edere, *Pomponius* scribit, quia et hi nummularii, sicut argentarii rationes conficiunt, quia et accipiunt pecuniam et erogant per partes, quarum probatio scriptura codicibusque eorum maxime continetur, et frequentissime ad fidem eorum decurritur. *L. 9. §. 2. b.* Aequiparantur nummularii argentariis ob similitudinem tractandi negotii: ergo etiam ad edendi necessitatem. (L. 1. tit. 1. §. 246.)

OBSERVATIO.

§. 3. 96. Caeterum omnibus postulantibus et iurantibus non calumniae causa petere rationes, quae ad se pertineant, edi (praetor) iubet. *L. 9. §. 3. b.*

ARGUMENTVM.

§. 4. 97. Ad nos enim pertinent non tantum, cum ipsi contraximus, (§. 57.) vel successimus ei, qui contraxit, sed etiam si is, qui in nostra potestate est, contraxit. *L. 9. §. 4. b.* Instrumentum enim dirigenti acquirit. (L. 1. tit. 1. §. 41.)

ARGUMENTVM.

§. 1. 98. Omnibus postulantibus edi oportet, ad quos ratio pertinet. (§. 96.) Pertinere autem potest etiam ex causa cum argentario ipso controuersa. Ait (ergo) praetor: rationem edere iubetur: nec interest, cum ipso argentario controuersa sit, an cum alio. *L. 10. pr. b.* Alias enim reus regulariter non edit. (§. 16.) Ideo autem argentarios tantum, neque alios ullos absumiles eis, (actoribus contra se venientibus) edere rationes cogit, quia officium eorum atque ministerium publicam habet causam: et haec

*Caius L. 1.
ad Ed. prou.
L. 10.*

haec principalis eorum opera est, vt actus sui rationes diligenter conficiant. *L. 10. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

99. Nummularii per analogiam etiam actoribus suis edere coacti sunt. (§. 95.) Dicit enim: *absimiles* non cogi.

ANNOTATIO.

100. Edi autem ratio ita intelligitur, si a capite edatur. (§. 69.) Nam ratio ni inspiciatur, intelligi non potest. (*Ratio* forsitan significat rubricam: vt: Ratio Titii cum Maeuio.) Scilicet, vt non totum cuique codicem rationum, totasque membranas inspiciendi describendique potestas fiat: sed vt ea sola pars rationum, quae ad instruendum aliquem pertinet, inspiciatur et describatur. *L. 10. §. 2. b.*

§. 2.

ARGUMENTVM.

101. Cum autem in id actio competit, quanti agentis interfit, editas sibi rationes esse, eueniet, vt siue quis condemnatus sit, siue petierit non obtinuerit, eo quod non habuerit rationes, ex quibus causam suam tueri possit: id ipsum, quod ita perdidit, hac actione consequatur. *L. 10. §. 3. b. (§. 70.)*

ANNOTATIO.

102. Sed an hoc procedat, videamus. Nam si apud hunc iudicem, qui inter eum et argentarium iudicat, (de facto, quod non ediderit,) potest probare, se illo iudicio, quo victus est, vincere potuisse, poterit et tunc probare: (in illo scilicet iudicio, quo condemnatus fuit, ob deficientem ex rationibus probationem) et si non probabit (probauit) aut probantem iudex non curabit, (curauit) de seipso aut de iudice queri debet. Sed non ita est: fieri enim potest, vt nunc rationes vel ipso (argentario sed sero) edente, vel alio modo nactus, aut aliis instrumentis vel testibus, quibus illo tempore aliqua ex causa vti non potuit, possit probare, potuisse se vincere. *L. 10. §. 3. b.*

§. 3.

DEFINITIO.

103. Condictio furtiua est repetitio rei furtiuae a fure possessae et summo iure quaesitae, domino eius rei competens.

ANNOTATIO.

104. Lycurgus Lacedaemoniis furta permittit, vt ciues astutiis adfueti ad stratagemata belli aptiores redderentur. GELLIVS *L. 2. c. 18.* *Apud Lacedaemones quoque, sobrios illos et acres viros, - - - non pauci neque ignobiles scriptores ius atque usum fuisse furandi docent, idque a iuuentute eorum non ob turpia lucra, neque ad sumtum libidinis praebendum, comparandamue opulentiam, sed pro exercitio disciplinae rei bellicae faciliatum: quod et furandi solertia et adfuetudo acueret firmaretque animos adolescentium et ad insidiarum astus et ad vigilandi tolerantiam et obrepenti celeritatem.* Fures autem deprehensos verberibus caedi iussit Lycurgus. PLVTARCHVS *in vita: Deprehensus multa verbera flagello accipit: quod solutus in furando et iners videatur.*

tur. Hinc forte Romanorum leges partim, vti videtur, a Lacedaemoniis petita, furem manifestum, id est, in furto deprehensum quadrupli, nec manifestum dupli teneri iusserunt. Praeterea condictio rei furtivae data fuit domino. Sed quomodo res surrepta summo iure furis facta est? hoc enim oportuit, per definitionem condictionis. (L. 2. tit. 2. §. 26.) Nisi forte nimis licentiose philosophor, dico: quod dominia iure gentium positivo introducta sint: quod huic iuri renunciare possint homines, et ad communionem reuerti: quod fur ius dominii soluere possit: quid enim ad nos, quod maiores nostri proprietates rerum introduxerunt? quod adeo possessionem rei furtivae fur sibi quaesiverit. Non desunt testimonia legum: L. 47. ff. De *acquir. et amitt. possess.* L. 67. et 48. pr. ff. De *furt.* L. 5. ff. De *usurp. et Vsucap.* L. 15. §. 2. ff. *cod.* L. 7. §. 4. ff. *Pro emptore.* Furis haeres condictione tenetur, licet nihil ad eum peruenerit: L. 7. §. 2. l. 8. et fin. ff. De *condict. furt.* quoniam in conditionem furis succedit, qui quod mala fide partum est, mala fide possidere desiit, et possessor fictus est. L. 131. ff. De *reg. iur.* Leges igitur furis possessionem agnoscunt. Videtur etiam hic latere ratio, cur LL. XII. Tabb. rei furtivae aeternam auctoritatem esse sanxerunt: eo scilicet sine, ne dominii ius in ciuitate Romana receptum, a quoquam solueretur. Opinor, eam legem mere ciuilem esse, firmando dominio introductam; contra eos, qui pro libertate iuris gentium proprietati rerum renunciare auderent.

A N N O T A T I O.

105. Vsucapionis ratio ex eodem fundamento reddi potest. Declarabitur ad Librum 4. titulum 5. antiquorum auctorum testimoniis, quod *usu venire, usu capere*, significet *facto venire, facto capere*. Videlicet facto possessionis res capi possunt, modo adquisitio ius dominii non soluat. Nam qui bona fide iustoque titulo rem adquisiuit, non contrariatur proprietati rerum in ciuitate receptae, quinimmo eandem sibi quoque iustam esse fatetur, qui modo ad transferendum dominium apto eandem parauit. Rem vitio infectam voluerunt veteres, si modus quo capiebatur dominium introductum euerterat. (L. 1. tit. 7. §. 67.) Hac occasione, quod Libro 1. Resolutionum titulo 5. §. 73. dixi planius explicandum erit. Proponuntur ibi Ictorum sententiae pugnantes. Iulianus, Ulpianus et Marcellus, negant, si ancilla praegnans surrepta fuit, vel apud furem concepit, vel apud furis haeredem, partum, licet apud bonae fidei possessorem editum, vsucapi posse. Ratio; quantum ad furem ipsum attinet, quia grauida cum foetu surreptione parta, vitium contraxit, quod eam comitatur ad omnem successorem, si furtiuum corpus apud furem concepit, partum furtiuum esse, ex doctrina Stoicorum, qui omnem productionem originis suae naturam et qualitatem seruare, docuerunt. (L. 1. tit. 1. §. 276.) Vnde, quamuis apud furis haeredem conceperit, vitiosum esse foetum, nec vsucapi posse. Scaeuola vero putauit, partum apud furis haeredem conceptum ab eo distractum ab emptore vsucapi posse. Nam vitium a iuris ciuilis dispositione pendere, forte sensit, et doctrinam de naturali qualitate ad partum rei furtivae trahi non posse, vtpote quae de naturali qualitate tantum obtineret: non de adscititia et per factum
occu-

occupationis exterius illata affectione. Quia vero foetus apud haereditatem furis conceptus, ipse tanquam pars ventris surreptus non fuit, quia cum ancilla subriperetur nondum conceptus erat: sequi, quod partus vitiosus non sit, et vfucapi possit.

A N N O T A T I O.

106. Sic enim et de cautione subrepta, aut corrupta, competit condictio, (furtiva) et damni iniuriae actio: quia, quod ante non potuimus intercepta cautione probare, et ob id amisimus, hoc nunc aliis instrumentis aut testibus, (quibus cautionem ereptam vel corruptam probauimus,) quibus tum uti non potuimus, (cum debitum ex cautione petebatur,) probare possumus. *L. 10. §. 3. b.* Testibus vel instrumentis surreptionem vel corruptionem probantibus, uti non potuimus ad probandum debitum. Probato vero furto vel corruptione, iuramento in litem probare possumus.

A N N O T A T I O.

107. Exempla instrumentorum etiam sine subscriptione edentis edi posse, receptum est. *L. 11. b.* Non autem descriptum rationum.

*Modest. L. 3.
Reg.
L. 11.*

A R G V M E N T V M.

108. Foeminae remotae videntur ab officio argentarii: cum ea opera virilis sit. *L. 12. b.* Nam argentarius ministerium suum reipublicae praestat. (§. 18.)

*Callistr. L. 1.
Ed. monit.
L. 12.*

A R G V M E N T V M.

109. Haec actio neque post annum, neque in haereditatem, nisi ex suo facto dabitur. *L. 13. b.* Non post annum, quia detrahit iuri eius, cuius rationes vel instrumenta propria sunt. (L. 1. tit. 1. §. 243.) Non in haereditatem, si antecessor edere iussus, non edidit, quia factum hoc personale est, et cum persona perit. (L. 2. tit. 3. §. 25.) At si haeres ipse edere iussus, (§. 92.) non edidit, palam est, eum teneri ex suo facto.

*Vlp. L. 4. ad
Ed.
L. 13.*

A R G V M E N T V M.

110. Haeredi autem dabitur. *L. 13. b.* Est enim ex re, (§. 17. 21.) et iura realia transeunt ad successorem. (L. 2. tit. 3.) §. 26.)



* * * * *

DE PACTIS.

TITVLVS XIV.

OBSERVATIO.

1. Praetor edixit: Pacta conuenta, quae neque dolo malo, neque aduersus leges, neque in fraudem earum facta erunt, seruabo. *L. 7. §. 7. b.* Vt hoc recte intelligatur, obseruandum est, quod Romani ius bonorum ex occupatione primaeva aestimauerint. (*L. 1. tit. 1. §. 174.*) aequitatem esse, si haec originaria quantitas inuito domino non minuitur. (*Ibid. §. 219.*) Iniquitatem, si contra factum fuerit: Consensum de re libera, non prohibita, consentientibus ius constituere. (*Ibid. §. 196.*) Actiones autem constituerunt ob imminuta bona vel iura: (*Ibid. §. 318.*) Pactum nudum bona non minuire, nec iniuriam inferre, exploratum satis est: (*L. 1. tit. 1. §. 266.*) igitur ex pacto non dabatur actio iuris ciuili. Apparet, Romani iuris conditores et interpretes ex sufficienti solidaque ratione pactis actionis efficaciam denegasse, eosque sapientiores longe fuisse suis taxatoribus. Multum laborarunt, nihilum profecerunt, qui rationem huius instituti e iuris gentium habitu eruere sategerunt: quorum sudores recenset BYNKERSHOEK, *Dissert. de Pactis stricti iur. contr. adi. c. 1.* Actio de iure ciuili formulario fuit: quid huic cum pacto, quod ex sola fide, naturaliter tantum seruanda, est? Cum Canonistis hic mihi nulla est altercatio, qui ex alio fundamento iuri ciuili derogandum fuisse arbitrantur. Praetor vero officium suum ad naturalis aequitatis lenitatem impertiens, fidem seruandam esse censuit: (*Ibid. §. 128.*) An ergo ex pacto actionem dedit? Neutiquam: actionem autem doli et exceptionem proposuit his, qui de perfidia aliorum querebantur. (*L. 2. tit. 10. §. 5.*)

ARGVMENTVM.

*Vp. L. 4. ad
Ed.
L. 1.*

2. Huius edicti aequitas naturalis est: quid enim tam congruum fidei humanae, quam ea, quae inter eos placuerunt, seruare. *L. 1. pr. b.* (*L. 1. tit. 1. §. 196. 128.*) verba: *inter eos*: relatiua nihil quod praecedit, valde notantur. G. NOODT *L. 1. Obs. c. 4.* BYNKERSHOEK *Obs. L. 3. c. 9.* Memimisse autem oportet, textum excerptum relationem in contextu probam seruasse: ne scilicet auctoribus iuris vel vocula quadam fraudentur.

ANNOTATIO.

§. 1.

3. Pactum autem a pactione dicitur: inde etiam pacis nomen appellatum est. *L. 1. §. 1. b.*

DEFINITIO.

§. 2.

4. Et est pactio duorum pluriumue in idem placitum consensus. *L. 1. §. 2. b.* (*L. 1. tit. 1. §. 197.*)

ANNOTATIO.

§. 3.

5. Conuentionis verbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causa consentiunt, qui inter

ter se agunt. Nam sicuti conuenire dicuntur, qui ex diuersis locis in vnum (locum) colliguntur, et veniunt: ita et qui ex diuersis animi motibus in vnum consentiunt, id est, in vnam sententiam decurrunt. *L. 1. §. 3. b.*

A N N O T A T I O.

6. Adeo autem conuentionis nomen generale est, vt eleganter dicat Pedius, nullum esse contractum, nullam obligationem, quae non habeat in se conuentionem, siue re, siue verbis fiat. Nam et stipulatio, quae verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est. *L. 1. §. 3. b.*

A N N O T A T I O.

7. Sed conuentionum pleraeque in aliud nomen transeunt: veluti in emtionem, in locationem, in pignus, in stipulationem. *L. 1. §. 4. b.*

A R G V M E N T V M.

8. Labeo ait, conuenire posse vel re, vel per epistolam, vel per nuntium inter absentes quoque (posse): sed etiam tacite consensu conuenire, intelligitur. *L. 2. pr. b. L. 1. tit. 1. §. 213.)* Et ideo si debitori reddiderim cautionem, videtur inter nos conuenisse, ne peterem: profuturamque ei conuentionis exceptionem placuit. *L. 2. §. 1. b.*

A R G V M E N T V M.

9. Postquam pignus vero debitori reddatur, si pecunia soluta non fuerit, debitum peti posse, dubium non est; nisi specialiter contrarium actum esse probetur. *L. 3. b.* In hoc enim negotio id actum praesumitur, quod minimum est. (*L. 1. tit. 7. §. 225.*) Si vero specialiter id actum sit, vt et debitum remittatur, tum hoc sequendum est. (*L. 2. tit. 6. §. 8.*)

O B S E R V A T I O.

10. Ciuitatem Romanam hominibus affluere studuerunt legumlatores. Hinc ciuibus Romanis libertas, dignitas, iustitia, actuum legitimorum commoditas, principatus quasi familiaris rei, et alia, integra semper fuerunt. Hinc venustas vrbs et aedificiorum ius singulare meruit, et ne vrbs ruinis deformaretur, vindicatio tigni iuncti data non fuit. *L. 1. pr. ff. De tigno iuncto. §. 29. I. De Rer. Diu. L. 2. ff. in quib. caus. pign. tac. contr.* Item, vt vsum aedium libentius aliis concederent dominis, securitate mercedis locatoribus prospiciendum fuit: vt habitatoribus abundarent ciuitates.

A R G V M E N T V M.

11. In hunc ciuitatis suae fauorem et vtilitatem consentire praesumuntur ciues: (*L. 1. tit. 1. §. 313.*) inde conductor locatori securitatem mercedis praestare creditur in illatis, eaque tacite oppignorasse. Sic ait textus: Item, quia conuentiones (etiam) tacite valent, placet, in vrbani habitationibus locandis inuecta, illata pignori esse locatori, etiamsi nihil nominatim conuenerit. *L. 4. b.*

ANNOTATIO.

12. Non incommode hunc tacitum consensum nouum quasi contractum dicere licet: per ea, quae de quasi contractibus et consensu tacito dicta sunt. (L. I. tit. I. §. 250. 251. 253.)

ANNOTATIO.

§. 1. 13. Secundum haec et mutus pacisci potest. L. 4. §. 1. b. (L. I. tit. I. §. 215.)

DEFINITIO.

14. Dos est vniuersitas bonorum vxoris ad sustinenda matrimonii onera marito permissa.

ARGUMENTVM.

15. Quando dos ante nuptias promittitur, commodum futuri matrimonii respicitur, cuius conditio promissioni tacite inest: ita vt in eum casum collata videatur: Si nuptiae secutae fuerint.

OBSERVATIO.

16. Dos de natura matrimonii participat, cuius essentia amor est, (L. I. tit. I. §. 133.) et ex affectu officii ac beneuolentiae proficiscitur: proinde dotis constitutio tacitum votum perpetuae durationis continet. L. I. ff. De iure. dot.

ARGUMENTVM.

§. 2. 17. Huius rei argumentum etiam stipulatio dotis caussa facta est: nam ante nuptias male petitur, quasi hoc expressum fuisset: L. 4. §. 2. b. (§. 16.)

ARGUMENTVM.

18. Conditionis non existentia gestionem soluit, (L. I. tit. I. §. 205.) vti ergo dos ante nuptias peti nequit, ita et nuptiis non secutis, ipso iure euanescit stipulatio. Idem Iuliano placet. L. 4. §. 2. b. Ipso autem iure, nullo actu resolvente adhibito stipulatio soluitur; quia modus resolvens cum ipsa stipulatione natus, in satis iam certus erat, modo autem manifestatus. (L. I. tit. 7. §. 35. 36.)

ARGUMENTVM.

§. 3. 19. Ex facto etiam consultus, cum conuenisset, vt, donec vsurae soluerentur, fors non peteretur, et stipulatio pure concepta fuisset: (non adiecto die: hoc autem adiecto, veluti: sortem non petes intra triennium, donec vsurae soluentur: aliud obtinet) conditionem inesse stipulationi, (nisi soluerentur, vsurae sortem peti posse) atque si hoc expressum fuisset. L. 4. §. 3. b.

ANNOTATIO.

Vlp. L. 4. ad Ed. L. 5. 20. Conventionum autem tres sunt species, aut enim ex publica caussa fiunt, aut ex priuata: priuata aut legitima, aut iuris gentium. L. 5. b.

DEFINITIO.

21. Publica conuentio est, quae fit per pacem, quotiens inter se duces belli quaedam paciscuntur. L. 5. b.

ANNO-

ANNOTATIO.

22. Pactio*rum* eiusmodi auctores Consules fiebant, modo ignominiosae non fuissent. CICERO de *Officiis*. L. 3.

DEFINITIO.

23. Legitima conuentio est, quae lege aliqua confirmatur. L. Paul. L. 3. ad Ed. L. 6.

ANNOTATIO.

24. Quae hic dicuntur legitimae conuentiones, non sunt illa pacta legitima, quae sequiorum temporum inuentum sunt: sed isti contractus ciuiles, qui legibus XII. Tab. vel alio iure, vim legis habente, comprobantur. Vt nexus, dotis dictio, stipulatio, acceptilatio, mancipatio, in iure cessio. Ita obseruat G. NOODT. De *Pactis*. c. 8.

ARGUMENTVM.

25. Et ideo interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur, quotiens lege, vel senatus consulto adiuuatur. L. 6. b.

ANNOTATIO.

26. Nexus erat modus contrahendi obligationem, vel acquirendi liberationem mere ciuilis, per aeris et librae imaginariam venditionem. FESTVS de *Verbor. signif.* *Nexum est, ut ait Gallus Aelius, quodcumque per aes et libram geritur, idque necti dicitur: quo in genere sunt haec: testamenti factio: nexi danta, nexi liranto.* De nexis omnino videndus est RAEVARDVS ad *leges XII. Tab. c. 8.* Patet, quod in hoc negotio, qui obligabatur, nihil vicissim acceperit; qui liberabatur, iterum nihil nisi verba soluerit: idem quoque in reliquis contractibus ciuilibus §. 24. recensitis factum fuerit. Hae ergo conuentiones re ipsa pacta nuda fuerunt, (L. I. tit. 1. §. 266.) quibus tamen ob vtilitatem publicam lege efficacia producendi et tollendi actiones ex iure gentium proditas, datum erat. Actiones autem tollebantur conuentione illa legitima nexi et acceptilationis, ita quidem, vt ipsa obligatio, vnde actio proficisceretur, sublata fuerit.

OBSERVATIO.

27. Iuris gentium conuentiones quaedam actiones pariunt quaedam exceptiones. L. 7. pr. b. Post conuentiones mere ciuiles, ad contractus proprie sic dictos (L. I. tit. 1. §. 231.) et ad pacta nuda procedit textus. Quod contractus actionem producant, quod pacta nullam, modo demonstraui, (§. 1.) sed natura sua exceptio inde nata fuit. Debeo centum: paciscor, ne petantur. Agere non possum, vt minus petat creditor vel haeres eius, vel alius. Quodsi vero petatur, exceptionem pactum parit, quo remouere actionem possum. Obligatio pacto non est sublata, quemadmodum nexi liberatione et acceptilatione: sed repellitur agens contra datam pacto fidem. Nulla ergo in his constituendis Romanorum affectata subtilitas est, quam isti criminantur, qui perfunctorie leges euoluunt, aut simplicitatem sibi visam iuris Germanici extollunt. Quaesio enim, quam actionem iuris Germanici ex pacto liberatorio formabis?

Vlp. L. 4.
ad. Ed.
L. 7.

OBSER-

OBSERVATIO.

- §. 1. 28. Quae pariunt actiones in suo nomine non stant, sed transeunt in proprium nomen contractus: vt emtio venditio, locatio conductio, societas, commodatum, depositum, et caeteri similes contractus. L. 7. §. 1. b.

ARGUMENTVM.

- §. 2. 29. Sed et si in alium contractum, (certi nominis) res non transeat, subsit tamen causa: eleganter Aristo Celfo respondit: esse obligationem. L. 7. §. 2. b: (L. 1. tit. 1. §. 228.)

ANNOTATIO.

30. Vt puta: dedi tibi rem, vt mihi aliam dares: dedi, vt aliquid facias: hoc *συνάλλαγμα*, id est contractum esse, et hinc nasci ciuilem obligationem. L. 2. §. 2. b. Causam, siue circumstantiam, quod hae conuentionum genera non sint liberalia, exinde cognosce, quia res pro re, vel factum pro re praestatur, (cit. §. 228.) obligationes autem et contractus in iure dicuntur illae conuentiones, ex quibus ciuiles actiones oriuntur. (L. 1. tit. 1. §. 229.)

DEFINITIO.

31. Actio praescriptis verbis est postulatio ex conuentione incerti generis (L. 1. tit. 1. §. 264.) quando contractum esse, ex ipsis verbis cognoscitur.

ARGUMENTVM.

32. Et ideo puto, recte Iulianum a Mauritiano reprehensum in hoc: Dedi tibi Stichum, vt Pamphilium manumittas: manumifisti, euictus est Stichus. Iulianus (scribit) in factum actionem, (L. 1. tit. 7. §. 23.) a praetore dandam; ille ait, ciuilem incerti actionem, id est praescriptis verbis sufficere: esse enim contractum, quod Aristo *συνάλλαγμα* dicit, vnde haec nascitur actio. L. 7. §. 2. b. Competit actio in factum, praetoria, quia lucrum facti sui fert, qui seruum alienum dedit. Sed praetor non data actionem ei, qui ciuilem habet: (L. 2. tit. 13. §. 73.) propterea sufficere dicit actionem praescriptis verbis.

POSITIO.

- §. 3. 33. Si ob maleficium, ne fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex hac conuentione. L. 7. §. 3. b.

PROBATIO.

Si in conuentione aliquid promissum est, ne maleficium fiat, in ea turpis causa subest, (L. 1. tit. 7. §. 50.) quae iure reprobatur, tanquam impossibilis: (L. 1. tit. 7. §. 137.) eam autem iuris intellectu nullam esse, consequens est. Quando igitur in conuentione nulla causa subest, nulla ex ea est obligatio, (L. 1. tit. 1. §. 229.) proinde, si ob maleficium, ne fiat, aliquid promissum sit, nulla est obligatio ex hac conuentione.

ARGUMENTVM.

- §. 4. 34. Sed cum nulla subest causa propter conuentionem, hic constat, non posse constitui obligationem. (L. 1. tit. 1. §. 229.) Igitur nuda

da pactio obligationem non parit: sed parit exceptionem. *L. 7. §. 4 b.*
(§. I. 27.)

A R G V M E N T V M.

35. Quoniam ob causae, id est, circumstantiae non liberalis, defectum, per pacta bona vnus paciscentis gratis minuuntur, alterius lucratiue augentur, (L. I. tit. I. §. 266.) sequitur, quod pacta nuda sint stricti iuris et interpretationis. (L. I. tit. I. §. 224.)

O B S E R V A T I O.

36. Finge, Titium emere equum: dum autem contrahit, in continenti adiicit legem: si pretium intra certum tempus offerat, restitui debere equum. Apparet Titium non vendidisse equum, nec absolutum fuisse contractum emtionis venditionis, nisi pactum vtrique placuisset. Idem est, si emtor triplum pactus esset: si equus euictus fuerit. Haec ergo taliaque alia pacta sunt de essentia contractus, eundemque formant.

P O S I T I O.

37. Pactum, quod in continenti subsequitur contractum bonae fidei, obligationem et actionem format.

P R O B A T I O.

Quando bonae fidei contractui pactum in continenti adiicitur, contractus non fuisset absolutus, nisi pactum adiectum placuisset: (§. 36.) ideo contractus per pactum hoc essentiam et formam accipit, propriamque naturam. (L. I. tit. I. §. 17.) vnde sequitur, quod pactum, in continenti contractui adiectum, qui bonae fidei est, contractum, obligationem, et inde nascentem actionem format.

A N N O T A T I O.

38. Inde sequentis textus declaratio est: Quinimmo interdum format ipsam actionem, vt in bonae fidei iudiciis. Solemus enim dicere: pacta conuenta inesse bonae fidei iudiciis. Sed hoc sic accipiendum est, vt siquidem ex continenti pacta subsequuta sunt, etiam ex parte actoris insint. *L. 7. §. 5. b.* (nimirum in vim actionis.) §. 5.

A N N O T A T I O.

39. Bonae fidei actiones et contractus omne illud comprehendunt, quod iniquitatem, damnum et lucrum contrahentium excludit, quod alteruter ipsa re, in substantia facultatum et quasi in arca acciperet. (L. I. tit. I. §. 262.) Intra hunc ambitum et fines praetor et iudex officium suum extendere possunt ad ea, quae verbis contractus expressa non sunt. Ab hac quasi latitudine contractus aliquid detrahere licet contrahentibus: nam pro re nata aliud atque aliud aequum esse potest. Ideo pacta bonae fidei tantum contractibus formam praestant. Stricti iuris contractus verbis quibus contractum est, arctissime clauduntur, nullam natura sua extensionem ex aequitate et indemnitate habent, et nihil est, quod particulariter sibi aequum contrahentium quisquam pacto excipiat. Exempla praebet §. 41. C. de BYNKERSHOEK *Diss. de Pact. stricti iur. contr. adi.* qui sententiam iuris ciuili solide, sed ex fundamentis

folis legum adstruit. Praefens philosophia sic persuadet. Quodsi pactum incontinenti adiiciatur, non inesse contractui separatim et in vim exceptionis ab eius natura generis, quam nullam habet: sed esse ipsum contractum.

A R G V M E N T V M.

40. Ex interuallo (adiecta pacta) non inerunt, nec valebunt, si agat: ne ex pacto actio nascatur. *L. 7. §. 5. b. (§. 34.)*

A N N O T A T I O.

41. Vt puta: post diuortium (ergo longo interuallo post dotis promissionem: nec iam integris omnibus, matrimonio et dotis solutione intercedentibus,) conuenit, ne tempore statuto, (intra annum, si rerum mobilium sit. *L. vii. §. 7. C. De rei vxor. act.*) dilationis dos reddatur, sed statim: hoc non valebit, ne ex pacto actio nascatur. Idem Marcellus scribit: Et si in tutelae actione conuenit, vt maiores, (centesimis) quam statutae sunt vsurae, praestentur, locum non habebit: ne ex pacto nascatur actio. Ea enim pacta insunt, quae legem contractui dant: id est: quae in ingressu contractus facta sunt. (non quae in iudicio.) Idem responsum scio a Papiniano. Et si post emtionem ex interuallo aliquid extra naturam contractus (quod ipsam aequitatem contractus non confirmat,) conueniat, ob hanc causam agi exempto non posse, propter eandem regulam: ne ex pacto actio nascatur, quod et in omnibus bonae fidei iudiciis erit dicendum. Sed ex parte rei (in vim exceptionis) locum habebit pactum, (§. 27.) quia solent et ea pacta, quae postea interponerentur, parere exceptiones. *L. 7. §. 5. b.*

A N N O T A T I O.

42. Rei vxoriae actio bonae fidei fuit: *§. 29. I. De action.* et reliqua quoque exempla paragraphi 41. de contractibus bonae fidei sunt.

A N N O T A T I O.

43. Ex parte actoris inest pactum quod commodo actoris adiectum est, vt actionem inde instruat: ex parte rei inest, quando reo exceptionem praebet.

A N N O T A T I O.

§. 6.

44. Adeo autem bonae fidei iudiciis, (dum actio in iudicio iam disceptatur,) exceptiones postea factae; (per pactum subsequens) quae ex eodem sunt contractu, (quae contractus naturam confirmant, id est, bonam fidem et aequitatem,) insunt, vt constet in emtione, caeterisque bonae fidei iudiciis re nondum secuta (re adhuc integra) posse abiri ab emtione. (quia alterutro agente, alter exceptione pacti se tuetur.) (§. 40.) Si igitur in totum potest, cur non et pars eius pactione mutari potest? Et haec ita Pomponius libro 6. ad edictum scribit. *L. 7. §. 6. b.* Omnibus enim integris, contractus consensuales consensu iterum soluuntur. (*L. i. tit. i. §. 153. Add. (§. 282. infra.)*)

A R G V -

A R G V M E N T V M.

45. Quod cum est, (etiam) ex parte agentis pactio (ex intervallo inita) locum habet, ut et ad actionem proficiat, nondum re secuta: eadem ratione. (qua et a contractu recedi potest.) Nam si potest tota res tolli, cur non et reformari? ut quodammodo quasi renouatus contractus videatur: quod non insubtiliter dici potest. *L. 7. §. 6. b.* Emitur venditur fundus: sub lege commissoria, nisi intra menssem pretium soluat, res sit inempta. Antequam mensis elabatur, conuenit inter emptorem et venditorem, ut a lege recedatur. Inest hoc pactum ex parte venditoris actoris, qui non expectato fine mensis pretium petere potest. Emitur; ex intervallo conuenit, ne euictionis nomine duplum, sed id quod vere interest, praestetur: confirmat hoc pactum naturam emtionis venditionis, quae bonae fidei est, et est ex eodem contractu (§. 44.) omnino proderit emptori actori, qui euicta re, id quod sua interest, actione empti petet.

A R G V M E N T V M.

46. Vnde illud aequè non reprobo, quod Pomponius libris lectionum probat, posse in parte recedi pacto ab emtione: quasi repetita partis emtione. *L. 7. §. 6. b.* Emi filuam: posthaec conuenit ut dimidia veneat: agere possum ad dimidiam tradendam: nam conuentio subsequens non minus Emtio est. Textus quoque hic minus idonei sensus esse incusatur. *BYNKERHOEK Obs. L. 5. c. 25.* Sed qui totum emit, partes emit: si in parte receditur ab emtione alterius partis repetita emtio erit.

P O S I T I O.

47. Sed cum duo haeredes emptori extiterunt, venditor cum altero pactus est, ut ab emtione (tota) recederetur: ait Iulianus, valere pactum, et dissolui pro parte emtionem. *L. 7. §. 6.*

P R O B A T I O.

Cohaeres, qui et socius est, est dominus partis hereditariae, (*L. 2. tit. 9. §. 27.*) et is de toto aliquo hereditario pactus, quantum de parte sua paciscitur, de re suae facultatis paciscitur. (*L. 1. tit. 1. §. 191.*) Cumque pactum de re suae facultatis valeat, (*L. 1. tit. 1. §. 199.*) *L. 1. tit. 21. §. 2.*) necesse est, quod emptor cum quo cohaeredum alter pactus est, ut ab emtione recedatur, ut valeat in partem paciscentis. Cumque per pactum consequens ab emtione recedi possit, (§. 46.) oportet etiam, ut dissoluatur pro parte emtio.

A N N O T A T I O.

48. Quoniam et ex alio contractu paciscendo, alter ex haeredibus acquirere sibi potuit exceptionem. Vtrumque itaque recte placet: et quod Iulianus et quod Pomponius. *L. 7. §. 6. b.* Pomponius ait: posse contractum pro parte pacto insequente directe voluntate dissolui: (§. 46.) Iulianus docet: posse contractum ex parte tolli per accidens, et consensum de toto initum, in parte tantum consistere.

O B S E R V A T I O.

49. Ait praetor: Pacta conuenta, quae neque dolo malo (qui iure impossibilis est, (*L. 1. tit. 7. §. 137.*) neque aduersus leges, plebiscita, se-

§. 7.

natusconsulta, edicta principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, seruabo. L. 7. §. 7. b. Quia pactum de iure tertii, hoc loco reipublicae, non valet. (L. 1. tit. 1. §. 200.)

OBSERVATIO.

§. 8. 50. Pacta quaedam in rem sunt, quaedam in personam. L. 7. §. 8. b.

DEFINITIO.

51. In rem sunt, quotiens generaliter paciscor: ne petam. L. 7. §. 8. b.

DEFINITIO.

52. In personam, quotiens ne a persona petam, paciscor. L. 7. §. 8. b.

ANNOTATIO.

53. Id est: ne a Lucio, Titio petam. L. 7. §. 8. b. Pacto reali rei debitaee qualitatem tribuo, e. gr. ne peti possit: pacto personali ius vel coercitionem in personam aliquam confero. (L. 2. tit. 3. §. 23. 24.)

ARGUMENTVM.

54. Quia sensus conuentionum spectari debet, (L. 1. tit. 1. §. 233.) Vtrum in rem an in personam pactum factum est, non minus ex verbis, quam ex mente conuenientium aestimandum est. Plerumque enim, vt Pedius ait, persona pacto inferitur, non vt personale pactum fiat, sed vt demonstrretur, cum quo pactum factum est. L. 7. §. 8. b.

ANNOTATIO.

§. 9. 55. Dolo malo, ait praetor, pactum se non seruaturum. (§. 49.) Dolus malus fit calliditate et fallacia. Et, vt ait Pedius, dolo malo pactum fit, quotiens circumscribendi alterius causa aliud agitur, et aliud simulatur. L. 7. §. 9. b. (L. 1. tit. 1. §. 68.)

DEFINITIO.

56. Fraus est captio damnosa contra aequitatem facta saluo stricto iure et sensu (L. 1. tit. 3. §. 32.)

ANNOTATIO.

57. Veteribus fraus quodlibet detrimentum fuit. *PLAVTVS in Asinaria: Actu. 2. Sc. 2. v. 20. Metuo, in commune ne quam fraudem fraus sit. In Milite: Actu 2. Sc. 3. v. 23. Tuis nunc cruribus capitique fraudem capitalem hinc creas. LL. XII. Tabb. Patronus, si fraudem fecerit, sacer esto. Idem: Si plus minusue secuerunt, se fraude esto.*

ANNOTATIO.

§. 10. 58. Sed si fraudandi causa pactum factum dicatur, nihil praetor adiicit. Sed eleganter Labeo ait, hoc aut iniquum esse, aut superuacuum. Iniquum, si quod semel remisit creditor debitori suo bona fide, iterum hoc conatur destruere: superuacuum, si deceptus hoc fecerit: inest enim dolo et fraus. L. 7. §. 10. b.

ANNO-

ANNOTATIO.

59. Siue autem ab initio dolo malo pactum factum est, siue post pactum dolo malo aliquid factum est, nocebit exceptio propter haec verba edicti: Neue fiat. *L. 7. §. 11. b.* §. 11.

ARGUMENTVM.

60. Quod fere nouissima parte pactorum ita solet inferi: Rogauit Titius: spondit Maenius: haec verba non tantum pactionis loco accipiuntur, sed etiam stipulationis: (haec enim formula ordinaria stipulationis est, quae adeo praesumitur. (L. 1. tit. 1. §. 224.) ideoque ex stipulatu nascitur actio. *L. 7. §. 12. b.* (quia conuentio legitima est. (§. 23. 24.) §. 12.

REGVLA.

61. Quod contra iustam praesumptionem affertur, euidentissime probandum est.

ARGUMENTVM.

62. Nisi contrarium specialiter approbetur, quod non animo stipulantium factum est, sed tantum paciscentium. *L. 7. §. 12. b.* Tunc ex pacto nudo non dabitur actio. (§. 24.) Hotomannus haec a Triboniano adfuta esse propter Leonis Imp. constitutionem; *L. 10. C. De contr. stip.* suspicatur.

ARGUMENTVM.

63. Si paciscar, ne (pro) iudicati vel incensarum aedium agatur: hoc pactum valet. *L. 7. §. 13. b.* Vtraque enim actio de iure priuatorum eorum potestatis est. (L. 2. tit. 3. §. 9.) *Rubr. ff. De incendio, ruina, cui renunciare possunt.* (L. 1. tit. 1. §. 199.) §. 13.

DEFINITIO.

64. Noui operis nunciatio est prohibitio, nouum opus paranti facta, ad id, vt desistat, donec de eius iure et facti iniuria cognoscatur.

ARGUMENTVM.

65. Si paciscar, ne operis noui nunciationem exsequar: quidam putant, non valere pactionem, quasi in ea re praetoris imperium versetur. (Potest enim popularis denunciatio esse, si ex nouo opere parato reipublicae damnum versetur, (L. 2. tit. 1. §. 15.) ita, vt executio huius denunciationis per praetoris officium nobile eiusque imperium denuncianti incumbat. Lae- beo autem distinguit: vt si ex re familiari noui operis nunciatio sit facta, liceat pacisci: (L. 1. tit. 1. §. 199.) si de republica non liceat. (L. 1. tit. 1. §. 200.) quae distinctio vera est. *L. 7. §. 14. b.* §. 14.

REGVLA.

66. Et in caeteris igitur omnibus ad edictum praetoris pertinentibus, quae non ad publicam laesionem, sed ad rem familiarem respiciunt, pacisci licet, *L. 7. §. 14. b.* (quia tantum de iure in fauorem priuatorum introducto in his causis agitur. (L. 1. tit. 1. §. 199.)

DEFINITIO.

67. Furtum est contrectatio fraudulenta rei alienae, iniqui lucri faciendi causa facta.

ARGUMENTVM.

68. Nam et de furtis (commisissis) pacisci lex permittit. *L. 7. §. 14. b.* (est enim pactum de re priuata. (§. 66.))

ARGUMENTVM.

§. 15. 69. Sed et si quis paciscatur, ne depositi agat, secundum Pomponium valet pactum. Item, si quis pactus sit, ut ex causa depositi omne periculum praestet, Pomponius ait pactionem valere, nec quasi contra iuris formam, (naturam contractus, quasi pactum sit: dolum non praestari. (Infra. §. 160.) factum, non esse seruandam. *L. 7. §. 15. b.* (§. 66.))

REGVLA.

§. 16. 70. Et generaliter: quotiens pactum a iure communi (intelligendum puto naturale, pietatem, honestatem,) remotum est, seruari hoc non oportet, nec legari. (quid, si legatur allegari) *L. 7. §. 16. b.*

ARGUMENTVM.

71. Nec iusiurandum de hoc adactum: ne quis agat: non est seruandum. *L. 7. §. 16. b.* E. gr. *Pactio talis: ne de inofficioso testamento dicatur, querelam super iudicio futuram non excludit.* PAVLLVS *sent. libro 4. tit. 5.* (*L. 2. tit. 4. §. 28.*)

ARGUMENTVM.

72. Marcellus libro 2 Digestorum scribit, etsi stipulatio sit interposita de his, pro quibus pacisci non licet; seruanda non est, sed omni modo rescindenda. *L. 7. §. 16. b.* Siquidem et stipulatio, confirmandae conuentionis illicitae gratia facta, non maioris esse potest valoris, quam conuentio cui accedit. (*L. 1. tit. 7. §. 69.*) Ipsa etiam conuentio iure impossibilis est et nonens, (*L. 1. tit. 7. §. 137.*) cuius non datur accessorium. (*L. 1. tit. 1. §. 216.*)

POSITIO.

§. 17. 73. Si ante aditam haereditatem paciscatur quis cum creditoribus, ut minus soluatur: pactum valiturum est. *L. 7. §. 17. b.*

PROBATIO.

Qui paciscitur cum creditoribus haereditariis, ut minus soluatur: pro haerede se gerit: *L. 1. C. De repud. vel abstin. haered.* et facta haereditatem adiit atque haeres est. (*L. 1. tit. 1. §. 213.*) Haeres autem de re haereditaria paciscens, de re facultatis suae paciscitur, (*L. 1. tit. 7. §. 57.*) et quoniam tale pactum valet. (*L. 1. tit. 1. §. 199.*) Idcirco si ante aditam (verbis expressis) haereditatem paciscatur quis cum creditoribus, ut minus soluatur: pactum valiturum est.

ARGUMENTVM.

§. 18. 74. Sed si seruus sit, qui paciscitur, priusquam libertatem et haereditatem adipiscatur, quia sub conditione haeres scriptus fuerat: non pro-

profuturum pactum Vindius scribit. *L. 7. §. 18. b.* Equidem dubii status est: (*L. 2. tit. 9. §. 32.*) conditione tamen suspenditur facultas se gerendi pro haerede, (*L. 1. tit. 1. §. 203.*) quare pactum ante aditam haereditatem inutum nullius momenti est, tanquam de re factum, quae extra facultatem eius sita est. (*§. 73.*) *L. 1. tit. 1. §. 200.*)

R E G V L A.

75. Quod non esse nequit, habetur pro eo, quasi sit.

A R G V M E N T V M.

76. Marcellus autem libro 18 Digestorum, et suum haeredem et seruum necessarium pure scriptos, paciscentes priusquam se immisceant, (quo sane opus non est, immo inutile est, ut haeredes se gerant,) putat recte pacisci: quod verum est. *L. 7. §. 18. b.* Cum enim non esse posset haeres, pro haerede habitus est. (*§. 75.*)

A N N O T A T I O.

77. Qui de facultatibus suis dubitabant, atque haeredem sibi fore desperabant, soliti erant seruum proprium haeredem instituire. *Toto tit. C. De necessar. haered.* eo quidem fine, ut bonis sub hasta venditis nomini defuncti parcatur: quae haeredis necessarii nomine vendebantur. Olim quoque suus haeres, etiam nolens, haeres esse iubebatur: quibus postea praetor beneficium abstinenti largitus est.

A N N O T A T I O.

78. Idem et in extraneo haerede: (*§. 73.*) qui si mandatu creditorum adierit, etiam mandati putat eum habere actionem. *L. 7. §. 18. b.* Pactus est institutus cum creditoribus, ut minus solvatur, et mandari sibi aditionem curauit: prodest ipsi pactum. At vero nec tum haereditas sufficit: mandati actione consequetur indemnitate eius nomine, quod de suo cogetur soluere. (*L. 2. tit. 2. §. 20.*)

A R G V M E N T V M.

79. Sed si quis, ut supra retulimus, in seruitute pactus est, negat Marcellus: quoniam non solet ei proficere, si quid in seruitute egit, post libertatem, (*§. 74.*) quod in pacti exceptione admittendum est. *L. 7. §. 18. b.* quia haeredem se gerere seruus non potuit.

A R G V M E N T V M.

80. Sed an (vel) doli ei profit exceptio, quaeritur. Marcellus in similibus speciebus, licet antea dubitauerit, tamen admisit. *L. 7. §. 18. b.* Quia fides non tam libertatis, quam humanitatis est. (*L. 1. tit. 1. §. 127.*)

A N N O T A T I O.

81. Ut puta filiusfamilias (ab extraneo) haeres institutus, pactus est cum creditoribus, (quo pacto patri exceptionem quaesivit. (*L. 1. tit. 1. §. 42.*) et emancipatus, adiit haereditatem: (hic exceptionem pacti patri quaesitam, allegare nequit,) et dicit, doli eum posse uti exceptione. (*L. 2. tit. 10. §. 5.*) Idem probat, et si filius viuo patre cum creditoribus pat-

ternis

ternis pactus sit: nam et hic doli exceptionem profuturam. Imo et in seruo doli exceptio non est respuenda. *L. 7. §. 18. b.* qui ne quidem statu liber est. (§. 80.)

ANNOTATIO.

§. 19.

82. Hodie tamen ita demum pactio huiusmodi creditoribus obest, si conuenerint in vnum, et communi consensu declarauerint, quota parte debiti contenti sint, si vero dissentiant, tunc praetoris partes necessariae sunt, qui decreto suo sequatur maioris partis voluntatem. *L. 7. §. 19. b.*

ANNOTATIO.

*Papin. L. 10.
Resp.
L. 8.*

83. Maiorem esse partem pro modo debiti, non pro numero personarum, placuit. Quod si aequales sint in cumulo debiti, tunc plurimum numerus creditorum praefendus est. In numero autem pari creditorum auctoritatem eius sequetur praetor, qui dignitate inter eos praecellit. Sin autem omnia vndique in vnam aequalitatem concurrant, humanior sententia a praetore eligenda est. Hoc enim ex Diui Marci rescripto colligi potest. *L. 8. b.* Id est: Titio debentur centum: Caio et Paulo quinquaginta: si dissentiat Titius a Paulo et Caio, Titius maiorem partem constituit. Si Titio debentur centum: Caio Pauloque etiam centum: maior pars Caius et Paullus erunt. Quod si vero Titio, Paulo et Caio singulis centum debeantur, omnesque a se inuicem dissentiant, dignior partem maiorem efficiet. At si dignitate quoque pares sint et numero et creditis, humaniorem ex dissentientibus sententiam praetor praeferet. Humanior autem sententia respectu debitoris intelligitur.

ANNOTATIO.

*Paul. L. 62.
ad Ed.
L. 9.*

84. Si plures sint, qui eandem actionem habent, vnius loco habentur. Vt puta plures sunt rei stipulandi, (*L. 2. tit. II. §. 47.*) vel plures argentarii, quorum nomina simul facta sunt, vnius loco numerabuntur, quia vnum debitum est. Et cum tutores pupilli creditores plures conuenissent, vnius loco numerantur, quia vnius pupilli nomine conueniunt. Nec non et vnus tutor plurium pupillorum (e. gr. fratrum, cohaeredum) nomine vnum debitum praetendentium, si conuenierit, placuit, vnius loco esse. Nam difficile est, vt vnus homo duorum vicem sustineat. Nam nec is, qui plures actiones habet, plurium personarum loco accipitur. *L. 9. pr. b.* Cumulum debiti (et) ad plures summas referemus: si forte minutae summae centum aureorum debeantur: alii vero vna summa aureorum quinquaginta. Nam in hunc casum spectabimus summas plures: quia illae excedunt in vnam summam coadunatae. *Lib. 9. §. 1. b.* Summae autem applicare debemus etiam vsuras. *L. 9. §. 2. b.*

ANNOTATIO.

85. Rescriptum autem Diui Marci sic loquitur, quasi omnes ereditores debeant conuenire. Quid ergo, si quidam absentes sunt: num exemplum praesentium absentes sequi debeant? sed an et priuilegiariis absentibus haec pactio noceat, eleganter tentatur: si modo valet pactio et contra absentes. (L. 1. tit. 1. §. 200.) Et reperio ante formam a Diuo Marco datam, Diuum Pium rescripisse, fiscum quoque in his casibus in quibus hypothecas non habet, et caeteros priuilegiarios exemplum creditorum sequi oportere. Haec enim omnia in creditoribus qui hypothecas non habent, conseruanda sunt. *L. 10. pr. b.*

Vlp. l. 4. ad Ed. L. 10.

ARGUMENTVM.

86. Si pacto subiecta sit poenae stipulatio, (si promittens pacto non steterit) quaeritur, vtrum pacti exceptio locum habeat, an ex stipulatu actio? (ad poenam) Sabinus putat, quod est verius, vtraque via vti posse, prout elegerit, qui stipulatus est. *L. 10. §. 1. b.* Nam stipulatio actionem parit, (§. 24. 25.) pactum exceptionem (§. 34.)

§. 1.

ANNOTATIO.

Creditore integrum, vel alias contra pactum petente, committebatur stipulatio: et actio ex stipulatu integra erat.

DEFINITIO.

87. Acceptilatio est obligationis verborum per contrariorum verborum solennitatem solutio. *§. 2. I. Quib. mod. toll. obl.*

ARGUMENTVM.

88. Ne debitor ex re lucrum iniquum captet: si tamen ex causa pacti exceptione vtatur, aequum erit, accepto eum stipulationem ferre. *L. 10. §. 1. b. (§. 59.)*

§. 1.

ARGUMENTVM.

89. Plerumque solemus dicere, doli exceptionem subsidium esse pacti exceptionis. Quosdam denique, qui exceptione pacti vti non possunt, doli exceptione vsuros: Et Iulianus scribit, et alii plerique consentiunt. *L. 10. §. 2. b.* Odiosa doli mentio restringi debet. (L. 1. tit. 1. §. 244.)

§. 2.

ANNOTATIO.

90. Vt puta: si procurator meus paciscatur, exceptio doli mihi proderit, vt Trebatio videtur, qui putat: sicuti pactum procuratoris mihi nocet, ita et prodesse: *L. 10. §. 2. b.* Exceptione pacti vti non possum, quia mihi non sum pactus: argumento stipulationis, (L. 2. tit. 11. §. 50.) at vero periculum et commodum pacti procuratoris meum est, dum meum negotium agitur. (L. 1. tit. 19. §. 6.) hinc doli exceptioni locus est, (L. 2. tit. 10. §. 5.) quia et solui ei potest. *L. 11. b.*

Paul. l. 7. ad Ed.

ANNOTATIO.

91. Nam et nocere constat: siue ei mandauit, vt pacisceretur, siue omnium rerum mearum procurator fuit: vt et Puteolanus libro primo

L. 11. Vlp. l. 4. ad Ed.

adessoriorum scribit: cum placuit, eum etiam rem in iudicium deducere. *L. 12. b.*

A R G V M E N T V M.

Paul. L. 3. ad Ed. L. 13. 92. Sed si tantum ad actionem procurator factus sit, conuentio facta domino non nocet, quia nec solui possit. *L. 13. pr. b.* Quod non mandatum est, periculo domini non est, nec eius commodo: cessat igitur exceptio doli, quando lucrum facti contra fidem sibi non quaerit promittens. (*L. 2. tit. 10. §. 5.*)

A R G V M E N T V M.

§. 1. 93. Sed si in rem suam datus sit procurator, loco domini habetur: et ideo seruandum erit pactum conuentum. *L. 13. §. 1. b.* (*L. 2. tit. 2. §. 12.*)

D E F I N I T I O.

94. Magister societatis est, qui negotia omnemque vniuersitatem eius magisterat, regit et moderatur. *FESTVS in V. Magisterare.* Idem, qui syndicus et negotiorum procurator videtur.

A R G V M E N T V M.

Vlp. L. 4. ad Ed. L. 14. Paul. L. 3. ad Ed. L. 15. 95. Item magistro societatum pactum et prodesse et obesse constat. *L. 14. b. (§. 90.)* Tutoris quoque, vt scribit Iulianus, pactum pupillo prodest. *L. 15. b.* Nam auctoritatem in rem pupilli praestat. (*L. 1. tit. 7. §. 53.*)

A R G V M E N T V M.

Vlp. L. 4. ad Ed. L. 16. 96. Si cum emtore haereditatis pactum sit factum, et venditor haereditatis petat: doli exceptio nocet. Nam ex quo rescriptum est a Diuo Pio, vtilis actio (etiam non cessas) emtori haereditatis dandas, merito aduersus venditorem haereditatis exceptione doli debitor haereditarius vti potest. *L. 16. pr. b.* Debitor haereditarius, cum emtore haereditatis pactus est, forte, vt minus soluat: venditor et haeres, iure haereditario integrum debitum petit: quia exactio debitorum haereditariorum emtoris est, per rescriptum, venditor nullo iure, adeoque lucro suo iniquo petit, et obstat doli exceptio. (*L. 2. tit. 10. §. 5.*)

A R G V M E N T V M.

§. 1. 97. Sed et si inter dominum rei (a non domino) venditae et emtorem conuenisset: vt homo qui emtus erat, redderetur ei, qui pro domino rem vendidit: (vt magis a non domino, quam ab emtore vindicaret,) petenti ei pretium, doli exceptio nocebit. *L. 16. §. 1. b.* Nam pretium rei alienae lucro suo petit. (*L. 2. tit. 10. §. 5.*)

A R G V M E N T V M.

98. Mutuum est contractus realis. (*L. 1. tit. 1. §. 256.*)

A R G V M E N T V M.

Paul. L. 3. ad Ed. L. 17. 99. Si tibi decem dem, et paciscar, vt viginti mihi debeantur: non nascitur obligatio ultra decem. Re enim non potest obligatio contra-

contrahi, nisi quatenus datum est. *L. 17. pr. b.* Pactum hoc cum principali contractu consistere nequit, qua de causa vitatur. (*L. 2. tit. II. §. 42.*)

P O S I T I O.

100. Quaedam actiones per pactum ipso iure tolluntur: vt iniuriarum: item furti. *L. 17. §. 1. b.*

§. 1.

P R O B A T I O.

Certum omnino est, quod actio iniuriarum, quando de ea pactum est, si instituatur, indulgentiam facti secum ferat, quae ipsa est modus iniuriam et ipsam actionem soluens. (*L. 1. tit. 1. §. 119.* Quia vero ipso iure tollitur, quod modum resolventem, dum fit, secum fert. (*L. 1. tit. 7. §. 35-36.*) Ideo actio iniuriarum per pactum ipso iure tollitur.

D E F I N I T I O.

101. Actio furti est postulatio eius, cuius periculo custodia vel usus rei mobilis interuersus est: contra furem iniuria interuertentem ad poenam legis statutam.

A R G V M E N T V M.

102. Ergo etiam actio de furti iniuria ipso iure tollitur.

D E F I N I T I O.

103. Actio Seruiana est postulatio locatoris contra possessorem rerum eoloni, pignoris iure pro mercede fundi obligatarum.

D E F I N I T I O.

104. Actio quasi Seruiana est postulatio cuiusvis alterius creditoris aduersus possessorem rei pignorate, ad consequendam eius possessionem.

A N N O T A T I O.

105. Sunt ambae actiones species actionis hypothecariae, quae iuris praetorii est. *§. 7. I. De action.*

O B S E R V A T I O.

106. Ius honorarium, id est, praetorium non directe ex pacto actionem dedit. Nam praetor iuri civili non aduersari potuit, vti nec haeredem efficere fas ipsi fuit. (*§. 1. Princ. I. De honor. possess.* sed remedia possessoria proposuit, quale et actionem hypothecariam esse reor.

A R G V M E N T V M.

107. De pignore iure honorario nascitur pacto actio: tollitur autem per exceptionem, quotiens paciscor: ne petam. *L. 17. §. 2. b.* Ius pignoris est qualitas rei oppignoratae, qua ipsa res oppignorata affecta est: quando autem paciscor, ne petam: hic modus qualitatem pigneratitiam rei non tollit, nec ei modo contrarius est, quo pignus constitutum fuit: nec modus resolvens pignus, cum pignore natus doceri potest: (*L. 1. tit. 7. §. 35.*) Ergo pignoris actio non ipso iure tollitur, sed exceptione.

§. 2.

A R G V M E N T V M.

108. Si quis paciscatur: ne a se petatur: (sed vt ab haerede petatur,) haeredi exceptio non prodest. *L. 17. §. 3. b.* Pactum personale, quod stricti iuris est, (*§. 35.*) non excedit personas paciscentium, (*L. 2. tit. II. §. 50.*) et morte perit. (*L. 2. tit. 3. §. 25.*)

§. 3.

ARGUMENTVM.

- §. 4. 109. Si pactus sim: ne a me, neue a Titio petatur: non proderit Titio, (quia pactum ultra paciscentes non extenditur, (§. 90. 108.) etiam si haeres extiterit: quia ex postfacto id confirmari non potest. *L. 17. §. 4. b.* (L. I. tit. 5. §. 31.)

ANNOTATIO.

110. Hoc Iulianus scribit in patre, qui pactus erat: ne a se, neue a filia peteretur, cum filia patri haeres extitisset. *L. 17. §. 4. b.*

ARGUMENTVM.

- §. 5. 111. Pactum conuentum cum venditore factum, si in rem constituitur, secundum plurimum sententiam (et) emptori prodest: et hoc iure nos uti, Pomponius scribit. *L. 17. §. 5. b.* Reale enim ad omnem successorem transit. (L. 2. tit. 3. §. 26.)

ANNOTATIO.

112. Secundum autem Sabini sententiam etiam si in personam conceptum est, (et) in emptorem valet: qui hoc esse existimat, et si per donationem successio facta sit. *L. 17. §. 5. b.* Forte, quia putauit personam duntaxat demonstratiue nominatam. (§. 54.) E. gr. Dominus cum venditore pactus est: ab ipso rem non euinci: videtur pactum in rem magis esse, quasi euictioni renunciaasset. Haec tamen sententia non est recepta. (§. 111.)

ARGUMENTVM.

- §. 6. 113. Cum possessor alienae haereditatis pactus est, (forte cum debitoribus vel creditoribus haereditariis) haeredi, si euicerit (haereditatem) neque nocere, neque prodesse, plerique putant. *L. 17. §. 6. b.* pactus enim est de iure tertii. (L. I. tit. I. §. 200.)

ARGUMENTVM.

- §. 7. 114. Filius seruusue si paciscantur: ne a patre dominoue petatur: *L. 17. §. 7. b.* siue de eo paciscantur, quod cum ipsis, siue de eo, quod cum patre dominoue contractum est: *L. 18. b.* adquirent exceptionem. *L. 19. pr. b.* (L. I. tit. I. §. 42.)

DEFINITIO.

115. Bona fide seruire dicitur, qui se seruum putat eius, cui seruit, dum liber est, vel alterius. *L. 6. §. 7. ff. De neg. gest.*

REGVLA.

116. Quando de bona fide gestis rescindendis agitur, apparens habetur pro vero.

ARGUMENTVM.

117. Idem est, et in his qui bona fide seruiunt. *L. 19. pr. b.* Vbi dominus apparens habetur pro vero: ne rescindantur, quae bona fide gesta sunt. (§. 116.)

A R G V M E N T V M.

118. Gestio de vniuersitate bonorum auget et minuit vniuersitatem: quoniam haec iura complectitur. (L. 2. tit. 13. §. 90.) *L. 65. ff. De Legat. 2.*

A R G V M E N T V M.

119. Pactum de vniuersitate bonorum potius est reale. (§. 118.)

A R G V M E N T V M.

120. Item, si filiusfamilias pactus fuerit: ne a se petatur, proderit ei, (si de peculiari re pactum fuit: nam peculiotenus patri non acquirit directe, (L. 2. tit. 4. §. 21.) et patri quoque, si de peculio (conueniatur.) *L. 19. §. 1. b.* Est enim reale. (§. 119.) Vel de in rem verso. *L. 20. b.* quo casu ipsi patri quaesita est exceptio.

§. 1.

Cai. L. 1. ad Ed. prou. L. 20.

A R G V M E N T V M.

121. Vel is, quasi defensor filii, si hoc maluerit, conueniatur. *L. 20. b.* (tum filii exceptione vitur. (L. 2. tit. 8. §. 103.) Et haeredi patris viuo filio. *L. 21. pr. b.* succedit enim in ius actionum (L. 1. tit. 7. §. 75.)

Paul. L. 3. ad Ed. L. 21.

A R G V M E N T V M.

122. Post mortem vero filii nec patri nec haeredi eius: (pacti exceptio proderit,) quia personale pactum est. *L. 21. pr. b.* quod morte perit. (L. 2. tit. 3. §. 25.) nec ex peculio competit, quod non est, nisi filio, et patre superstitibus. (L. 2. tit. 4. §. 21.)

A R G V M E N T V M.

123. Quodsi seruus, ne a se peteretur: pactus fuerit, nihil valebit pactum. *L. 21. §. 1. b.* Nec enim a seruo peti potest, qui non habet personam standi in iudicio. (L. 2. tit. 11. §. 74.) Si cum peculio seruus sit, peculio quaesita erit exceptio pacti. (§. 119.)

§. 1.

A R G V M E N T V M.

124. De doli exceptione videamus: et si in rem paciscatur, (non petitum iri,) proderit domino et haeredi eius pacti conuenti exceptio: (L. 2. tit. 3. §. 26.) quodsi in personam pactum conceptum est, tunc domino doli superest exceptio. *L. 21. §. 1. b.* (§. 80.)

A R G V M E N T V M.

125. Nos autem his, qui in nostra potestate sunt, paciscendo prodesse non possumus: *L. 21. §. 2. b.* (nam ipsis loco instrumenti non sumus. (L. 1. tit. 1. §. 42.)

§. 2.

A R G V M E N T V M.

126. Sed nobis id profuturum, si nomine eorum conueniamur, Proculus ait. (§. 120.) Quod ita recte dicitur: si in paciscendo id actum sit. *L. 21. §. 2. b.* Si ita pactus sit pater dominus: Ne a filio vel seruo ex peculii aut in rem versionis causa petatur: quo casu pactum virtualiter reale est. (§. 54.)

A R G V M E N T V M .

127. Caeterum si paciscar: Ne a Titio petas (pactum inutile est, (§. 109.) deinde actionem aduersus me nomine eius instituas: non est danda pacti conuenti exceptio: nam quod ipsi inutile est, nec defensori competit. *L. 21. §. 2. b. (L. 2. tit. 8. §. 103.)*

A R G V M E N T V M .

128. Iulianus quoque scribit: si pater pactus sit; ne a se, neuē a filio petatur: magis est vt pacti exceptio filiofamilias danda non sit, (§. 125.) sed doli profit. *L. 21. §. 2. b. (§. 124.)*

O B S E R V A T I O .

129. Dotis causa in iure Romano fauorabilis est, vt nubere possint foeminae. *L. 1. ff. Sol. matrim.*

A R G V M E N T V M .

130. Dos vxoris est (§. 14.) vnde et actio dotis eius est, quamuis in patris sui potestate existat. *L. 2. §. 2. ff. Solutio matrim.*

A R G V M E N T V M .

§. 3. 131. Filiafamilias pacisci potest: ne de dote agat; (sub conditione, vel in eum diem) cum sui iuris esse coeperit. *L. 21. §. 3. b. Dos enim in facultate filiae posita est, et pro vxore fauorabilis, (L. 1. tit. 1. §. 199.) §. 130.) et pactum demum commissa conditione et die veniente absoluitur: (L. 1. tit. 1. §. 205. seq.) et in eum omnino casum collatum est, a quo incipere potest. (L. 2. tit. 1. §. 51.)*

A R G V M E N T V M .

§. 4. 132. Item, filiusfamilias de eo, quod sub conditione legatum est, recte paciscitur. *L. 21. §. 4. b. Sub conditione eadem vel simili, quae pactum absoluendum in id tempus eumue casum differat, quo incipere valide potest, (§. 131.) L. 2. tit. 1. §. 51.)*

A R G V M E N T V M .

§. 5. 133. In his, qui eiusdem pecuniae exactionem habent in solidum (in correis credendi: (L. 2. tit. 11. §. 45.) vel qui eiusdem pecuniae debitores sunt, (correi debendi: (Ib. §. 46.) quatenus alii (correorum) quoque profit vel noceat pacti exceptio, quaeritur. Et in rem pacta omnibus profunt, quorum obligationem dissolutam esse, eius, qui paciscebatur, interfuit. *L. 21. §. 5. b. Interest correi debendi, qui aliorum obligationi intercessit. (L. 2. tit. 8. §. 32.) vt liberetur per debitorem, pro quo intercessit. Secundum principia tradita pactum prodest ei, cuius commodo lucratiue per pactum in rem prospicitur: cum hominum consensus in commodum suum non praesumi non possit. (L. 1. tit. 1. §. 250.) Dici hic non potest, liberae personae per liberam acquiri: nam rei acquiritur: commodum autem alius ex re sua capit, qui non repudiat, hoc magis occasione rei quam facto alieno. Correas enim toti quaerit, cuius ius in solidum habet, item omnis socius.*

A N N O T A T I O.

134. Itaque debitoris conuentio fideiussoribus proficiet. *L. 21. §. 5. b.* nam hic in qualitatem debiti, pacto in rem definiti, succedit. (*L. 2. tit. 2. §. 16.*)

A N N O T A T I O.

135. Nisi hoc tantum actum est (in paciscendo,) vt duntaxat a reo non petatur, a fideiussore petatur: tunc enim fideiussor exceptione non vtetur. *L. 22. b.* Notabilis lapsus compilatorum hic obseruari meretur, qui hanc exceptionem praeter regulam fecerunt. Paullus in textu praecedente loquitur de pacto in rem: hinc illi subiiciunt Vlpianum, et excipiunt pactum quod in personam conceptum est. Quasi dixissent: pactum reale debitoris prodest fideiussori: nisi hoc reale pactum in personam conceptum sit.

Vlp. L. 4. ad. Ed. L. 22.

A R G V M E N T V M.

136. Fideiussoris autem conuentio nihil proderit reo: quia nihil eius interest, a debitore pecuniam non peti. *L. 23. b.* Debitor principalis non succedit in fideiussorem: hanc ergo minui vel tolli, principalis non interest. Siue: ius debiti non minuitur pacto, licet ius fideiussionis minutum aut remissum sit: per consequentiam. (*§. 133.*)

Paul. L. 3. ad Ed. L. 23.

A R G V M E N T V M.

137. Immo, nec confideiussoribus proderit: (qui sibi in obligationem non succedunt, (*§. 136.*) neque enim, quoquo modo cuiusquam interest, cum alio conuentio facta prodest: sed tunc demum, cum per eum, cui exceptio datur, principaliter ei, qui pactus est, proficiat: sicut in reo promittendi, et his, qui pro eo obligati sunt. *L. 23. b. Ex epistola D. Hadriani impellitur creditor a singulis, qui modo soluendo sunt litis contestatae tempore, partes petere. §. 4. I. De fideiussor.* Sic prodest fideiussoribus reliquis vnus pactum, quod hic inter fideiussores connumeretur et partem faciat, qui si pactus non esset, et litis contestatae tempore soluendo non fuisset, vel sine haerede decessisset, pars eius caeterorum oneri adcreuisset. *L. 26. ff. De fideiussor.* Ergo regula de his, quorum interest, (*§. 133.*) per constitutionis ius aequo laxior effecta est, in qua restringenda Paullus fere se torquet. Hoc autem dicit. Nisi ex iure principalis obligationis per pactum inuectae, aliorum intersit, tametsi pactum horum commodo cedat, per dictam regulam non interesse.

A R G V M E N T V M.

138. Sed si fideiussor in rem suam spondit, (qualis est, qui *§. 140.* commenstratur), hoc casu fideiussor pro reo accipiendus est: et pactum, cum eo factum, cum reo factum esse videtur. *L. 24. b.* Vix enim videtur alienae obligationi se subiicere, qui in eam rem accedit, ex qua ipse obligatus est. (*L. 2. tit. 2. §. 16.*)

Id. L. 3. Plaur. L. 24.

A R G V M E N T V M.

139. Ergo huius pactum obligationem principale non iure donare potest, quod confideiussoribus profuturum est. Etenim de re paciscitur, quae suae facultatis est. (*L. 1. tit. 21. §. 2.*)

A N N O -

ANNOTATIO.

*Id. L. 3. ad
Ed.
L. 25.*

140. Idem in duobus reis promittendi, et duobus argentariis sociis. *L. 25. pr. b.* Si horum alter pro altero fideiubeat, in rem et obligationem integram fideiubent: dum singuli totum, debent.

ANNOTATIO.

§. 1.
§. 2.
*Vlp. L. 4. ad
Ed.
L. 26.*

141. Personale pactum ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad haereditatem, Labeo ait. *L. 25. §. 1. b.* (L. 2. tit. 3. §. 25.) Sed quamvis fideiussoris pactum non proficit, (§. 136.) plerumque tamen doli exceptionem reo profuturam, Iulianus scribit. *L. 25. §. 2. b.* Videlicet, si hoc sit, ne a reo quoque petatur. (§. 80. 81. 124.) Idem et in confideiussoribus est. *L. 26. b.*

ARGUMENTVM.

*Paul. L. 3. ad
Ed.
L. 27.*

142. Si vnus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit, an etiam alteri noceat exceptio? Neratius, Atilicinus, Proculus: nec si in rem pactus sit, (§. 51.) alteri nocere: tantum enim constitutum (pacto) vt solidum alter, (qui pactus non est,) petere possit. *L. 27. pr. b.* quia de iure tertii minuendo nemo pacisci potest, (L. 1. tit. 1. §. 200.) potest autem, si meliorem faciat conditionem. (L. 1. tit. 1. §. 250.)

DEFINITIO.

143. Nouatio est debiti et obligationis in aliud genus debendi per stipulationem facta transfusio.

ANNOTATIO.

144. Idem Labeo: nam nec nouare alium posse, quamvis ei recte soluitur. Sic enim et his, qui in nostra potestate sunt, recte solui, (vt liberatio sequatur,) licet nouare non possint, quod est verum. Idemque in duobus reis stipulandi dicendum est. *L. 27. pr. b.* Ratio dubitandi obiecta est: si potest liberare accipiendo solutionem, potest etiam liberare per pactum: quod sane non procedit: quoniam a liberatione non liberali ad remissionem debiti gratuitam non potest argumentum trahi. Sed consequentia valebit ab eo, qui ne quidem nouare potest, siue aliam debendi speciem substituire, quod is multo minus totum debitum remittere possit.

ANNOTATIO.

145. Loco nouare alii legere maluit: *donare*: quod per dicta omnino improbat.

ARGUMENTVM.

§. 1. 146. Si cum reo ad certum tempus pactio facta sit, ultra neque reo neque fideiussori prodest. *L. 27. §. 1. b.* (L. 1. tit. 6. §. 8.)

ARGUMENTVM.

147. Quod si sine persona (sua) reus pepigerit: ne a fideiussore petatur: nihil id prodesse fideiussori, quidam putant: quanquam id rei interfit: (forte, si fideiussor conuentus exceptionibus vti prohiberetur, quia ego incidi in edictum:) - Quod quisque iuris. (L. 2, tit. 2. §. 17.) vnde
magnum

magnum damnum acciperet, quod actione mandati a me repeteret. (Ibid. §. 20. 21.) quia ea demum competere ei debeat exceptio, quae et reo. (quia ius obligationis fideiussorem sequitur, (L. 2. tit. 2. §. 16.) Ego didici, prodesse fideiussori exceptionem: non sic enim illi per liberam personam, (potestati familiae non subiectam) adquiri: (quod iure Romano fieri non potuit, (L. 1. tit. 1. §. 42.) quam ipsi, (potius) qui pactus sit, consuli videtur: quo iure utimur. L. 27. §. 1. b. Quod sibi paciscatur reus quamuis in fideiussorem verba concepta sint, ex specie relata patet: quod pactum per indirectum profit fideiussori, istud non facit personale: quia voluntas paciscentis ex fine non ex nominatione personarum aestimanda est. (§. 54.)

OBSERVATIO.

148. Posterior voluntas potior est priore.

ARGUMENTVM.

149. Pactus: ne peteret: postea conuenit: vt peteret: prius pactum per posterius eliditur. L. 27. §. 2. b. per modum exceptionis. (L. 2. tit. 10. §. 4.)

§. 2.

ANNOTATIO.

150. Quod Libro 1. tit. 1. §. 36. et §. 135. de illo, quod ipso iure nullum est, dictum fuit, de eo intelligi debet, quod iure gentium cum causa geritur: et quod, ad gestiones legitimas et mere ciuiles pertinet, quae iuris ciuilibus effectu tolluntur, quasi factae non sint: sicut etiam per actus legitimos id efficitur, quod natura esse nequit. (L. 1. tit. 1. §. 317.) Pacta vero, quae proprie non dicuntur geri: gestione contraria non tolluntur, sed in facto fidei datae consistunt. Ergo gestio, vnde obligatio oritur, et naturalis fidei praestatio, iure Romano a se inuicem differunt. *ALCIATVS Paradoxis L. 1. c. 21.* ius, actionem interpretatur, factum exceptionem. Inter factum et gestum hic interest: abusive quidem nihil interest. L. 58. ff. De V. sign.

ARGUMENTVM.

151. Non quidem ipso iure, sicut tollitur stipulatio per stipulationem: si hoc actum est: quia in stipulationibus ius continetur, (legitimum ciuile (§. 24.) in pactis factum (naturale ex fide data) versatur, et ideo replicatione exceptio eliditur. L. 27. §. 2. b.

DEFINITIO.

152. Replicatio est exceptio, qua ius exceptionis per potioris iuris allegationem eliditur.

ARGUMENTVM.

153. Quod igitur de exceptione valet, etiam de replicatione valebit.

ARGUMENTVM.

154. Eadem ratione contingit, ne fideiussoribus prius pactum proficit. L. 27. §. 2. b. Succedunt enim in ius et qualitatem obligationis principalis. (L. 2. tit. 6. §. 16.)

PARS II.



ARGV-

A R G V M E N T V M.

155. Sed si pactum conuentum tale fuit, quod actionem quoque tolleret, velut iniuriarum: (§. 100.) non poterit postea paciscendo: vt agere possit: agere. Quia et prima actio sublata est, et posterius pactum ad actionem parandam inefficax est. Non enim ex pacto iniuriarum actio nascitur, sed ex contumelia. *L. 27. §. 2. b. (L. 1. tit. 1. §. 119.)*

A N N O T A T I O.

156. Idem dicemus et in bonae fidei contractibus, si pactum conuentum totam obligationem sustulerit: veluti emti. (§. 44.). Non enim ex nouo pacto prior obligatio resuscitatur, (alias ex pacto oriretur obligatio, quod negatur. (§. 34.) *L. 27. §. 2. b.*

A N N O T A T I O.

157. Sed proficiet pactum ad nouum contractum, quod si non, vt totum contractum tolleret, pactum conuentum intercessit, sed vt imminueret: posterius pactum potest renouare priorem contractum. *L. 27. §. 2. b. (§. 45.)* Nouam interpunctionem textus facere ausus sum, et principium huius §. facio, quod alias finis praecedentis est. Quid enim proficiet pactum ad nouum contractum, quod priorem ipso iure sustulit?

A R G V M E N T V M.

158. Quod et in specie dotis actionis procedere potest. (quippe quae bonae fidei est, (§. 42.). Puta pactam mulierem, (postquam dotem dixerat, antequam matrimonium sequeretur) vt praesenti die (diuortii) dos redderetur, (quod potuit, nondum re secuta: vt a bonae fidei contractu pro parte recederet. (§. 44. 45.) Aliter re secuta pactum ex interuallo interpositum haberetur, quod tum ad actionem producendam inualidum est, (§. 41.) deinde pacisci, vt tempore ei legibus dato dos reddatur: incipiet dos redire ad ius suum. (Sic pactum de contractu est, per dicta (§. 44.) hoc est, naturae dotis non repugnat, sed ordinariam eius constitutionem confirmat.) Non enim dicendum est, deteriorem conditionem dotis fieri per pactum. Quotiens enim ad ius quod lex naturae eius tribuit, de dote actio redit, non fit causa dotis deterior, sed formae suae redditur. Haec et Scaeuolae nostro placuerunt: *L. 27. §. 2. b.*

A R G V M E N T V M.

§. 3.

159. Illud nulla pactione (circa bonae fidei contractus) effici potest, ne dolus praestetur: *L. 27. §. 3. b.* quia non est ex contractus forma et natura: sed eam destruit. (§. 44. 158.) *L. 2. tit. 11. §. 42.)* Verum extra bonae fidei contractus pactum huiusmodi iuri communi aduersatur. (§. 70.)

A N N O T A T I O.

160. Quamuis quis paciscatur: ne depositi agat, vi ipse id pactus videatur, ne de dolo agat, quod pactum proderit. *L. 27. §. 3. b. (§. 69.)*

ANNO-

A N N O T A T I O.

161. Pacta, quae turpem causam continent, non sunt obseruanda. (§. 33.) Veluti, si paciscar: Ne furti agam vel iniuriarum, si feceris: Expedi enim timere furti vel iniuriarum poenam, sed post admissa haec pacisci possumus. *L. 27. §. 4. b.* (§. 68.)

§. 4.

A R G V M E N T V M.

162. Item: ne experiar interdicto vnde vi: quatenus publicam causam contingit, (quatenus turbat quietem reipublicae, et commune ciuitatis foedus soluit. (*L. 1. tit. 1. §. 232.*) pacisci non possumus. (*Ibid. §. 200.*) Et in summa: si pactum conuentum a re priuata remotum sit, non est seruandum. Ante omnia enim animaduertendum est, ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re aliaue persona noceat. *L. 27. §. 4. b.* (§. 49. 35. 109.) §. 142.) *L. 2. tit. 12. §. 10.*)

A R G V M E N T V M.

163. Si cum decem mihi deberes, pepigero: ne ate viginti petam: in decem (quae debes) prodesse tibi pacti conuenti, vel doli exceptionem placet. *L. 27. §. 5. b.* Cum impudentia et illusio esset dicere: viginti tibi remittere volo, sed decem nolo. (*L. 1. tit. 1. §. 240.*)

§. 5.

A R G V M E N T V M.

164. Item, si cum viginti deberes, pepigerim: ne decem petam: efficeretur per exceptionem mihi opponendam, vt tantum reliqua decem exigere debeam. *L. 27. §. 5. b.* Pactum hoc non ad integrum debitum trahi potest: cum factum praesumatur, quod minimum est, (*L. 1. tit. 1. §. 225.*) nec nullum esse potest, quoniam verba sic interpretanda sunt, vt effectum fortiantur. (*Ibid. §. 237.*)

D E F I N I T I O.

165. Obligatio alternatiua est, quando vno debito duae res electivae satisfactionis comprehenduntur: sic vt obligatio in vnaquaque integra subsistat.

A R G V M E N T V M.

166. Ergo, si per vnam rem debito satisfactum est, tota obligatio soluta est: et si vna res repudiata est, tota obligatio dimittitur.

A R G V M E N T V M.

167. Obligatio alternatiua pereunte vno promissorum, pure subsistit in altero.

A R G V M E N T V M.

168. Sed si stipulatus decem aut Stichum (alternatiue) (de) decem pactus sim (ne peterem) exceptionem pacti conuenti in totum (in integram stipulationem, etiam quoad Stichum) obstaturam. Nam vt solutione et petitione et acceptilatione vnus rei, tota obligatio solueretur: ita pacto quoque conuento de vna re non petenda interposito, totam obligationem submoueri. *L. 27. §. 6. b.* Nam qui decem aut Stichum petere debet vi obligationis, si decem non potest, nec Stichum potest petere: et si Stichum

§. 6.

chum petat, in decem repudiatis integram obligationem fustulit. (§. 166.) Item, si in decem pactus est, Stichum repudiavit simulque totam obligationem.

A N N O T A T I O.

169. CORNELIVS V. BYNKERSHOEK *Obscrv. L. 8. c. 10.* dubitat de comparatione et consequentia solutionis ad petitionem ducta in hac lege, quantum ad liberationem. Pulchre vero per plus petitionem textum interpretatur, quae causae amissionem post se traxit. *L. 1. ff. De interrog. in iure faciendis. L. 36. ff. De solut. PAVLLVS L. 1. sent. tit. 10. §. 33. I. De Action. Ad do PLAVTVM Mostell. Actu. 3. sc. 1.*

Quatuor quadraginta illi debentur minae:

Et fors et foenus. D A. tantum est: nibilo plus peto.

TR. Velim quidem hercle, ut uno nummo plus petas.

Tum vero argumentum a solutione, &c. sumtum, ad pactum non procedet. Ergo in natura obligationis alternatiuae rem pono.

A R G V M E N T V M.

170. Sed si id actum inter nos sit: ne decem mihi, sed Stichus praestetur: possum efficaciter de Sticho agere. Hic loci Stichum non esse repudiatum ex ipso pacto patet: ergo sequendum, quod actum. (L. 2. tit. 6. §. 8.) Idem est, et si de Sticho non petendo conuenerit. *L. 27. §. 6. b.* quo casu pariter in decem obligatio siue actio tollitur, nisi expresse conuenit: decem praestari.

A R G V M E N T V M.

§. 7.

171. Sed si generaliter hominem mihi debeas, et paciscar: ne Stichum petam: Stichum quidem petendo, pacti exceptio (mihi) opponetur: (nam ita conuenit, (L. 2. tit. 6. §. 8.) alium autem hominem si petam, recte agam. *L. 27. §. 7. b.* (quia hoc iterum actum ipso pacto, ut in solum Stichum exceptio competat. (L. 2. tit. 6. §. 8.)

O B S E R V A T I O.

172. Fundi vocabulum satis latum et vulgari acceptione amplius est. Municipales quidam fuere homines coloniarum, quorum populus Romanus fundus factus erat. A. GELLIVS *L. 16. c. 13.* PAVLLVS DIACONVS Festi epitomator: *Fundus dicitur populus esse, rei, quam alienat, hoc est, auctor.* Conferatur in haec CICERO *pro Balbo pag. m. 555.* Cum enim opus esset, ut deducerentur coloniae, auctor fiebat populus. CICERO *de L. Agraria:* et auctorem quemuis fundum antiquitus dixerunt. PLAVTVS *in Trinummo Actu 5. sc. 1. v. 7.*

O B S E R V A T I O.

173. Alia est fundi significatio, qua vniuersitas dicitur, res et iura vna appellatione complectens cum omni alia causa. Hoc sensu fundus frequentissime in iure ciuili sumitur. Argumento *legis 16. §. 3. ff. Ad SCtum Trebell.*

A R G V -

A R G V M E N T V M.

174. Item, si pactus: ne haereditatem peterem: singulares res vt haeres petam: ex eo quod pactum erit, pacti conuenti exceptio aptanda erit. (Conuenit enim, ne petam vt haeres: et sequi iterum conuenit, quod actum est. (L. 2. tit. 6. §. 8.) Quemadmodum si conuenerit: ne fundum peterem, et vsufructum petam: (vsufructus sub nomine fundi continetur, (§. 173.) ideo nec vsufructus obstante exceptione petetur) aut, ne nauem aedificiumue peterem: et dissolutis his singulas res petam: (quia praetor caillationi non patrocinator, (§. 55.) nisi specialiter aliud actum est. L. 27. §. 8. b. (L. 2. tit. 6. §. 8.)

§. 8.

A R G V M E N T V M.

175. Si acceptilatio (§. 88.) inutilis fuit, (ita vt non subsistat tanquam modus tollendi obligationem solennis, legitimus et ciuilis) tacita pactione id actum videtur: ne peteretur. L. 27. §. 9. b. Valebit acceptilatio tanquam pactum. Animum enim et voluntatem respicit praetor, (L. 1. tit. 1. §. 233.) et aliquid cum effectu actum esse praesumitur. (L. 1. tit. 1. §. 237.)

§. 9.

O B S E R V A T I O.

176. Haereditas iacens personam defuncti sustinet, donec haeres adeat. L. 33. §. 2. L. 34. et 61. ff. De acquir. rer. dom. L. 15. pr. ff. De Vsurp. et Vsu-cap. L. 22. De fidetuff.

A R G V M E N T V M.

177. Seruus haeredi post adituro nominatim pacisci non potest, (ex pacto in personam concepto exceptionem non acquirit, vt domino seruus adquirere solet. (L. 1. tit. 1. §. 41.) quia nondum is dominus sit. Sed si in rem pactum conuentum sit, haeredi (per aditionem) adquiri potest. L. 27. §. 10. b. acquirit enim exceptionem haereditati. (§. 176.)

§. 10.

A N N O T A T I O.

178. Contra iuris ciuilis regulas, (formam negotiis praescriptam) pacta conuenta rata non habentur: (§. 49.) Veluti si pupillus sine tutoris auctoritate pactus sit: ne a debitore suo peteret: aut, ne intra certum tempus, veluti quinquennium peteret. Nam nec solui ei sine tutoris auctoritate potest. L. 28. pr. b.

Cai. L. 1. ad Ed. prou. L. 29.

A R G V M E N T V M.

179. Ex diuerso autem, si pupillus paciscatur: ne quod debeat, a se peteretur: ratum habetur pactum conuentum: (nam in his defensore tutore (L. 1. tit. 7. §. 53.) opus non habet, ex quibus laedi non potest,) quia meliorem conditionem suam facere, ei etiam sine tutoris auctoritate concessum est. L. 28. pr. b.

D E F I N I T I O.

180. Administrare est rem vel negotium saluam praestare, et ad finem proprium dirigere.

R E G V L A.

181. Non administrat, quidonat, vel destruit.

Q 3

DEFF

DEFINITIO.

182. Curator est administer legitimus vniuersitatis negotiorum et rerum eius, qui ipse his superesse impeditur.

DEFINITIO.

183. Prodigus est, qui profundendo et perdendo bona furit.

ARGUMENTVM.

§. 1.

184. Si curator furiosi aut prodigi pactus sit: ne a furioso aut prodigo peteretur: longe utile est, curatoris recipi pactioes: sed non contra. *L. 28. §. 1. b.* (Paciscitur curator vt auctor, (L. 2. tit. 2. §. 10.) de vniuersitate bonorum, (§. 182.) ergo in rem: (§. 119.) alias alii paciscendo nihil ageret. (§. 108.) Pacisci autem non valet, vt ante diem petatur: vel, ne petat. (§. 180.)

ARGUMENTVM.

§. 2.

185. Si filius aut seruus pactus sit: ne ipse peteret: inutile est pactum. *L. 28. §. 2. b.* Si sine peculio sint, tum in re familiari nihil possunt. (L. 1. tit. 5. §. 27.) §. 120. 123.)

ARGUMENTVM.

186. Si vero in rem pacti sunt, (§. 133.) id est, ne ea pecunia peteretur: (peculio debita) ita pactio eorum rata habenda erit aduersus patrem dominumue, si liberam peculii administrationem habeant, et ea res, de qua pacti sunt, peculiaris sit. *L. 28. §. 2. b.* Potest enim pactum fieri de re suae facultatis: (L. 1. tit. 1. §. 201.) quare filius vel seruus facto suo peculium onere et commodo afficit. (§. 119.)

ARGUMENTVM.

187. Quod et ipsum non est expeditum. Nam cum verum est, quod Iuliano placet, etiamsi maxime quis administrationem peculii habeat concessam, donandi ius eum non habere. (§. 181.) Sequitur, vt si donandi causa de non petenda pecunia pactus sit, non debeat ratum haberi pactum conuentum. *L. 28. §. 2. b.*

ARGUMENTVM.

188. Quod si pro eo, vt ita pacisceretur, aliquid in quo non minus vel etiam amplius esset, consecutus fuerit: rata habenda est pactio. *L. 28. §. 2. b.* Cessat enim donatio.

ARGUMENTVM.

Vlp. *L. 4. ad Ed. L. 29.*

189. Sin autem dominicam pecuniam crediderit, quod credendi tempore pactus est, valere Celsus ait. *L. 29. b.* Nam qui credit, non donat. Sed si pactus sit, ne peteret, non credidisset, sed donasset.

DEFINITIO.

190. Familia etiam dicitur vniuersitas rerum et iuris, quae in patrisfamilias bonis est.

OBSERVATIO.

191. Quod ex libertate, existimatione et similibus est, neque de cognatione, neque de bonis et patrimonio est.

P O S I -

P O S I T I O .

192. Filius familias sibi acquirit actionem iniuriarum.

P R O B A T I O .

Quod ex libertate existimatione, statu et similibus est, id nec de cognitione, (L. 1. tit. 7. §. 91.) neque de bonis est (§. 190) et propterea hoc familiae iuri non est subiectum. Est autem actio iniuriarum ex libertate et existimatione laesa, (L. 2. tit. 8. §. 17.) cumque filiusfamilias res familiae iuri non suppositas acquirere sibi possit. (L. 2. tit. 6. §. 25.) Ergo filiusfamilias sibi acquirit actionem iniuriarum.

A R G V M E N T V M .

193. In persona tamen filiifamilias videndum est, ne aliquando, *Cai. L. 1. ad ed. prou. L. 30.* etsi pactus sit, ne ageret, valeat pactum: quia aliquando filiusfamilias habet actionem: veluti iniuriarum. *L. 30. pr. b. (§. 192. 161.)*

A R G V M E N T V M .

194. Quia pater filio voluntatem imperat, (L. 1. tit. 5. §. 28.) in rebus familiae vna persona sunt. (L. 1. tit. 1. §. 195.)

A R G V M E N T V M .

195. Sed cum propter iniuriam filio factam habeat et pater actionem, (puta, quia filii dignitas a patre est, (L. 1. tit. 5. §. 50.) ipse quoque in filii persona laeditur.) quin pactio filii nocitura non sit patri, agere volenti, dubitari non oportet. *L. 30. pr. b. (L. 1. tit. 1. §. 200.)*

D E F I N I T I O .

196. Expromissor est, qui alienae obligationi intercedit, cum effectu liberandi debitorem.

P O S I T I O .

197. Quando seruus debitor debitoris mei peculiotanus pro debitore meo expromittit vel constituit, quaeritur debitori meo pacti exceptio.

P R O B A T I O .

Qui expromissorem recipit, liberat debitorem priorem, (§. 196.) quando autem cum seruo stipulatio fit de peculio, equidem stipulatio non est: (L. 2. tit. 11. §. 62.) attamen in peculium pactum est. (§. 175.) si modo peculium onerat, (§. 186.) vnde pacti exceptio nascitur, ei quaesita qui liberatus est. Hac ergo ratione debitori meo pacti exceptio quaeritur, quando seruus debitoris eius in peculium expromisit.

A N N O T A T I O .

198. Hanc positionem ita proponit Caius: Qui pecuniam a seruo (Sempronii) stipulatus est, quam sibi (peculii causa) Titius (debitor Maevii) debebat: si a Titio (Maevius) petat, an exceptione pacti conuenti submoueri possit et debeat: quia pactus videatur, ne a Titio petat, quaesitum est. Iulianus ita submouendum putat, si stipulatori in dominum illius serui, de peculio actio danda est: id est, si iustam causam intercedendi seruus habuit: quia forte tantundem pecuniae Titio debuit. *L. 30. §. 1. b.* Tum enim pactum in rem est (§. 187.)

§. 1.

A N N O -

ANNOTATIO.

199. Casus hic est: Titius mihi debet pecuniam: Seruus Sempronii tandem debet Titio ex peculio: stipulor a seruo quod Titius mihi debet: quod si a Titio petam, exceptio pacti Titio proderit.

ARGUMENTVM.

200. Quodsi quasi fideiussor interuenit, ex qua causa in peculium actio non daretur: non esse inhibendum creditorem, quo minus a Titio petat. *L. 30. §. 1. b.* Fideiussor enim stipulatione accipitur cuius seruus capax non est. (*L. 2. tit. II. §. 62.*)

ARGUMENTVM.

201. Aequè nullo modo prohiberi eum debere, si eum seruum liberum esse credidisset. *L. 30. §. 1. b.* quia pactum personale esset, quod in seruo nullum est. (§. 185.) Idem etiam opinor obtinuisse, si seruum cum peculio credidisset, qui nullum habebat: nam in rem pactio procedere non poterat. (*L. 1. tit. I. §. 216.*)

POSITIO.

§. 2.

202. Si sub conditione stipulatus fuerim a te, quod Titius mihi pure deberet: an deficiente conditione, si a Titio petam, exceptione pacti conueni et possim et debeam submoueri? Et magis est, exceptionem non esse opponendam. *L. 30. §. 2. b.*

PROBATIO.

Quando sub conditione stipulatus sum a te, quod Titius mihi pure debet, deficiente conditione, conditio in nonens abit, atque ipsa expromissio soluitur et nulla est. (*L. 1. tit. 1. §. 205.*) Exceptio vero ex pacto expromissorio conditionali non est opponenda, quando conditio non in rerum natura, et expromissio soluta et nulla est: (*L. 1. tit. 1. §. 216.*) sequitur, quod si sub conditione stipulatus fuerim a te, quod Titius mihi pure debebat, deficiente conditione exceptionem non esse opponendam.

ANNOTATIO.

203. Ex stipulatu exceptio pacti nascitur, quia stipulatio pactum legitimum est. (§. 24.) Dicit etiam lex: *possim et debeam*: et idem (§. 97.) *submoueri possit et debeat*. Hoc ideo: si petitio exceptione pacti submoueri potest, etiam debet, nec exceptionem doli admitti debere. (§. 89.)

DEFINITIO.

204. Aediles fuere magistratus cum cura aedium sacrarum, ludorum publicorum, viarum, fori et mercimoniorum. FENESTELLA *De magistrat. Rom. c. 13.*

ANNOTATIO.

205. Edictum soliti fuere proponere de rebus promercalibus earumque vitiiis, quod ad fauorem emtorum tendebat. De aliis quoque ad curam viarum et locorum publicorum pertinentibus edixerunt. *Tit. ff. De aedilitio ed. stolidae animaduersionis aedilitiae exemplo*, fictum sit seu verum, magistratus iuuenes sui temporis perstringit *APULEIUS Metamorphos. L. 1.*

A R G V -

A R G V M E N T V M.

206. Pacifici contra edictum aedilium (quoad fauorem priuatorum (§. 205.) omnimodo licet: siue in ipso negotio venditionis gerendo conuenisset, siue postea. *L. 31. b.* (L. 1. tit. 1. §. 199.)

Vlp. L. 1. ad Ed. Aed. cur. L. 31.

A N N O T A T I O.

207. Quod dictum est, si cum reo pactum sit: vt non petatur: fideiussori quoque competere exceptionem: (§. 134.) propter rei personam placuit: ne mandati iudicio (a fideiussore) conueniatur. *L. 32. b.* (L. 2. tit. 2. §. 21.)

Paul. L. 3. ad Plaut. L. 32.

A R G V M E N T V M.

208. Igitur, si mandati actio nulla sit; forte, si donandi animo fideiussorit: dicendum est, non prodesse exceptionem fideiussori. *L. 32. b.* Quodsi enim actio mandati nulla est, nec fideiussio proprie nec fideiussor est, (L. 2. tit. 2. §. 21.) cessat ergo exceptionis utilitas.

A R G V M E N T V M.

209. Auus neptis nomine, quam ex filio habebat, dotem promissit, et pactus est, neue a se, neue a filio suo dos peteretur: Si a cohaerede filii (quem auus cum filio instituerat) dos petatur, ipse quidem exceptione conuentionis tuendus non erit: Hoc pactum strictissimae interpretationis est, quia iuri et fauori dotis detrahit, (L. 1. tit. 1. §. 243.) et personas non egreditur, (§. 109.) filius vero exceptione conuentionis recte vtetur. Quippe haeredi (vni ex pluribus) consuli concessum est. Nec quicquam obstat, vni tantum ex haeredibus prouidere, si haeres factus sit, caeteris autem non consuli. *L. 33. b.*

Cels. L. 1. Dig. L. 33.

A R G V M E N T V M.

210. Ius agnationis non posse pacto repudiari, non magis quam vt quis dicat: nolle suum esse: Iuliani sententia est. *L. 34. b.* Hoc pactum contra ius ciuile est. (§. 49.) 178.)

Modest. L. 5. Reg. L. 34.

A R G V M E N T V M.

211. Tres fratres, Titius et Mauius et Seia, communem hereditatem inter se diuiserunt, instrumentis interpositis, quibus diuisisse maternam hereditatem dixerunt: nihilque sibi commune remansisse, cauerunt, sed postea duo de fratribus, id est, Mauius et Seia, qui absentes erant tempore mortis matris suae, cognouerunt, pecuniam auream a fratre suo esse substractam, cuius nulla mentio instrumento diuisionis continebatur. Quaero an post pactum diuisionis de subrepta pecunia fratribus aduersus fratrem competit actio? Modestinus respondit: Si agentibus (agere enim possunt, vt extorqueatur turpe lucrum. (L. 1. tit. 7. §. 138.) ob portionem eius, quod subreptum a Titio dicitur, generalis, pacti conuenti exceptio, his, qui fraudem a Titio commissam ignorantes transegerunt, obiciatur, de dolo vtiliter replicari posse. *L. 35. b.* Nam ex dolo suo lucrum exceptione sibi quaerere studet. (L. 2. tit. 3. §. 5.)

Paul. L. 2. Resp. L. 35.

DEFINITIO.

212. Rei vindicatio est postulatio domini contra possessorem, species suas sibi restitui cum omni causa.

ARGUMENTVM.

*Procul. L. 5.
Epist.
L. 36.*

213. Si cum fundum meum possides, conuenisset mihi tecum, vt eius possessionem Attio traderes: vindicantem eum fundum a te non aliter conuentionis exceptione excludi debere, quam si aut iam tradidisses (tum enim nec vere nec fide possides: (L. 2. tit. 9. §. 10.) aut si tua causa id inter nos conuenisset, (eo fine, ne a te fundum vindicarem,) et per te non staret, quo minus traderes. *L. 36. b.* Dum forte Attius accipere tardat. Nam pactum in finem suum interpretandum, ne a te petam. (L. 1. tit. 1. §. 237.) Praeterea quo minus traderes, non fecisti, et culpa cares. (L. 1. tit. 1. §. 84.)

ARGUMENTVM.

*Papir. Inst.
L. 2. de Const.
L. 37.*

214. Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt: debitori rei publicae a curatore permitti pecunias non posse: et cum Philippensibus remissae essent, reuocandas. *L. 37. b.* Curator administrat et donare non potest. (§. 181.)

ANNOTATIO.

*Papir. L. 2.
Quaest.
L. 38.*

215. Ius publicum priuatorum pactis mutari non potest. *L. 38. b.* (§. 178.)

ARGUMENTVM.

*Id. L. 5.
Quaest.
L. 39.*

216. Veteribus placet, pactionem obscuram vel ambiguam venditori et qui locauit, nocere, in quorum fuit potestate, legem (contractus) apertius conscribere. *L. 39. b.* Etenim culpam suam cuique nocere, non alii, conuenit. (L. 1. tit. 1. §. 83.)

ARGUMENTVM.

*Id. L. 1.
Respons.
L. 40.*

217. Tale pactum: profiteor te non teneri: non in personam dirigitur (subintelligitur enim: te non teneri obligatione) sed cum generale sit, locum inter haeredes quoque litigantes habebit. *L. 40. pr. b.* Defunctus haeredi professus est: non teneri: cohaeres reputationem iudicio familiae eriscundae petit, quasi pactio in personam duntaxat defuncti, ne peteret, concepta esset. *L. 19. ff. Famil. erc.* Sed quia in rem est, ad haeredes transit, et locum inter hos habet. (L. 2. tit. 3. §. 26.)

ARGUMENTVM.

§. 1.

218. Qui prouocauit, pactus est; intra diem certum pecunia, quam transegerat, non soluta, iudicatis se satisfacturum. (post sententiam, appellatione suspensam, transactum fuit, quia transigi non potest, nisi de re dubia. (L. 1. tit. 19. §. 9.) Iudex appellationis nullo alio de principali causa discussio, iustam conuentionem, velut confessi, sequitur. *L. 40. §. 1. b.* Nam si non soluit statuta die, ex conuentione ipsum condemnabit in id, quod in causa principali est iudicatum. Sequendum enim quod actum. (L. 2. tit. 6. §. 8.)

DEFINI-

DEFINITIO.

219. Delegare, est vice sua alium reum creditori dare. *L. ii. pr. ff. De nouat.*

ARGUMENTVM.

220. Post diuisionem bonorum (haereditariorum) et aeris alieni singuli creditores a singulis haeredibus, non interpositis delegationibus, in solidum, vt conuenerat, vsuras acceptauerunt: (Post diuisionem opuserat delegatione, singulos pro omnibus in solidum, obligare. Ita quoque conuenerat: quaeritur, cum creditores omiſſa delegatione vsuras a singulis acceptassent, vtrum conuentae delegationi etiam de forte tacite renuocassent? quod negatur,) actiones, quas aduersus omnes pro partibus habent, impediendae non erunt, si non singuli pro fide rei gestae, (de delegationibus in solidum interponendis,) totum debitum singulis offerunt. *L. 40. §. 2. b.* Id est: si aliquis ex cohaeredibus creditori suo solidum, seu integram sortem, non offerat, actio admittenda est aduersus reliquos cohaeredes pro partibus, siue pro rata. Nam quod de vsuris tacite remissum est, non extenditur ad sortem. (*L. i. tit. i. §. 225.*) §. 9.)

ARGUMENTVM.

221. Pater qui dotem promisit, pactus est: vt post mortem suam in matrimonio sine liberis defuncta filia, portio dotis apud haereditatem suam, fratrem (filiae) remaneret. (Iam filia sine liberis mortua.) Ea conuentio liberis, a focero postea susceptis, et haeredibus testamento relictis per exceptionem doli proderit: cum inter contrahentes id actum sit, vt haeredibus (foceri) consulatur, et illo tempore, quo pater alios filios non habuit, in fratrem suum iudicium supremum contulisse videatur. *L. 40. §. 3. b.* Gener a filiis post conuentionem focero natis reliquam dotem, quae apud fratrem non remanebat, petit: sed reliquis liberis conuentio aduersus generum proderit ad doli exceptionem: quia conuentio vltima voluntas patris est, qui fratri soli non consuluisse videtur, si solus natus tum non fuisset. Ergo gener, dispositionem mortis causa ad strictum ius pactorum reuocans exceptione doli remouetur: (*L. 2. tit. 3. §. 5.*) sed in hoc, vt portionem fraternam singuli retineant.

ARGUMENTVM.

222. Intra illum diem debiti partem mihi si solueris, acceptum tibi residuum feram, et te liberabo: licet actionem non habeat, (ad id, vt acceptum ferat creditor residuum), pacti tamen exceptionem competere debitori, constitit. *L. 41. b. (§. 34.)*

*Id. L. ii.
Resp.
L. 41.*

OBSERVATIO.

223. Fiscus in tributorum exactione possessorem sequitur. *L. 7. ff. De Veſtigal. et Public.*

ARGUMENTVM.

224. Inter debitorem et creditorem conuenerat, vt creditor onus tributi praedii pignerati non agnosceret, sed eius soluendi necessitas debito-

*Id. L. 17.
Resp.
L. 42.*

debitorem spectaret. Talem conuentionem, quantum ad fiscum rationem, non esse seruandam respondi. Pactio enim priuatorum formam iuris fiscalis conuelli, non placuit. *L. 42. b.* Est enim de iure tertii. (L. I. tit. I. §. 201.)

A R G V M E N T V M.

*Paul. l. 5.
Quaest.
L. 43.*

225. In emtionibus scimus, quid (per naturam contractus) praestare debitor debeat: quidque ex contrario emtor. Quodsi in contrahendo aliquid exceptum fuerit, id seruari debebit. *L. 43. b.* (L. 2. tit. 6. §. 8.) modo naturam contractus non euertat, quod excipitur. (§. 69.)

A R G V M E N T V M.

*Scacuola L. 5.
Resp.
L. 44.*

226. Cum in eo esset pupillus, ut ab haereditate patris abstinere-
tur, tutor cum plerisque creditoribus decidit, ut certam portionem
acciperent: (quia cum maiori parte, ergo cum omnibus. (§. 81. sequ.) (Idem
curatores cum aliis fecerunt.) Quaero, an et tutor, idemque creditor
patris eandem portionem retinere debeat? Respondi: eum tutorem,
qui caeteros ad portionem vocaret, eadem parte contentum esse debere.
L. 44. b. Nam et ipse maiorem creditorum partem sequi tenetur, et ipse in
maioris partis sententia est.

A N N O T A T I O.

227. Afficta sunt textui verba: *Idem curatores cum aliis fecerunt.* Ignorauit ille, qui supplere ausus est, suffecisse solum tutorem cum maiori parte creditorum pacisci, reliquos sententiae et voluntati plurium obtemperare debere: putauit pupillum haereditatem suam vere abstentum esse haereditate patris: cum tamen abstentus non fuerit propter fauorem pacti cum creditoribus initi: hinc glossator nugatorie curatores bonorum commentus est, qui cum reliquis pepigissent.

A R G V M E N T V M.

*Hermogen.
L. 2. Iur.
Epit.
L. 45.*

228. Diuisionis placitum, nisi traditione vel stipulatione sumat effectum, ad actionem, ut nudum pactum, nulli prodesse poterit. *L. 45. b.* (§. 34.)

A R G V M E N T V M.

*Tryphon.
L. 2. Disp.
L. 46.*

229. Pactum inter haereditatem et legatarium factum: ne ab eo satis accipiatur, (legati seruandi causa) cum in semestribus relata est constitutio Diui Marci, seruari in hoc quoque defuncti voluntatem: validum esse constat: nec a legatario remissa haereditati satisfactio per pactionem, ex poenitentia reuocari debet: cum liceat sui iuris persecutionem aut spem futurae perceptionis deteriore constitutuere. *L. 46. b.* (L. I. tit. I. §. 199.) Constitutione Imperatoria priuatorum arbitrio relictum fuit, testamento cautionem legatorum seruandorum causa haereditati remittere: *L. 2. C. Vt in possess. leg. seru. c.* dubium non est, quin et pactis idem efficere liberum fuerit.

ARGUMENTVM.

230. Emptor praedii viginti cauerat se soluturum, et stipulanti sponderat: postea venditor cauit, sibi conuenisse, vt contentus esset tredecim, et vt ea intra praefinita tempora acciperet. Debitor ad eorum solutionem conuentus, pactus est, si ea soluta intra praefinitum tempus non essent, vt ex prima cautione ab eo petitio esset. Quaesitum est, an, cum posteriori pacto satisfactum non sit, omne debitum (viginti) ex prima cautione peti potest? Respondi: secundum ea quae proponerentur posse. *L. 47. pr. b.* Hoc enim actum. (L. 2. tit. 6. §. 8.) §. 148.)

Scaeu. L. r.
Dig.
L. 47.

ARGUMENTVM.

231. Lucius Titius Caium Seium mensularium (L. 2. tit. 13. §. 19.) cum quo rationem implicitam, (nondum haecenus diductam) habebat, propter accepta et data, debitorem sibi constituit, (diductis iam rationibus,) et ab eo epistolam accepit in haec verba: Ex ratione mensae, quam mecum habuisti in hunc diem, ex contractibus plurimis, remanserunt apud me ad mensam meam trecenta octoginta sex et vsurae, quae competierint. Summam aureorum, quam apud me tacitam, (non expressam in rationibus, quanta ea summa sit,) habes, refundam tibi. Si quod instrumentum a te emissum, (id est scriptum) cuiuscunque summae, ex quacunque causa, apud me remansit, vanum et pro cancellato habebitur. Quaesitum est: cum Lucius Titius ante hoc chirographum Seio (forte Seii) nummulario mandauerat, vt patrono eius (ipsi Seio) trecenta redderet: an propter illa verba epistolae, quibus omnes cautiones ex quocunque contractu vanae et pro cancellato vt haberentur, cautum est, neque ipse, neque filii eius eo nomine conueniri possunt? Respondi: si tantum ratio accepti atque expensi, (scripta) esset computata, caeteras obligationes manere in sua causa. *L. 47. §. 1. b.* Interpretatio enim de substrata materia fieri debet. (L. 1. tit. 2. §. 235.)

§. 1.

REGVLA.

232. In traditionibus rerum quodcunque pactum sit, id valere, manifestissimum est. *L. 48. b.* (L. 2. tit. 6. §. 8.) modo non sit aduersum iuri communi. (§. 70.)

Cai. L. 3. ad
L. 12. Tab.
E. 48.

ARGUMENTVM.

233. Si quis crediderit pecuniam, et pactus sit, vt quatenus facere possit debitor, eatenus agat, an pactum valeat? (Videtur enim naturam contractus euertere, qui re contrahitur et tantum deberi efficit, quantum datum. (L. 1. tit. 1. §. 256.) Et magis est, hoc pactum valere. Nec enim improbum, etsi quis haecenus desideret conueniri, quatenus facultates. *L. 49. b.* Non directe cauetur, minus solui, quia facultates debitoris sufficere possunt: nec dolus improbus subest, si non suffecerint: quia nec tum amplius creditor consequeretur, etsi sic pactum non esset.

Vlp. L. 36. ad
Sab.
L. 49.

ARGUMENTVM.

*Id. L. 40. ad
Sub.
L. 50.*

234. Non impossibile puto, (iure (L. i. tit. 7. §. 137.) in contractibus depositi, commodati et locati et caeteris similibus hoc pactum: ne facias furem seruum meum: (depositum, etc.) hoc est, ne sollicites (cogas, duritie, eo extremitatis adigas,) vt fur fiat: vt fugitiuus fiat: ne ita negligas seruum (fame,) vt fur efficiatur. *L. 50. b.* Apparet, hic nihil actum de maleficio, ne faciat depositarius: etc. (§. 33.) sed de prouidentia ne eueniat.

ANNOTATIO.

235. Sicut enim actio serui corrupti locum habet: ita potest etiam haec pactio locum habere, quae ad non corrumpendos seruos pertinet. *L. 50. b.*

ARGUMENTVM.

*Id. L. 26. ad
Ed.
L. 51.*

236. Si cum ex causa legati debere, (pacisci) debitori tuo existimas, (is debitor) pactus sit; ne ab eo peteres: neque iure ipso liberatur debitor, (quia compensatio non est, deficiente causa et quantitate aequipollente, dum legatum indebitum est, (L. 2. tit. 10. §. 18.) neque petentem submouebit exceptioe conuentionis: vt Celsus libro 20. scribit. *L. 51. pr. b.* pactum enim in compensationem est, quae non ens est, unde et pactum nullum. (L. i. tit. i. §. 216.) Ineptissime iterum vox: *pacisci*: textum maculat.

ARGUMENTVM.

§. i.

237. Idem eodem loco scribit: si debitorem tuum iussisti soluere Titio, cui legatum falso debere existimas, (ergo indebitum iussisti soluere) et debitor pactus sit cum Titio, suo debitore constituto: (compensationis causa, ne inuicem petant,) neque tibi aduersus tuum debitorem, neque ipsi aduersus suam actionem peremptam. *L. 51. §. i. b.* alias pactum hoc non ens accidens esse posset, (L. i. tit. i. §. 216.) cum compensatio debiti cum indebito impossibilis sit. (L. 2. tit. 10. §. 18.) Itaque per pactioem nihil actum est, nec actiones peremptae.

ARGUMENTVM.

*Id. L. i. Opin.
L. 52.*

238. Epistola, qua quis cohaerem sibi aliquem esse cauit, petitionem nullam aduersus possessores rerum haereditariarum dabit. *L. 52. pr. b.* siquidem cohaeres haeredis pacto fieri nequit. (L. i. tit. 7. §. 76.)

DEFINITIO.

239. Negotiorum gestio est, quasi contractus, (L. i. tit. i. §. 253.) inter gerentem negotium alienum gratis in rem domini, et dominum non mandantem.

DEFINITIO.

240. Actio negotiorum gestorum directa est postulatio domini contra gestorem, vt negotia cum omni causa restituat, culpamque praestet.

DEFINITIO.

241. Actio negotiorum gestorum contraria est postulatio gestoris contra dominum neogtii ad indemnitate[m] ratione gestio[n]is consequendam.

ARGV-

ARGUMENTVM.

242. Negotiorum gestor impensas in gestionem factas recte repetit, quoniam in rem domini, ex eius consensu praesumpto gerit: (L. I. tit. I. §. 253.) cum nemo suum iactare praesumatur. (L. I. tit. I. §. 225.)

ARGUMENTVM.

243. Si inter debitorem et eum, qui fundum pignoratim a creditore, quasi debitoris negotium gereret, (vt fundum ei seruaret) emerit: placuit, vt habita compensatione fructuum (pro pretio soluto et impensis gestionis) solutoque quod deberetur (indemnificationis causa, quod ex fructibus non percepit,) fundus debitori restitueretur. (§. 167.) Etiam haeres pacto quod defunctus (gestor) fecit fidem praestare debet. L. 52. §. 1. b. quod nimirum in negotium siue rem domini est, et ad haereditatem transit. (L. 2. tit. 3. §. 26.) Pactum: vt si quas summas propter tributiones praedii, pignore nexi factas creditor soluisset, a debitore reciperet, et vt tributa eiusdem praedii debitor penderet: iustum ideoque seruandum est. L. 52. §. 2. b. Quantum fisco non praepiudicat (§. 224.) Alias pactum hoc negotiorum gestionem confirmat, et valet. (§. 44.)

ARGUMENTVM.

244. De inofficioso patris testamento acturis, vt eis certa quantitas, quoad viueret haeres, praestaretur, pactus est, (vt desisterent liberi a querela inofficiosi.) Produci ad perpetuam (quolibet anno, quo haeres viueret, redeuntem) praestationem id pactum postulabatur. Rescriptum est: neque iure villo, neque aequitate tale desiderium admitti. L. 52. §. 3. b. Iure pacti non admittitur: etenim, si legitimam habuissent liberi, a querela exclusi fuissent: propterea in quantitatem legitimae pacti apparent, quam si certis annuis pensionibus acceperunt, iure pacti nil amplius ipsis debetur. (L. I. tit. I. §. 237.) Neque aequitas petitionem permittit, quia contra fidem pacti est.

OBSERVATIO.

245. Qui litem tempore perituram praeuidebant, cum sumtus litis non haberent, aut qui per eandem rationem actionem inchoatam deserere cogentur, mutuaque pecuniam sumere volebant, ab iniquis creditoribus eo adigi poterant, vt partem ex ea lite redigendam loco mutui reddere paciscerentur.

ARGUMENTVM.

246. Huiusmodi pactum quod de quota litis fit, naturam mutui directe et consuetudo destruit. Aliud erat in pacto superiori. (§. 233.)

ARGUMENTVM.

247. Sumtus quidem prorogare litiganti honestum est: pacifici autem, vt non quantitas eo nomine expensa cum vsuris licitis restituitur, sed pars dimidia eius, quod ex ea lite datum erit, non licet. L. 53. b.

DEFINITIO.

248. Mora est satisfactionis culpanda retardatio, inuito creditore facta.

ARGV-

ARGUMENTVM.

Scaev. ap. Iul.
L. 22. Dig.
L. 54.

249. Si pactus sim, ne Stichum, qui mihi debebatur, petam: non intelligitur moram hic fieri: (§. 248.) mortuoque Sticho non teneri rem, qui ante pactum moram non fecerat. *L. 54. b.* Nam culpam non commisit, qui volente creditore, non satisfecit. (L. I. tit. I. §. 84.)

ARGUMENTVM.

Iul. L. 35.
Dig.
L. 55.

250. Si debitor sit fructuarius, et paciscatur seruus, in quo vsum fructum habet: ne ab eo petatur: paciscendo meliorem conditionem eius facit. *L. 55. b.* Fructuario omne commodum acquiritur, quod e seruo vsum fructus prouenit: (L. 2. tit. 9. §. 20.) ergo etiam exceptio pacti, in rem fructuarii concepti.

ARGUMENTVM.

251. Item, (si) creditor esset fructuarius, et pactus esset; (cum debitore) ne peteret: seruus autem fructuarius pacisceretur: vt peteret: beneficio pacti, quod seruus interposuisset, vtiliter ad petitionem admittetur. *L. 55. b.* Nam rite quaesitum pactum posterius (§. 250.) praeualet anteriori. (§. 148.)

ARGUMENTVM.

Id. L. 6. ad
Mimic.
L. 56.

252. Si conuenerit, ne dominus a colono quid peteret: et iusta causa conuentionis fuerit: nihilominus colonus a domino petere potest. *L. 56. b.* Casum quam Glossa ponit, sic corrigo: Colonus per contractum locationis domino praedii mercedem ampliorem debet, si prouentus vberior fuerit, leuiorem, si sterilitas acciderit: paciscitur ne amplius petatur, quia grandine fruges contritae sunt: vel ob simile quid. Sequitur autem insignis sterilitas: petere potest colonus remissionem pensionis: neque pacto censetur sublata relatio mercedis ad prouentum. Est enim iusta causa conuentionis, cur remissa sit pensio, in quam solam pactum est, (L. I. tit. I. §. 235.) non autem in totam conuentionem. (L. I. tit. I. §. 198.)

ARGUMENTVM.

Florent. L. 8.
Inst.
L. 57.

253. Qui in futurum vsuras a debitore acceperat, tacite pactus videtur, ne intra id tempus sortem petat. *L. 57. pr. b.* Nam vsurae praeciudicium faciunt de sorte. (L. I. tit. I. §. 241.)

OBSERVATIO.

254. Pactum in rem est, si paciscor: ne petam: aut, non petetur. (§. 51.) ergo mixtum in rem et personam simul erit, si paciscar: ne ego petam: vel: ne a te petatur. Mere personale pactum est, quod in vtrumque paciscentem factum est. (§. 53.)

ARGUMENTVM.

§. I.

255. Si ex altera parte in rem, ex altera in personam pactum conceptum fuerit: veluti, ne ego petam: vel, ne a te petatur: (§. 280.) haeres meus ab omnibus vobis petitionem habebit: et ab haerede tuo omnes petere poterimus. *L. 57. §. I. b.* In dubio enim, quod minimum est, remissum censetur. (L. I. tit. I. §. 235.)

ARGV-

A R G V M E N T V M.

256. Ab emtione, venditione, locatione, conductione, caeterisque similibus obligationibus, quin integris omnibus, consensu eorum, qui inter se obligati sunt, recedi possit, dubium non est: (§. 44.) Aristoni hoc amplius videbatur: si ea, quae me exempto praestare tibi oporteret, praestitiffem, et cum tu mihi pretium deberes, (adeoque omnibus non integris,) conuenisset mihi tecum, vt rursus praestitis mihi a te in re vendita omnibus, quae ego tibi praestitiffem, pretium mihi non dares: tuque mihi ea praestitiffes, pretium te debere definere. Quia bonae fidei, (aequitatis et exaequationis bonorum (L. I. tit. I. §. 219. 260.) ad quam omnia haec rediguntur, interpretatio hanc quoque conuentionem admittit. Nec quidquam interest, vtrum integris omnibus, in quae obligati essemus, conueniret, vt ab eo negotio discederetur, an in integrum restitutis his, quae ego tibi praestitiffem, consentiremus, ne quid tu mihi eo nomine praestares. L. 58. b.

*Nerat. L. 3.
Membr.
L. 58.*

A N N O T A T I O.

257. Illud plane conuentione, quae pertinet ad resoluendum id, quod actum est, perfici non potest, vt tu, quod iam ego tibi praestiti, contra praestare mihi cogaris. Quia eo modo non tam hoc agitur, vt a pristino negotio discedamus, quam vt nouae quaedam obligationes inter nos constituentur. L. 58. b. Vnde pretii debitor maneo, si venditio fuit inter nos.

R E G V L A.

258. Per quos adquiri nobis stipulatione potest, per eosdem etiam pactis conuentis meliorem conditionem nostram fieri posse placet. L. 59. b.

*Paul. L. 3.
Reg.
L. 59.*

A N N O T A T I O.

259. Sunt autem illi, qui instrumenti loco nobis sunt. (L. I. tit. I. §. 42.)

D E F I N I T I O.

260. Retractus gentilitius siue legitimus est ius necessariis competens, quo bona propinquorum alienata oblato intra legitimum tempus pretio, recuperant.

A R G V M E N T V M.

261. Imperator Antoninus Auidio Cassio rescripsit: Si creditores parati sint partem ex bonis, licet ab extraneo, consequi: rationem prius habendam necessariorum personarum, si idoneae sint. L. 60. b. Monente L. 3. C. Communi diuid. legendum opinor: si creditores parati sint, partem ex bonis licitari et ab extraneo consequi. Parum enim distat: licet: a liceri et.

*Papir. Inst.
L. 8. Const.
L. 60.*

A R G V M E N T V M.

262. Nemo (in contractu emtionis venditionis) paciscendo efficere potest: ne sibi locum suum dedicare liceat: aut ne sibi in suo sepelire

*Pomp. L. 9.
ad Sab.
L. 9.*

mortuum liceat: aut, ne vicino inuito praedium alienet. *L. 61. b.* Haec enim omnino extra contractum sunt, nec causam bonorum habent: quae bonam fidem contractui praestet, quam definitio. (*L. 1. tit. 1. §. 219.*) Nam talia pacta tantum insunt bonae fidei contractibus, ut actionem ex contractu producant. (*§. 44.*)

A N N O T A T I O.

263. G. NOODT *De Pactis: c. 11. in fine:* hanc legem, quam asperam dicit, interpretatur in hoc, quod talia pacto effici nequeant, sed stipulatione poenae. *Arg. L. 11. ff. De relig.* Mihi pro instituti ratione non tam inquirendum fuit, quomodo haec perfici queant, quae in textu praesenti pacto perfici posse negantur: sed cur pacto effici non possint. Laudatus autem auctor ex comparatione inscriptionum ambarum legum erudite et solide probat, textum nostrum de pacto venditioni adiecto agere.

R E G V L A.

264. Ex facto alieno nemo iure suo priuatur, neque obligatur.

A R G V M E N T V M.

*Fur. Amb.
L. 1. ad Ed.
L. 62.*

265. Si reus, postquam pactus sit: a se non peti pecuniam: ideoque coepit hoc pactum fideiussori quoque prodesse, (*§. 134.*) pactus sit, ut a se peti liceat: an utilitas prioris pacti sublata sit fideiussori, quaesitum est. Sed verius est, semel adquisitam fideiussori pacti exceptionem, ulterius ei inuito extorqueri non posse. *L. 62. b. (§. 264.)*

* * * * *

D E T R A N S A C T I O N I B V S.

T I T V L V S X V.

O B S E R V A T I O.

*Vp. L. 50.
ad Ed.
L. 1.*

1. Qui transfigit, quasi de re dubia, et lite incerta neque finita transfigit. (*L. 1. tit. 19. §. 9.*) Qui vero paciscitur donationis causa, rem certam et indubitam liberalitate remittit. *L. 1. b. (L. 1. tit. 1. §. 266.)*

D E F I N I T I O.

2. Stipulatio Aquiliana est cuiusque generis debiti in debitum ex stipulatu transmutatio.

A R G V M E N T V M.

*Id. L. 74. ad
Ed.
L. 2.*

3. Transactum accipere quis potest, non solum, si Aquiliana stipulatio fuerit subiecta, sed et si pactum conuentum fuerit factum. *L. 2. b.* Vtraque enim via ius incertum decidi potest.

A R G V M E N T V M.

*Scen. L. 1.
Dig.
L. 3.*

4. Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt: priuatis pactio- nibus non dubium est, non laedi ius caeterorum. (*L. 2. tit. 14. §. 264.*) Quare transactione, quae inter haerem et matrem defuncti facta est, neque testamentum rescissum videri posse, neque manumissis (testa-
men-

mento) vel legatariis actiones suae ademtae. Quare quicquid ex testamento petunt, scriptum haeredem conuenire debent, qui in transactione haereditatis aut cauit sibi pro oneribus haereditatis, aut si non cauit, non debet negligenciam suam ad alienam iniuriam referre. *L. 3. pr. h.*

OBSERVATIO.

5. Quae in Codicillis scripta sunt perinde habentur, ac si in testamento scripta fuerint. *L. 2. §. 2. ff. De iure Codic.*

ARGUMENTVM.

6. Cum transactio propter fideicommissum, (dubium) facta esset, et postea codicilli, (fideicommissum continentes) reperti sunt: quaero, an quanto minus ex transactione consecuta mater defuncti fuerit, quam pro parte sua est, id ex fideicommissi causa consequi debeat? Respondi: debere. *L. 3. §. 1. h.* Quia lex bonis et haereditati dicta transactione infringi nequit, nec testamenti factio defuncto adimi. (*L. 2. tit. 14. §. 264.*)

§. 1.

DEFINITIO.

7. Actio pignoratitia directa est postulatio, qua debitor post satisfactionem pignus cum omni causa sibi restitui, contra creditorem persequitur.

ARGUMENTVM.

8. Debitor, cuius pignus creditor distraxit, cum Maeuio, qui se legitimum creditoris haeredem esse, iactabat, minimo transigit. Postea testamento prolato, Septicium haeredem esse apparuit. Quaesitum est: si agat pignoratitia debitor cum Septicio, an is uti possit exceptione transactionis factae cum Maeuio, qui haeres eo tempore non fuerit, possitque Septicius pecuniam, quae Maeuio ut haeredi a debitore numerata est, conditione repetere, quasi sub praetextu haereditatis acceptam. (Quasi in rem haereditatis pactum fuerit. (*L. 2. tit. 14. §. 119.*) Respondit: secundum ea, quae proponerentur, non posse: quia neque cum eo, (Septicio haerede) ipse transigit. (*ib. §. 113.*) nec negotium Septicii Maeuius gerens accepit. *L. 3. §. 2. h.* Nam si negotium veri haeredis gessisset Maeuius, pactum in haereditatem fuisset: (*cit. §. 119.*) quod profuisset haeredi.

§. 2.

ARGUMENTVM.

9. Aquiliana stipulatio omnimodo omnes praecedentes obligationes nouat et perimit, (§. 2.) *L. 2. tit. 14. §. 143.*) ipsaque perimitur per acceptilationem, (*L. 2. tit. 14. §. 88.*) et hoc iure utimur: Ideoque etiam legata sub conditione relicta in stipulationem Aquilianam deducuntur. *L. 4. h.*

Vp. L. 46. ad Sab. L. 4.

ARGUMENTVM.

10. Cum Aquiliana stipulatio interponitur, quae ex consensu redditur, lites de quibus non est cogitatum, in suo statu retinentur. (*L. 1. tit. 1. §. 198.*) Liberalitatem enim captiosam interpretatio prudentium fregit. *L. 5. h. (L. 1. tit. 1. §. 225.)*

Papin. L. 1. Defn. L. 5.

ARGUMENTVM.

*Cai. L. 17. ad
Ed. pron.
L. 6.*

11. De his controuersiis quae ex testamento proficiuntur, neque transigi (§. 6.) neque exquiri veritas aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti. *L. 6. b.* Nam interpretatio vel transactio locum habere nequit, nisi id, quod interpretatione egere dicitur vel transactione decidi debet, dubium sensum habere cognoscatur. (*L. 1. tit. 1. §. 233.*) *L. 1. tit. 19. §. 9.)*

ANNOTATIO.

12. Transigi dicitur, quod manifestum est. Sed alia vocis significatio apud Ciceronem in Diuinatione occurrit, quam etiam obseruat Asconius Pedianus ad eum locum. Recenset autem Cicero: Hortensium, defensorem Verris, omnes partes accusationis constituere, transigere, expedire et absoluere posse. Cicero gradus actionis enumerat, quorum ordo vix alius esse potest, quam hic: Hortensius distincte partiatur causam, transiget, id est, minutim excutiet et perlustrabit singulas partes, expediet omnes difficultates et obiectiones, demum absoluet et concludet singula. Ex his, an textus noster explicandus sit, incertus sum: posset enim sic accipi: transigi, id est, nihil excuti minutatim posse. Quod si haec explicatio arrideat, textus magis de officio praetoris et iudicis, quam de partibus transigentibus accipiendus foret.

ARGUMENTVM.

*Vlp. L. 7.
Dispur.
L. 7.*

13. Et post rem iudicatam transactio valet, si vel appellatio intercesserit, vel appellare potueris. *L. 7. pr. b.* Suspensa enim est sententia per appellationem, aut certe suspendi potest, (*L. 2. tit. 8. §. 78.*) quo ipso causa adhuc dubia est, et transactioni locus datur. (*L. 1. tit. 19. §. 9.)*

ARGUMENTVM.

§. 1.

14. Si fideiussor conuentus est et condemnatus fuisset: mox reus transigisset cum eo, cui erat fideiussor condemnatus: transactio valeat, quaeritur. Et puto valere, quasi omni causa et aduersus reum et aduersus fideiussorem dissoluta. *L. 7. §. 1. b.* (*L. 2. tit. 14. §. 134.*) Nam reus cum ipso actore transigens, praesumitur se voluisse liberare ab actione mandati, quae fideiussori competit, (*L. 2. tit. 2. §. 21.*) et quae dubii adhuc euentus est.

ARGUMENTVM.

15. Si tamen ipse fideiussor condemnatus transigit, transactione non peremit rem iudicatam. (Cessat enim ratio §. praecedentis: nihilque dubii, de quo transigeretur inter actorem et fideiussorem restat.) Tamen eo, quod datum est, (transactionis causa) releuari rem, iudicatam oportet. *L. 7. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

16. Releuari, hic denotat, imputari in rem iudicatam.

ANNOTATIO.

§. 2.

17. Vsque adeo autem, quod datum est, etiamsi non proficit ad transactionem, extenuat tamen rem iudicatam: vt inde sit et dictum et

et rescriptum circa alimentorum transactionem, citra praetoris auctoritatem factam, ut quod datum est, proficiat ad alimenta: ita ut si quid amplius ex causa alimentorum deberi potest, id praestetur: quod autem datum est, imputetur. *L. 7. §. 2. b.* Ideo, ne lucrum iniquum capiat actor. (*L. 1. tit. 7. §. 138.*)

OBSERVATIO.

18. Alimentorum causa fauorabilis est. (*L. 1. tit. 6. §. 28.*)

ARGUMENTVM.

19. Cum hi, quibus alimenta, (testamento vel codicillis, vel alias mortis causa,) relicta erant, facile transigerent, contenti modico praesenti: Diuus Marcus oratione in Senatu recitata effecit, ne aliter alimentorum transactio rata esset, quam si auctore praetore facta. *L. 8. pr. b.*

*Id. L. 5. de
Omn. tribun.
L. 8.*

ANNOTATIO.

20. Solet igitur praetor interuenire, et inter consentientes arbitrari, an transactio, vel quae admitti debeat. *L. 8. pr. b.* Eiusdem praetoris notio ob transactionem erit: siue habitatio, siue vestiarium, siue de praediis alimentum legabitur. *L. 8. §. 1. b.* Ob idem ius constitutionis principalis. (*§. 19.*) Videatur *§. 12.* huius legis octauae.

§. 1.

OBSERVATIO.

21. Haec oratio pertinet ad alimenta, quae testamento vel codicillis fuerint relicta (siue ad testamentum factis, siue ab intestato.) Idem erit dicendum, et si mortis causa donata fuerint relicta, vel ab eo, cui mortis causa donata sunt, relicta. (Si translata sunt a donatario in alium.) Sed et si conditionis implendae gratia relicta sunt, (v. gr. si Stichum manumiserit, alimenta ei do lego) adhuc idem dicemus. (*§. 19.*) Plane, de alimentis, quae non mortis causa donata sunt, licebit et sine praetore auctore transigi. *L. 8. §. 2. b.* Transigitur enim cum donante: cui officium suum forte damnosum euenit, et cuius beneuolentia argumentum est, transactionem donatario damnosam non fore.

§. 2.

ANNOTATIO.

22. Siue igitur in menses singulos, siue in dies, siue in annos fuerint relicta, oratio locum habet. Sed et si non fuerint perpetuo relicta, sed vsque ad annos certos; idem est. *L. 8. §. 3. b.* Sufficit in his omnibus cum eo transigi, qui beneuolentiae praesumptione non iuuatur. (*§. 21.*) aut necessitate donata reuocare non compellitur.

§. 3.

ARGUMENTVM.

23. Si integra quantitas alicui fuerit legata, ut ex usuris eius se alat, et mortis tempore pecunias restituat, non cessabit oratio: licet non in annos singulos, (ad modum consuetum relinquendi alimenta,) videatur id relictum. *L. 8. §. 4. b.* per eandem rationem. (*§. 21.*)

§. 4.

ARGUMENTVM.

- §. 5. 24. Sed et si certa quantitas relicta Titio, vel res, vt inde alimenta Scio praestentur: magis est, vt transigere Titius possit. (de fundo alimentorum: qui adeo de ipsis alimentis non transigit.) Nec enim transactione Titii minuuntur alimenta Seii. Idemque est, et si per fidei commissum alimenta ad hoc legatario fuerint relicta. *L. 8. §. 5. b.* Emendant alii textum, leguntque: *ab hoc*: Quid si *alimenta* de quantitate vel fundo alimentorum intelligas: habebis enim sensum: Idem est, et si per fideicommissum quantitas vel fundus alimentorum ad hoc, vt inde praestentur, codicillis legatario fuerint relicta. (§. 21.) Locutio: *ad hoc*: eodem sensu occurrit in §. 15. Iulius legis. Vide (§. 37. sequentem).

ARGUMENTVM.

- §. 6. 25. Eam transactionem oratio improbat, quae idcirco fit, vt quis repraesentatam pecuniam consumat. Quid ergo, si quis citra praetoris auctoritatem transegerit, vt quod per singulos annos erat ei relictum, consequeretur per singulos menses: aut quid, si quod per singulos menses ei relictum erat, consequeretur per singulos dies: quid deinde, si quod consummato anno vt acciperet, initio anni consequatur: Et puto eam transactionem valere: quia meliorem conditionem suam alimentarius tali transactione facit. Noluit enim oratio alimenta per transactionem intercepti. *L. 8. §. 6. b.*

ANNOTATIO.

- §. 7. 26. Nihil autem interest, vtrum libertini sint, quibus alimenta relicta sunt, an ingenui: satis locupletes, an minus. *L. 8. §. 7. b.*

ANNOTATIO.

- §. 8. 27. Vult igitur oratio apud praetorem de istis quaeri, inprimis de causa transactionis, dein de modo, tertio, de persona transigentium. *L. 8. §. 8. b.* In causa hoc erit requirendum, quae causa sit transigendi: sine causa enim neminem transigentem audiet praetor. *L. 8. §. 9. b.*

ANNOTATIO.

28. Causae fere huiusmodi solent allegari: si alibi domicilium haeres, alibi alimentarius habeat, aut destinet domicilium transferre alter eorum: aut si causa aliqua vrgeat praesentis pecuniae: (si praesente pecunia praedium alimentis susceptorum comparare possit,) aut si a pluribus alimenta ei relicta sint, et minutatim singulos conuenire, difficile ei sit: aut si qua alia causa sit, vt plures solent incidere, quae praetori suadeant transactionem admittere. *L. 8. §. 9. b.*

ANNOTATIO.

- §. 10. 29. Modus quoque pecuniae, quae in transactionem venit; aestimandus est: vt puta: quantitas transactionis. Nam etiam ex modo fides transactionis aestimabitur. Modus autem pro aetate eius, qui transigit, arbitrandus est et valetudine. Nam alias cum puero, alias cum iuvene, alias cum sene transigi, palam est. *L. 8. §. 10. b.*

REGVLA.

30. Constat enim alimenta cum vita finiri. *L. 8. §. 10. b.* (L. 1. tit. 6. §. 28.)

ANNOTATIO.

31. Sed et personarum contemplatio habenda est: hoc est, cuius vitae sint hi, quibus alimenta relicta sunt: vtrum frugi vitae hi sint, qui alias sufficere sibi possunt, an sequioris, qui de alimentis pendeant. In persona eius a quo alimenta relicta sunt specienda: in quibus facultatibus, cuius propositi, cuius opinionis: tunc enim apparebit, nunquid circumuenire velit eum, cum quo transigit. *L. 8. §. 11. b.* §. 11.

ARGVMENTVM.

32. Qui transigit de alimentis, non videbitur, neque de habitatione, neque de vestiario transigisse: cum Diuus Marcus specialiter etiam de istis transigi voluerit. *L. 8. §. 12. b.* quia remissum videtur, quod minimum est. (L. 1. tit. 1. §. 225.) §. 12.

ANNOTATIO.

33. Sed et si quis de alimentis transegerit, non habebit necesse etiam de habitatione vel caeteris inuitus transigere. Potuit igitur vel de omnibus simul, vel de quibusdam facere transactionem. *L. 8. §. 13. b.* Quoniam haec separata sunt, nec alimentorum appellatione continentur, quoties de alimentis remittendis agitur: (§. 32.) et transactio: quae stricti iuris est. (L. 2. tit. 14. §. 35.) praeter verba aperta non extenditur. §. 13.

ARGVMENTVM.

34. De calciariis quoque arbitrio praetoris transigendum est. *L. 8. §. 14. b.* sub vestiario enim sunt, quod cognitionis praetoriae est. §. 14.

OBSERVATIO.

35. Distractio fundi alimentorum ab eo facta, qui inde alimenta percipere et sibi exhibere debet, nihil aliud est, quam ipsa alimentorum distractio: cum ius fundi dimittitur pro pretio, quemadmodum obligatio personae alimentis oneratae, pro accepta quadam pecunia.

POSITIO.

36. Si vni pluribusue fundus ad alimenta fuerit relictus, velintque eum distrahere: necesse est praetorem de distractione eius et transactione arbitrari. *L. 8. §. 15. b.* §. 15.

PROBATIO.

Distractio fundi est ipsa transactio de alimentis e fundo debitis, (§. 35.) quia vero praetor de transactione alimentorum arbitrari debet, (§. 19.) certum est, eundem de distractione et transactione fundi alimentorum arbitrari debere.

ANNOTATIO.

37. Textus hic valde adminiculatur coniecturae (§. 24.) Nec tamen pugna huius cum illo est: quoniam hic ipse alimentarius transigit, ibi debitor alimentorum, cum tertio quodam.

ARGV-

ARGUMENTVM.

38. Sed si pluribus fundus ad alimenta fuerit relictus, vt hi inter se transigant, sine praetoris auctoritate: facta transactio rata esse non debet. (Quia in testamento nemo cauere potest, quo minus valeant leges. (L. 1. tit. 7. §. 82.) Aliter textum disputatione distingo, quam vulgo fit:) Idem est, et si ager fuerit in alimenta obligatus: nam nec pignus ad hoc inconsulto praetore poterit liberari. *L. 8. §. 15. b.* Fit enim praecudicium alimentis. (§. 35.)

ANNOTATIO.

§. 16. 39. Arbitratu praetoris vel de vniuersis alimentis, vel de partem eorum transigi oportere, plus quam manifestum est. *L. 8. §. 16. b.*

ARGUMENTVM.

§. 17. 40. Si praetor aditus citra causae cognitionem transigi permiserit, transactio nullius erit momenti. Praetori enim ea res quaerenda commissa est, non negligenda nec donanda. Sed et si non de omnibus inquisierit, quae oratio mandat, hoc est, de causa, de modo, de personis transigentium: (§. 27. sequ.) dicendum est, quamuis de quibusdam quaesierit, transactionem esse irritam. *L. 8. §. 17. b.* Non enim ius inquirendi praetoris fauori, quem remittere possit, sed debito datum est. (L. 1. tit. 1. §. 199.)

ANNOTATIO.

41. Occasione huius legis suppleo conciliationem *legis 205. ff. De reg. Iur. et legis 17. ff. De manum. vind.* quam dedi (L. 1. tit. 21. §. 16.) Legatus proconsulis consilium, id est, causae cognitionem exercere non potuit: *L. 2. pr. ff. De eo cui mand. est. iurisd.* sed causa adoptionis apud proconsulem probata cum mandatam iurisdictionem receperit, manumissionem expedire potest: exemplo Consulis. (L. 1. tit. 10. §. 10. sequ.) Sic per *legem. cit. 105.* ad cognitionem causae requiritur ipse praetor vel proconsul: sed causa probata, ad adoptionem sufficit legatus, cui mandata est iurisdictione: id quod explicationi sequentis textus apte inferuit.

ARGUMENTVM.

§. 18. 42. Sed nec mandare ex hac causa iurisdictionem vel praefes provinciae vel praetor poterit. *L. 8. §. 18. b.* Nam causae cognitio lege ipsi incumbit. (§. 40.)

OBSERVATIO.

§. 19. 43. Transactiones alimentorum etiam apud procuratorem Caesaris fieri possunt: (scilicet) si a fisco petantur alimenta. *L. 8. §. 19. b.*

ARGUMENTVM.

44. Secundum quae et apud praefectos aerarii transigi poterit. *L. 8. §. 19. b.* (§. 43.)

ANNOTATIO.

45. Aerarium publica pecunia et patrimonium reipublicae erat: fiscus aerarium principis priuatum et personale est.

ARGV-

ARGVMENTVM.

46. Si, cum lis quidem esset de alimentis, transactum autem de lite fuisset: transactio valere inconsulto praetore non potest, ne circumueniatur oratio: (ne fraus ei fiat. (L. I. tit. 3. §. 31. 32.) Fingi enim lites poterunt, vt transactio etiam citra praetoris fiat auctoritatem. L. 8. §. 20. b. Immo etiam si vere lis fuerit, transigi non magis de lite, quam de fundo (§. 38.) fas erit, ne praedudicetur alimentis. §. 20.

ANNOTATIO.

47. Si eidem alimenta, et praeterea legatum praesenti die datum sit, (cuius dies statim adita haereditate venit,) et transactum fuerit citra praetoris auctoritatem: id quod datum est, (ab haerede) imputabitur prius in legatum, (cuius dies iam venit) quod praesenti die datum est: superfluum, (quod legato amplius est) in alimentariam causam. L. 8. §. 21. b. Transactio tamen ipsa erit nulla. (§. 17.) §. 21.

ARGVMENTVM.

48. Sane, si is, qui de alimentis transigit, locupletior factus sit ea solutione: (si lucrum iniquum fecit,) in id quod factus sit locupletior, aequissimum erit, in eum dari repetitionem. (Conditionem sine causa.) Nec enim debet ex alieno damno esse locuples. L. 8. §. 22. b. Ius singulare et fauor alimentorum iniquitati non patrocinator. (L. I. tit. 7. §. 138.) §. 22.

ARGVMENTVM.

49. Si in annos singulos certa quantitas alicui fuerit relicta homini honestioris loci: veluti, salarium annuum vel vsus fructus: transactio et sine praetore fieri poterit. L. 8. §. 23. b. Haec enim in aliena, personae honestioris contemplatione, relicta vix videntur, licet in annos relicta: oporteret enim vitae subsidio relicta esse. (L. I. tit. 6. §. 28.) §. 23.

ARGVMENTVM.

50. Caeterum, si vsus fructus modicus alimentorum vice sit relictus: dico transactionem citra praetorem factam nullius esse momenti. L. 8. §. 23. b. Hoc legatum, per dicta, alimentorum causam continet.

ARGVMENTVM.

51. Si cui non nummus ad alimenta, sed frumentum, atque oleum, et cetera, quae ad victum necessaria sunt, fuerint relicta: non poterit de his transigere, siue annua, siue menstrua ei relinquuntur. L. 8. §. 24. b. (Finis et vsus horum demonstrat alimenta data esse.) Si tamen ita sine praetore transegerit, vt in vicem eorum nummum quot annis, vel quot mensibus acciperet, et neque diem, neque modum permutauit, sed tantum genus: vel ex contrario, si pactus fuerit, vt in generibus, (frumento, oleo, etc.) alimenta acciperet, quae in nummis ei relicta fuissent, vel si vinum pro oleo, vel oleum pro vino, vel quid aliud permutauit: vel locum permutauit, vt quae erant ei Romae alimenta relicta, in municipio vel in prouincia acciperet, vel contra: vel personam commutauit, vt quod a pluribus erat accepturus, ab vno §. 24. §. 25.

acciperet, vel alium pro alio debitorem acceperit: haec omnia habent disceptationem praetoris, et pro utilitate alimentorum recipienda sunt. *L. 8. §. 25. b.* Praetor de transactione facta cognoscit, et si alimenta deteriora facta non fuerint, eam ratam esse finit.

A R G V M E N T V M.

52. Si ad habitationem certa quantitas sit annua relicta, et ita sit transactum sine praetore, vt habitatio praestetur, valet transactio: quia fructus (perceptio) habitationis praestatur, licet ruinae vel incendio subiecta transactio est. (Nec enim minus casui subest quantitas, si debitor ad inopiam redigatur.) Per contrarium quoque, si pro habitatione, quae erat relicta, placuerit certam quantitatem praestari, transactio rata est, et citra praetorem. *L. 8. §. 25. b.* Apparet, neutro casu fortunae exempta esse alimenta, nec deteriorem causam eorum factam tali transactione.

A R G V M E N T V M.

*Id. L. 1.
Opin.
L. 9.*

53. Qui cum tutoribus suis de sola portione administratae tutelae suae egerat et transfegerat, aduersus eosdem tutores ex persona fratris sui, cui haeres extiterat, agens, praescriptione (exceptione) factae transactionis non summouetur. *L. 9. pr. b.* Cum transactio non protendatur extra transigentium personas. (*L. 2. tit. 14. §. 108. 109.*)

A R G V M E N T V M.

§. 1. 54. Transactio, quaecunque fit, de his tantum, de quibus inter conuenientes placuit, interposita creditur. *L. 9. §. 1. b. (§. 33.)*

A N N O T A T I O.

§. 2. 55. Qui per fallaciam cohaereditis, ignorans vniuersa quae in vero erant, instrumentum transactionis, sine Aquiliana stipulatione interposuit, non tam paciscitur, quam decipitur. *L. 9. §. 2. b.* quoniam errantis nullus est consensus, (*L. 1. tit. 1. §. 44. 45.*) stipulationem vero sequi, ius eius strictum iubet. (*L. 2. tit. 6. §. 8.*)

A R G V M E N T V M.

§. 3. 56. Ei, qui nondum certus ad se querelam contra patris testamentum pertinere, de aliis causis cum aduersariis pacto transegit, tantum in his interpositum pactum nocebit, de quibus inter eos actum esse probatur: his tantum transactio obest, quamuis maior annis viginti quinque eam interposuit, de quibus actum probatur. Nam ea, quorum actiones competere ei postea compertum est, iniquum est, perini pacto id, de quo cogitatum non docetur. *L. 9. §. 3. b. (L. 1. tit. 1. §. 198.) §. 10.*

P O S I T I O.

*Id. L. 1. Resp.
L. 10.*

57. De re filiorum, quos in potestate non habuit, transigentem patrem, minime eis obesse placet. *L. 10. b.*

P R O B A T I O.

Res filiorum, quos pater in potestate non habet, sunt in familiis filiorum, et proinde non sunt in familia parentis, (*L. 1. tit. 6. §. 35.*) in quibus adeo parenti nulla facultas iure familiae est, (*Ibid. §. 25.*) Pactum autem patris, siue

sive transactio, quae fit de re, quae in eius facultate posita non est, non valet, (L. 1. tit. 1. §. 201.) propterea nec obest filiis. (L. 1. tit. 1. §. 216.) Idcirco pater transigens de re filiorum, quos in potestate non habet, eis non obest.

ARGUMENTVM.

58. Post rem iudicatam, etiamsi prouocatio non est interposita, tamen, si negetur iudicatum esse, vel ignorari potest, an iudicatum sit, quia adhuc lis subesse potest, transactio fieri potest. L. 11. b. (§. 1.) L. 1. tit. 19. §. 9. Nam de re indubitata non transigitur.

Id. L. 4. ad Ed. L. n.

ARGUMENTVM.

59. Non est ferendus, qui generaliter in his, quae testamento ei relicta sunt, transegerat, si postea caussetur, de eo solo cogitasse, quod prima parte testamenti, ac non etiam, quod posteriore legatum sit. L. 12. b. Nam qui de toto paciscitur, de omni parte paciscatur, necesse est. (L. 1. tit. 16. §. 19.)

Cels. L. 3. Dig. L. 12.

ARGUMENTVM.

60. Si tamen postea codicilli proferuntur, non improbe mihi dicturus videtur, de eo duntaxat se cogitasse, quo illarum tabularum, quas tunc nouerat, scriptura contineretur. L. 12. b. Nam de eo, quod ignoratur, cogitari non potest. (L. 1. tit. 1. §. 198.)

ARGUMENTVM.

61. Nulli procuratorum principis inconsulto principe transigere licet. L. 13. b. Sunt enim administratores. (L. 1. tit. 14. §. 181.)

Aemil. Macer ad L. 20. haered. red.

ARGUMENTVM.

62. Controuersia inter legitimum et scriptum haereditatem orta est, eaque transactio facta certa lege finita est: quaero: creditores quem conuenire possunt? Respondit: si iidem creditores essent, qui transactionem fecissent: si alii creditores essent: propter incertum successio- nis, pro parte haereditatis, quam vterque in transactione expresserit, vtilibus conueniendus est. L. 14. b. Non apparet vter haeres sit: ergo non directae sed vtilis actiones conueniunt. (L. 1. tit. 7. §. 69.)

L. 13. Scaenola L. 2. Resp. L. 14.

ANNOTATIO.

63. Textus luxatus transpositione vocis: Respondit: videtur posse sanari: Quaero: Creditores, quem conuenire possunt, si iidem creditores essent, qui transactionem fecissent: si alii creditores essent? Respondit: &c. Quare transigentes tam debitores haereditarios actionibus vtilibus conuenient, quam ipsi a ereditoribus haereditariis iisdem actionibus pro rata conuenientur.

ANNOTATIO.

64. Pacto conuento (transactionis) Aquiliana quidem stipulatio sub- iici solet: sed consultius est, huic poenalem quoque stipulationem sub- iungere: quia rescisso forte pacto poena ex stipulatu peti potest. L. 15. b. Qui fidem licitae transactionis rupit, non exceptione tantum sum- mouebitur (§. 34.) sed et poenam, quam: si contra placitum fecerit, rato manente pacto stipulanti recte promiserat, praestare cogetur. L. 16. b.

Paul. L. 1. Sen. L. 15. Hermogen. L. 1. iur. E- pit. L. 16.

P O S I T I O.

Papin. L. 2.
Quaest.
L. 17.

65. Venditor haereditatis emtori mandatis actionibus, cum debitor haereditario, qui ignorabat, venditam esse haereditatem, transigit. Si emtor haereditatis hoc debitum ab eo exigere velit, exceptio transacti negotii debitori propter ignorantiam suam accommodanda est. Idem respondendum est et in eo, qui fideicommissam recepit haereditatem: si haeres cum ignorante debitore transigit. L. 17. b.

P R O B A T I O.

Haereditate vendita emtor non fit haeres, sed ius haereditarium apud vendentem haereditatem remanet, (L. 1. tit. 7. §. 26.) et haeres est creditor debitorum haereditatis. Qui autem cum haerede, creditore suo, citra culpam suam transigit de debito haereditario, in rem transigit, (L. 2. tit. 14. §. 119.) et exceptionem aduersus omnem successorem acquirit, (L. 2. tit. 2. §. 26.) praeterea ignorantia debitoris cessi ipsum a culpa excusat. (L. 1. tit. 1. §. 73.) Ideo exceptio transactionis ipsi danda est.

Haeres quoque fiduciarius haeres manet. L. 7. §. 10. ff. De minor. L. 88. ff. De haered. instit. Ergo de fideicommissario omne obtinet, quod de emtore dictum.

F I N I S

R E S O L V T I O N V M L I B R I S E C V N D I
P A N D E C T A R V M.

* * * * *

E M E N D A N D A.

Pag. 6. lin. 3. tit. 21. lege. 12. lin. 4. l. §. 172. p. 11. l. 17. volunt. l. voluit. p. 18. lin. 18. l. tit. 1. §. 37. 56. p. 22. lin. 13. delectur: is. p. 25. lin. 15. femori: l. femoueri. p. 28. lin. 35. §. 38. l. §. 32. p. 42. lin. 33. L. 1. l. L. 2. p. 48. lin. 19. tit. 1. l. tit. 5. p. 51. lin. 26. auctor. l. actor. p. 53. lin. 11. §. 200. l. §. 202. lin. 17. §. 45. l. §. 46. p. 54. lin. 13. eos. l. eas. p. 55. lin. 3. si l. sibi. lin. 20. §. 79. l. 59.) lin. 30. §. 81. l. 60. lin. 31. §. 79. l. 59. lin. 36. §. 84. l. 64. p. 56. lin. 12. §. 29. l. 20. lin. 41. §. 93. l. 73. lin. 42. §. 95. l. 75. p. 57. lin. 3. §. 97. l. 77. lin. 5. §. 92. l. 72. lin. 15. §. 99. l. 79. lin. 34. §. 104. l. 84. p. 58. lin. 32. §. 78. l. §. 58. p. 59. lin. 14. §. 110. l. 90. p. 60. lin. 14. §. 99. l. §. 79. lin. 25. qui foro: l. qui in foro. p. 61. lin. 11. tit. 9. §. 99. l. tit. 8. §. 79. lin. 28. §. 86. l. §. 66. p. 62. lin. 39. docentem l. ducentem. p. 63. lin. 39. fi: l. listi. p. 65. lin. vlt. noxia l. no-

cia. p. 69. lin. 37. §. 6. l. 61. p. 70. lin. 30. §. 6. l. 204. p. 71. lin. 15. deferri: l. deferre. p. 72. lin. pen. L. 1. l. L. 2. p. 74. lin. 23. tit. 8. l. tit. 7. p. 76. lin. 34. §. 103. l. 83. lin. pen. 29. l. 49. p. 80. lin. 32. ar l. et. p. 82. lin. 22. quis, ea l. quis, ad quem ea. lin. 39. tit. 1. l. tit. 3. p. 83. lin. pen. talis: l. talio. p. 84. lin. 24. dele aut. p. 87. lin. 30. tit. 8. l. tit. 1. p. 95. lin. 5. tit. 1. l. tit. 7. p. 98. lin. 29. tit. 7. l. tit. 5. p. 105. lin. 7. §. 224. l. 243. lin. 9. emere: l. vendere. p. 110. lin. 28. tit. 7. l. tit. 5. lin. 38. §. 57. l. 75. p. 117. lin. 15. §. 103. l. 83. p. 118. lin. 5. §. 103. l. 83. p. 119. lin. 15. fideiussorem: l. fideiussionem. p. 120. lin. 36. L. 1. l. L. 2. p. 121. lin. 17. tit. 1. l. tit. 7. §. 36 et tit. 1. p. 122. lin. pen. ipse l. ipsa. p. 127. lin. 5. §. 91. l. 85. lin. 8. L. 2. l. L. 1. p. 131. lin. 31. tit. 3. l. tit. 10. p. 140. lin. 23. §. 78. l. §. 58.

INDEX

INDEX TITVLORVM

LIBRI II

PANDECTARVM

Tit. I. <i>De Iurisdictione</i>	pag. 5.
II. <i>Quod quisque iuris in alterum statuerit, ut ipse eodem iure utatur</i>	17
III. <i>Si quis Ius dicenti non obtemperauerit</i>	21
IV. <i>De in Ius vocando</i>	24.
V. <i>Si quis in ius vocatus non ierit: siue quis eum vocauerit, quem ex edicto non debuerit</i>	40
VI. <i>In ius vocati ut eant, aut satis vel cautum dent</i>	42
VII. <i>Ne quis eum, qui in ius vocabitur, vi eximat</i>	43
VIII. <i>Qui satisdare cogantur, vel iurato promittant, vel suae promissioni committantur</i>	47
IX. <i>Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caueatur</i>	60
X. <i>De eo, per quem pactum erit, quo minus quis in iudicio sistat</i>	64
XI. <i>Si quis cautionibus in iudicio sistendi causa factis non obtemperabit</i>	67
XII. <i>De Feriis et dilationibus, et diuersis temporibus</i>	79
XIII. <i>De Edendo</i>	84
XIV. <i>De Pactis</i>	100
XV. <i>De Transactionibus</i>	138

INDEX RERVM.

A <i>Acceptatio</i> definitur 113. quae sit	<i>Aediles</i> , quales Magistratus fuerint 128
inutilis 125	<i>Aequitas</i> quid sit 17
<i>Actio ad exhibendum</i> quid sit 44	- - <i>bonae fidei contractuum</i> , ac-
- - - <i>de in rem verso</i> quid sit 87	qualitatem praestationum seruat 17
- - - <i>in factum</i> definitur 45	<i>Aestimatio</i> eius, quod interest agentis,
- - <i>furti</i> quid sit 115	ad quod tempus referatur 78
- - <i>in eum, qui iudicio non sistit</i> 41	<i>Aequum</i> , doctrina de eo ex Aristotele
- - <i>iniuriarum</i> quid sit 50	desumpta 9
- - <i>Iudicati vel aedium incensarum</i>	<i>Agere</i> quid sit 84
de ea agitur 109	<i>Agnationis</i> ius pacto repudiari non
- - <i>iudicati</i> quid sit 79	potest 129
- - <i>mandati</i> quid sit, 93	<i>Agnatus</i> qui non fit adoptione, eum
- - <i>mandati contraria</i> definitio	non sequuntur iura cognationis 27
eius 19. 93	<i>Album</i> , Si familia alicuius album cor-
- - <i>negotiorum gestorum contraria</i>	ruperit, non edicitur vt in furto 10
et <i>directa</i> quid sit 134. 93	<i>Album Praetoris</i> quid sit 7. an paries
- - <i>noxalis</i> definitur 10	albus 7
- - <i>de peculio</i> quid sit 87	<i>Alimenta</i> , quando transactio de iis rata
- - - <i>pigneratitia directa</i> defini-	sit 141. Senatus consultum hac de re
tur 139	et eius interpretatio 141. 142
- - <i>poenalis</i> quid sit 9	<i>Ambitus crimen</i> vnde 81. crimen pu-
- - <i>popularis</i> cuiilibet e populo datur	blicum erat 82
7	<i>Annuli aurei</i> ingenuitatis signum erant
- - <i>praescriptis verbis</i> quid sit 104	31. in quarto sinistrae manus digito ge-
- - <i>pro Socio</i> definitio eius 94	stabantur 31. ferreis serui utebantur 31
- - <i>Quasi-Seruiana</i> quid sit 115	<i>Appellatio</i> quid sit 54
- - <i>quod iussu</i> quid sit 87	<i>Arbiter</i> compromissarius iudicandi quis
- - <i>rei uxoriae</i> bonae fidei fuit 106	sit 55
- - <i>Seruiana</i> definitur 115	- - - <i>transigendi</i> , qualis per-
- - <i>tutelae contraria</i> quid sit 94	sona 55
<i>Actiones</i> de quantitate maiore, vel mi-	- - - <i>ad fideiussores</i> probandos
nore earumque coaceruatione 12	constitutus, ab eo appellare licet 55
<i>Actor</i> qualis persona sit 32	<i>Arbitri</i> . Duo arbitrorum genera sunt
<i>Administrare</i> quid sit 125	54. 55
<i>Adfessor</i> , si imprudentia eius ius aliter	<i>Argentarius</i> quis sit 86. mensarii et
dictum sit, quam oportuit, ipsi	mensularii etiam dicebantur argen-
officit, non magistratui 17. 18	tarii 86. officii eorum descriptio 86.
<i>Advocatio</i> . Definitio eius 14	quomodo rationes edere debeant 86.
<i>Advocatus</i> in quo differat a Patrono,	ibi edere coguntur, vbi argentariam
Procuratore et Cognitore 14	exer-

INDEX R E R V M.

exercere 88. etiam qui defuit argentiariam facere, ad editionem compellitur 88. item successores argentarii 90. quomodo argentario rationes edendae 92. si ipse rationes dolo malo non exhibet, punitur 93. quid de argentarii patre statuendum 95. quid de legatario et haerede eius 95. vtrum foemina argentariam facere possit 99. quid de pacto duorum argentariorum statuendum 120

Aristoteles, quando veteres Icti ad auctoritatem eius prouocauerint 9

Atrium, Vineae et Vestibulum, an vnum idemque sint 38

Auctoritas quid sit 51

Augustus libellum sibi offerentis timiditatem castigat 36

Aureus, valor eius 8

Auspicia in creandis Magistratibus maioribus adhibebantur 6. post mediam noctem fiebant et cur 83

B.

Balneum. Vtrum quis de Balneo suo in ius vocari possit 37

Bona fide seruire quinam dicantur 116

Bonae fidei actiones et contractus quid comprehendant 105

Bonorum possessio quid 5. differentia inter edictalem et decretalem 8

C.

Cauere. Si quis exhibiturum se cauerit, ad exhibendum cogitur 35. 36.

Quoties vitiose cautum est, non videtur cautum 50

Calumnia quid sit 45

Cautio quid sit 57. qualis debitori reddita 101

- - *de rato* quid sit 92

Certum, definitio eius 23. *Condictio certi* quid sit ibid.

Codicilli post transactionem reperti, quid de iis statuendum 139

Cognitor quomodo differat ab Aduocato, Patrono, et Procuratore 14

Compensatio quid sit 66

Conciliatio Legis 205. ff. de Reg. Iur. et Legis 17. ff. de manum. vind. 144

Condictio quid sit 20

- - - *certi et incerti* definitur 23

- - - *furtiua* quid sit 97

- - - *indebiti*, definitio eius 20

Constitutum quid sit 91

Contractus consensuales consensu iterum soluantur 106. seq. vtrum etiam pacto dissoluantur 137

- - - *nominati*, ex his oritur obligatio ciuilis 104

Conuenire, quibus modis possimus 101

Conuentio quid sit 100. pleraeque conuentiones in aliud nomen transeunt 101. conuentionum tres sunt species 102. Ex Conuentione ob maleficium facta, nulla est obligatio 104

- - - de alio Praetore qui ius dicat, quam cuius est iurisdictio, litigantium est 15

- - - ne exceptio in vadimonio deserto obiciatur 72. debitoris fideiussoribus proficit 119. fideiussoris nihil prodest 119

- - - *iuris gentium* diuisio et effectus 103

- - - *legitima* quid sit 103

- - - *priuata* 103

- - - *publica* definitur 102

Corpus, quando torquendum sit et cuius 9

Correi debendi quinam 73

- - *stipulandi* quinam dicantur 73

Creditorum si dissentiant, quota parte debiti contenti sint, maioris partis voluntatem praetor sequitur 112

Credi-

INDEX R E R V M.

Creditoris intererat de mensa dare mutuum 86
Curator furiosi et adolescentis quomodo inter se differant 18. de pacto eius vtili 126

D.

Debitor de mensa soluere malebat et cur 86
 - - - qualis ipsi cautio reddenda 101. de pignore ipsi reddendo 101
Defensor quis dicatur 57
Delegare, quid sit 131
Deportatio quid sit 32. successit in locum aquae et ignis interdictionis 33
Depositum. Ne depositi agatur, pacifici licet 110
Dies naturalis quales eius termini 82. quales ciuilibus diei 83
Dieta vnde apud Romanos appellata 89
Dilatio quid sit 82. quoties dilatio dari debeat 82. 83
Diuisionis placitum, vt nudum pactum, non valet 132
Dolo malo facere quid sit 64. si plures dolo malo fecerint, omnes tenentur 64. aduersus eum, qui dolo malo fecit, quo minus reus iudicio sistatur, in factum actio competit 65. si is, qui dolo malo fecit, soluendo non sit 65. si stipulator dolo vnus et promissor dolo alterius non steterit 66. si promissor et stipulator se mutuo impedierint 66
Dolus. Quot doli sunt, tot delicta 10. 11.
Dolus defuncti non imputatur haeredi 24
Dolus malus, quinam ex illo teneantur 19
Domus. Vtrum quis de Domo sua in ius vocari possit 37
Dos quid sit 102. de stipulatione dotis quid sentiendum 102
Duumuiris, qui coloniis deducendis praeficiebantur, nullum Imperii signum concedebatur 12. Iurisdictio-

nem suam poenali iudicio defendere non poterant 21

E.

Edere actionem quid sit 84. quanam sint edenda 85. quibus causis non edenti subueniatur 85. quae instrumenta fisco ab actore edenda sint 85. quid veniat in hanc actionem 93. qui edere cogantur 96. 97. tempus huius actionis 99. quando haeres edere teneatur 99
Editiones instrumentorum sine die et Consule fieri debent 84. rationes autem cum die et Consule 85
Edicta Praetorum non omnia erant tractata 8
Edictum praetoris. Qui contra Edictum Praetoris in ius vocat, qualis eum poena maneat 39. 40.
Exaequatio damni facti, doctrina de ea ex Aristotele desumpta 9
Exceptio quid sit 64
 - - - *Doli mali* quid 64
 - - - *Fori*, quae ab initio non competit, ex postfacto nasci non potest 16
Exilium non erat poena, sed fuga et euitatio condemnationis 70
Eximere in ius vocatum quid sit 44. de vi et dolo eximentis 44. si quis per calumniam vocatum exemerit 45. aut per alium exemerit 45. si eximens poenam soluerit, reum non liberat 47
Expromissor quis sit 127
Extremum iurisditionis est decretum praetoris 21. an executio sit extremum iurisditionis 23

F.

Familia, significatio huius vocis 126
 - - - quando furtum fecerat, aut album alicuius corruerat, quid tunc Praetor edixerit 10. 11.
Feriae

I N D E X . R E R V M

<i>Feriae</i> quid sint 79. quibus ex causis feriatis diebus in ius vocare liceat 80. 81. prid. Kal. Ianuar. erat Iustitium 82. feriatis diebus nisi ex voluntate partium iudicatum fuit 82. a forens. tantum negotiis dant feriae vacationem 83	<i>Filius Patroni</i> , patre absente si in ius vocetur, subueniendum est ei 35
<i>Fideicommissum</i> . Is qui ex causa fideicommissi manumittit, in ius vocari non debet 29	<i>Filiusfamilias</i> si argentariam exercuerit 87
<i>Fideiussor</i> qualis persona sit 18. quando iniuriam patitur 19. habet actionem mandati contrariam contra debitorem mandantem 19	<i>Flagella</i> sunt poena seruis decreta 34
- - - <i>idoneus</i> vel <i>locuples</i> quis sit 40. 47. si iurisdictioni ad quam vocatur, non subiectus fuerit, pro non dato habetur 40. qualis personis necessariis dandus 48	<i>Foeminae</i> in tutela parentum, fratrum et maritorum sunt 51. valide intercedere non potuerunt 52. tutela foeminarum sensum desit 52
- - - qualis iudicio sistendi causa dandus et accipiendus sit 42. Editum de fideiussore in necessariis personis accipiendo 48. eius interpretatio <i>ibid.</i> quanti teneatur fideiussor, qui iudicio sibi promisit 48. pactum eius reo non prodest 119. si quando ipsi fideiussori profit 120. vtrum pactum rei noceat fideiussori 138	<i>Formula</i> stipulationis ordinaria quae sit 109
- - - tanti tenetur, quanti res esse intelligitur 49. ad exhibendum reum, sine culpa sua mortuum, non obligatur 49. si autem post diem exhibitionis decesserit, recte cum fideiussore agitur 49. si quis fideiussor acceptus non fuerit, de iniuria sibi facta queri poterit 50. qualem merito fideiussorem petitor recusare possit 50. minores 25 annis probandi non sunt 52. quando fideiussio exspiret 53. fideiussores probare quid sit 55. qui pro locupletibus habendi 55	<i>Fraus</i> definitur 108
<i>Fides</i> . Fidei naturalis praestatio et Gestio a se inuicem differunt 121	<i>Fundus</i> . Diuersa huius vocis significatio 124. si vindicem a te fundum, cuius possessionem pactus sum, vt alii traderes 130
P A R S II.	<i>Furta</i> apud Lacedaemonios erant permissa 97. quomodo apud Romanos punita 98. Furti definitio 110. vtrum de furtis pacisci liceat 110
	G.
	<i>Gestio</i> et naturalis fidei praestatio a se inuicem differunt 121
	H.
	<i>Haeres</i> haereditatem petere potest a non haerede, pro haerede possidente 56. vtrum ei testamentum edi debeat 85. vtrum epistola cohaeres fiat 134. de haerede paciscentis 135
	<i>Haereditas</i> . Pactum ante aditam haereditatem cum creditoribus 110. seqq.
	<i>Haereditatis petitio</i> quid sit 56
	<i>Hippocrates</i> , quando veteres Icti ad auctoritatem eius prouocauerint 9
	<i>Homerus</i> , quando veteres Icti ad auctoritatem eius prouocauerint 9
	<i>Horrea</i> Romani habebant publica 88. dicebantur et Insulae 89
	<i>Horti</i> Romanis erant in deliciis 89
	I.
	<i>Imperium</i> quotuplex sit 6
	- - - <i>Merum</i> in quo consistat 6
	- - - <i>Mixtum</i> explicatur 6
	V
	<i>Incertum</i>

INDEX RERVM.

<i>Incertum</i> , definitio eius 23. <i>Conditio</i>	
incerti quid sit	ibid.
<i>Ingenui</i> natiuitate tantum fiebant 31	
<i>In eadem causa sistere</i> quid sit 60. 77.	
In <i>Iudicio sisti</i> . De eo per quem factum	
erit, quo minus in <i>Iudicio</i> sistat 64. si	
reus dolo actoris vel extranei non stiterit 64. si seruus fuerit 65. tempus huius iudicii 65. si seruus actoris fecerit 65. si stipulator dolo vnius et promissor dolo alterius non steterit 66. si quis cautionibus in iudicio sistendi causa factis non obtemperauerit 67. itinere dinumerato, quid iudicio sistendi causa faciendum sit 67. quibus ex causis vadimonium deferens excusetur 67. (1) propter negotium transactum 67. (2) propter municipalis muneris causam 68. (3) si ad testimonium desideratus fuerit 68. (4) si valetudine, tempestate, vel vi fluminis impeditus fuerit 68. 69. 70. (5) si in ius vocata grauida aut puerpera sit 69. (6) si quis furore impediatur 69. (7) si a magistratu retentus fuerit 70. (8) si rei capitalis antea condemnatus fuerit 70. (9) si vinculis vel custodia militum impeditus fuerit 71. (10) si funere domestico impeditus fuerit 71. (11) si in seruitute hostium fuerit 72. (12) si reipublicae causa abfuerit 75. quibus excusationibus uti possit, qui alieno iuri subiectum sisti promissit 75. qui idcirco non stetit, quia capitis reus factus est, non excusatur 71. si quis post diem praestitutum steterit 76. si quis tempore liberatum sisti promiserit 76. si homo sisti promissus ante diem perierit 76. 77	
In <i>Iudicio sisti</i> si quis duos promiserit, et vnum tantum exhibeat 42. si seruum sisti promiserit, et liber factus sistatur	
	63
<i>Iniuria</i> esse nequit, quod iniuriae repugnat 43. iniuriarum actio an haeredi competat 77	
in <i>Ius venire</i> ex qua causa oporteat 41 quomodo is, qui non venerit, puniendus vel excusandus 41	
in <i>Ius vocari</i> , quinam potuerint 24 sqq. Vtrum quis de domo sua, vinea, balneo, theatro in ius vocari possit 37. quibus casibus in ius vocatus dimitti debeat 39. Ne quis eum, qui in ius vocabitur, vi eximat 43. Ratio edicti huius ib. si seruus exemerit 43. si is, qui vocari non potuit, aut ab alio vocari debuit, exemptus sit 44. si quis ad pedaneum iudicem vocatum exemerit 44	
In <i>possessionem missio</i> quid sit 5. imperii magis quam iurisdictionis est 6	
In <i>rem versum</i> quid dicatur 87	
<i>Instrumenta</i> quomodo edenda 84. quomodo eorum <i>Exempla</i> 99. quae fisco ab actore edenda 85	
<i>Insulae</i> vide <i>Horrea</i> .	
<i>Intercedere</i> quid sit 51	
<i>Interpellatio</i> Magistratus 35	
<i>Interpunctio</i> §. 2. Leg. 26. tit. 14. de pactis, mutata 122	
<i>Iterum</i> , duplex huius voculae significatio 93	
<i>Iubere cauere praetoria stipulatione</i> qualis sit actus 6	
<i>Iudex</i> . Officium eius nobile et mercenarium definiuntur 57	
- - - <i>competens</i> quis dicatur 41	
- - - <i>pedaneus</i> . Si quis ad pedaneum iudicem vocatum exemerit 44	
<i>Iudicium</i> quid sit 67	
- - <i>in factum</i> , quale hoc sit 46. ex qua causa detur 46. quale sit de pluribus delinquentibus 46. quatenus haeredibus detur 47. tempus huius iudicii 47	
<i>Iuramentum</i> quid sit 28	
-- <i>voluntarium</i> habet vim rei iudicatae 28	
<i>iuramen-</i>	

INDEX RERVM.

Iuramentum calumniae quid sit 54. quinam iubeantur de calumnia iurare 54
Iuramentum calumniae, iurare coguntur, qui rationes sibi edi postulant 90
 - - - *in litem* quid sit 45
 - - - *iudiciale* quid sit 88
 - - - *purgatorium*, eius definitio 88
Iuris, quod quisque in alterum statuerit, eodem ipse Iure vtatur 17
Iurisdictio quid sit 6
 - - *data*, quid cum ea coniunctum sit 6
 - - *mandata*, quis eam mandare possit 6
 - - *restricta* quid sit 11. 12
 - - *restringens*, quae ita dicatur 12
 - - *propria*, definitio eius 14
 - - *prorogata* qualis 14
 - - Qui Iurisdictioni praest, neque sibi, neque iis, quos secum habet, ius dicere debet 11. Praetoris limitata non erat 12. si quis maior vel aequalis, alterius Iurisdictioni se subiiciebat: poterat ei et aduersus eum ius dici 13. potest prorogari de et in rem 14. an pacto priuatorum prorogari possit 15. extremum iurisdictionis est decretum praetoris 21
Ius, si quis iniquum ius aduersus aliquem impetrauit, quomodo eo vti debeat 18. quinam Ius dicenti non obtemperasse dicantur 21. sq. in Ius vocare quid sit 24. quinam in Ius vocari non debeant 24. seqq.
 - - *Agnationis* repudiari pacto non potest 129
Ius aureorum annulorum quale fuerit 31
Ius dicentis officium est latissimum 5. in quo consistat 5. si quis Ius dicenti non obtemperauerit 21
Iusiurandum, vtrum pactum de iureiurando sit seruandum 110
Ius personale, definitio eius 24. cum persona extinguitur 24

Ius publicum priuatorum pactis mutari non potest 130
 - - *reale* quid sit 24. transit ad omnem successorem 24
Iusta funebria quid fuerint 25
 - - *facere* idem erat, quod parentare 25
Iustitium pride Kalend. Ianuar, 82

L.

Lacedaemonii, apud eos furta erant permissa 97
lectio Leg. 1. §. 2. tit. 13. de edendo vindicatur 83
 - - *Legis 2. tit. 4. de in Ius vocando* vindicatur 25
 - - *Leg. 2. tit. 11. si quis cautionibus* &c. castigatur 67
 - - - - *4. §. 4. eiusd. tituli* notatur et restituitur 72
 - - *Leg. 51. tit. 14 de Pactis* notatur 134
 - - *§. 16. L. 7. tit. 14. de pactis*, forte dubia 110
Legatarius quis sit 95
Leges tabulis inscriptae parietibus clauis affigebantur 8
Lex Aelia Sentia, Sensus eius explicatur 28. 29
Libellus quid sit 36. de oblatione eius 36
Liberatio definitur 46
Libertini quibus artibus saepe ad ingenuitatem peruenerint 27
Libertus patronum in Ius vocare non poterat 26
 - - *communis* singulos ciues in Ius vocare potest 39
Lites, earum frequentiam praecauerunt Romani variis modis 21
Litis contestatio quid sit 22. quinam litem contestari dicantur 22
 - - *actimatio* et publicis et priuatis iudiciis propria erat 23
Lucrum, Aristotelis sententia de eo 10

INDEX RERVM

M.

<i>Magister societatis</i> quis sit	114
<i>Magistratus</i> omnes Iurisdictionem suam poenali iudicio defendere poterant 21. eo die, quo priuati futuri erant, iudicare, iubere non poterant	13
- - - <i>maiores</i> , quomodo creati	6
- - - <i>municipales</i> , supplicium a seruo sumere non poterant	13
<i>Manumissor</i> quando Patronus factus sit	29
<i>Mandatarii</i> nulla erant auspicia 6. res a mandante coeptae, eo defuncto perficiuntur a mandatario	7
<i>Matronae</i> apud Romanos in coetu virorum publice non comparebant	39
<i>Mensarii</i> vel Mensularii. vid. <i>Argentarius</i> .	
<i>Messis</i> tempore in ius venire nemo cogatur 79. qualis tamen sententia hoc tempore lata valeat 79. messis tempus a Praeside Prouinciarum statuabatur	82
<i>Miles</i> 25 annis minor fideiussor datus reprobabatur 52. nisi in rem suam fideiuberet	<i>ibid.</i>
<i>Ministerium publicum</i> quid sit	86
<i>Mora</i> , definitio eius	135
<i>Mutus</i> an pacisci possit	102

N.

<i>Natalibus restituere</i> quid sit	32
<i>Necessarii</i> , quinam dicantur	42
<i>Nexus</i> qualis contrahendi modus fuerit	103
<i>Negotiorum gestio</i> quid sit	134
<i>Nouatio</i> quid sit	120
<i>Noui operis nunciatio</i> , definitio eius	109
- pactum de ea	109
<i>Noxae deditio</i> quid sit	10
<i>Noxalis iudicium</i> quid sit	10

<i>Noxalis causa</i> . Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caueatur 60. si cum vno ex Dominis agatur, an pro parte focii satisfacere deberet	63
<i>Noxia</i> quid sit	9
<i>Nummularii</i> quinam fuerint 96. officium eorum 96. ad rationes edendas cogi possunt	96. 97
<i>Nundinae</i> an feriae sint, disputatur	81
<i>Nundinari</i> quid sit	81

O.

<i>Obligatio alternatiua</i> definitur	123
<i>Obtemperare</i> . Quinam ius dicenti non obtemperauisse dicantur	21 sq.
<i>Officium Iudicis nobile</i> quid sit	57
- - <i>mercenarium</i> quale	57
- - Ius dicentis est latissimum	5
<i>Omis</i> quid sit	50

P.

<i>Pacisci</i> . De quibus rebus pacisci liceat 109. de quibus non liceat 137. 138	
<i>Pacta conuenta</i> infunt bonae fidei iudiciis 105. quae Praetor seruanda promiserit 107. 108. Pacto conuento transactionis si subiiciatur Aquiliana et poenalis stipulatio	147
- - <i>in rem</i> definiuntur	108
- - <i>in personam quaenam</i> dicantur	108
- - <i>nuda</i> sunt stricti iuris et interpretationis	105
<i>Pactio</i> quid sit 100. vtrum mutus pacisci possit	102
<i>Pactum</i> . Pacti et Pacis etymologia 100. Pacta sunt seruanda 100. diuisio pacti 108. Edictum de pactis 107. 108. eorum effectus 108. si dolo malo pactum sit non seruatur 108. de pacto fraudandi causa agitur 108. 109. de actione iudicati vel aedium incensarum 109. inter futurum haeredem et creditores haereditarios 110. de poenae stipulatione pacto subiecta 113. de doli exceptione 113. de pacto procurato-	

INDEX R E R V M

curatoris 113. seq. de pacto Magistri
 societatis 114. de pacto tutoris 114.
 132. de pacto emtoris haereditatis 114.
 an pactum domini noceat procurato-
 ri 114. de pacto vt plus reddatur, quam
 datum sit 114. seq. qualis effectus pa-
 cti de iniuria, furto, pignore 115. an
 pactum haeredi, vel donatario profit
 115. 116. de pacto possessoris haeredi-
 tatis, filii familias, vel serui, vel bona
 fide seruientis 116. 117. de pacto ha-
 bentis in potestate 117. Si filia fami-
 lias de dote et filius familias de
 legato conditionali paciscatur 118.
 pactum in rem quibus profit 118.
 pactum in rem et in personam con-
 funduntur 119. an pactum vnus alii
 profit 120. de pacto correorum et co-
 argentariorum 120. de pacto rei ad
 tempus, vel ne a fideiussore petatur
 120. quid statuendum, si posterius pa-
 ctum priori sit contrarium 121. an pa-
 cto effici possit, ne dolus praestetur
 122. de quibus pacisci non liceat, et
 ad quae pactum pertineat 123. pactum:
 ne petam duplum, vel dimidium eius,
 quod mihi debetur 123. si stipulatus
 alternatiue, paciscatur, ne alterum
 petat 123. 124. si creditor generis de
 specie pepigerit 124. si pactus ne vni-
 uersitatem peteret, singulas res: aut
 pactus de tota re, partem petat 125.
 pactum serui haereditarii 125. pactum
 contra ius non valet 125. pactum pu-
 pilli quando valeat 125. curatoris fu-
 riosi aut prodigi longe vitale est 126.
 pactum eius, qui est in potestate 126.
 pactum contra edictum Aedilium an
 sit licitum 129. an pactum rei profit
 fideiussori 129. an pactum haeredibus
 profit 129. 131. ius agnationis pacto
 repudiari non potest 129. pacti gene-
 ralis effectus 129. an vindicare possim
 fundum, cuius possessionem pactus

sum, vt alii traderetur 130. pactum
 curatoris reipublicae 130. pactis pri-
 uatorum ius publicum mutari non
 potest 130. pactum obscurum vel am-
 biguum cui noceat 130. Pactum: pro-
 fiteor, te non teneri, vbi locum habeat
 130. Pactum: vt nisi intra certum
 diem pecunia soluatur iudicatis satis-
 fiat 130. Pactum: intra illum diem
 cet. 131. Pactum: vt praedii pigne-
 rati tributum debitor agnoscat, an sit
 seruandum 131. 132. pactum circa le-
 gem emtionis seruandum 132. vtrum
 per pactum legatarius haeredi satisfac-
 tionem remittere possit 132. pactum
 quo redditur contractus pristinae for-
 mae validum est 133. pactum traditi-
 oni rerum adiectum valet 133. pa-
 ctum: vt debitor conueniatur qua-
 tenus facere potest, an valeat 133. pa-
 ctum: ne seruus fiat fur, cet. an va-
 leat 134. pactum per errorem factum
 non valet 134. pactum vt praedii pi-
 gnerati tributa debitor agnoscat, va-
 let 135. pactum temporale non per-
 petuandum 135. Pactum: vt pars eius,
 quod ex lite datum erit procuratori
 soluatur, vtrum valeat 135. effectus
 pacti, ne petatur 136. an pactum serui
 fructuario profit 136. effectus pacti:
 Ne dominus a colono petat 136. quale
 pactum vsurae in futurum acceptae
 in se contineant 136. de pacto mixto
 quid statuendum 136. vtrum contra-
 ctus pacto dissoluantur 137. per quas
 personas nobis ex pacto acquiratur
 137. vtrum necessariae personae prae-
 ferantur extraneo, qui cum creditori-
 bus pactus est 137. vtrum pactum rei
 noceat fideiussori 138
Patris et Pater in quo differant 27
Parentes qui dicantur 26. naturales in
 his vocare nemo potest 2
V 3 *Parent-*

INDEX R E R V M.

<i>Parentes</i> patris adoptiui impune in ius vocari possunt	27	aditus fuerat, nihil valebat, quod actum erat 14. Iurisdictionem mandare solebat 14. conuentio de alio Praetore, qui ius dicat, quam cuius est, Iurisdictione litigantium est	15
<i>Pater</i> adoptiuius, quamdiu in ius vocari non possit	27.	<i>Proconsul</i> eo die, quo priuatus futurus erat, iudicare, iubere non poterat	13
<i>Pater</i> et pater quomodo differant	27	<i>Procurator</i> . Differentia eius ab Aduocato, Patrono, et Cognitore	14.
<i>Patronus</i> quomodo differat ab Aduocato, Procuratore et Cognitore	14.	definitio eius	18.
si Praetoris permisso in ius vocari non poterat	26	si ius dicenti non obtemperauit, ipse punitur, non dominus vel pupillus	22.
- - liberti quomodo quis fieri potuerit	27. 30	quando stipulatio Procuratoris nullius momenti sit	78
- - ex causa famosa a liberto in ius vocari poterat	34	<i>Procuratori</i> Principis inconsulto Principe transigere non licet	147
- - deportatus honorem amisisse videtur	33	<i>Prodigus</i> , eius definitio	126
<i>Peculium</i> quid sit	27	<i>Prostituta</i> quomodo libera facta	30
<i>Peculii castrensis</i> definitio	27	<i>Puella</i> liti cadens coram iudice competente, postea ad viri matrimonium alii iurisdictionis subiecti perueniens, in ea prioris iudicis sententia exequi potest	16
<i>Periurium</i> quid sit	59	<i>Puellas</i> impuberes in ius non vocandae	39
<i>Personae</i> quibus reuerentia sit praestanda	35		
<i>Petitio</i> iurisdictionem restrictam excedere non debet	16	Q.	
<i>Pignus</i> . De pignore debitori reddendo		<i>Quasipossessor</i> quis sit	58
101. inuecta et illata in aedes conductas, locatori pignori sunt	101	R.	
<i>Poena</i> quid sit	43	<i>Ratibabitio</i> aequipollet mandato	56
- - conuentionalis quae dicatur.	41	<i>Rationes</i> quinam reddere coacti fuerint	
- - edicti ex bono et aequo moderanda	35	90. cui edi debeant 91. 96. quibus edendus est dies et Consul initio tabularum inscriptus 92. quomodo argentario, et ei, qui iterum postulat, edendae 92, quando procuratores rationes edere non cogantur 94. vtium socius rationes edere cogi possit 94. item tutor 94. Nummularii ad rationes edendas cogi possunt 96. ab argentariis quomodo editae 86. rationes eius sunt, cuius causa confectae 88. quid sint	90
<i>Possessio</i> bonorum quid sit	5	<i>Ratio</i>	
<i>Possessor</i> definitur 58. rerum immobilium possessor satisfacere non compellitur	58		
<i>Postulare</i> . Si procurator meus postulauit, quaer. quis eodem iure vtatur	18		
<i>Priuegium</i> personae adhaeret, non causae	78		
<i>Praetor</i> quando ad Senatum retulerit 8. quid edixerit, si familia furtum fecerat, aut Album alicuius corruperat 10. eius iurisdictione limitata non fuit 12. eo die, quo priuatus futurus erat, iudicare, iubere non poterat 13. si alius pro alio Praetor			

INDEX. R E R V M.

<i>Rationis</i> appellatione quid contineatur	90
<i>Res immobilis</i> quae dicatur 57. immobilium rerum possessores; satisfidare non coguntur	58
<i>Reicapitalis condemnatus</i> quis dicatur	70
<i>Reipublicae causa abesse</i> quinam dicantur	75
<i>Replicatio</i> definitur	121
<i>Restituere in integrum</i> quid sit	52. 33
<i>Retractus gentilitius</i> s. legitimus definitur	137
<i>Reuerentia</i> quibus sit praestanda	35
<i>Rusticitas</i> quid sit	41

S.

<i>Sacramento quaerere</i> quid sit	21
<i>Satisfidare.</i> Quoties vitiose cautum vel satisfidatum est, non videtur cautum	50
<i>Satisfidatio.</i> Etymologia et definitio satisfidationis 47. personis, quae agere non possunt, frustra fideiussor datur 48. qui iudicatum solui satisfidare debeant 57. quinam iudicio fisci satisfidare non coguntur 58. si satisfidatum ab eo sit, qui non tenebatur 72. si ex ignorantia plus promissum sit	73
<i>Satisfidatio,</i> an etiam in alia eiusdem provinciae ciuitate, quam in qua conuenitur, praestari possit 50. 51. quinam lege satisfidare cogantur 53. an etiam satisfidatio voluntaria in alium locum remitti possit 51. de die ponenda in satisfidatione solet inter litigatores conuenire	51
<i>Senatus consultum</i> de transactione propter alimenta, et eius interpretatio	141. 142
<i>Sententia</i> quid sit	80
<i>Serui publici</i> conficiebant tabulas publicas	36
<i>Seruire bona fide,</i> quinam dicantur	116
<i>Seruus,</i> si in ius vocatum vi exemerit,	

qualis eum poena maneat 43. si quis seruum in ius vocatum exemerit 44. an per seruum caueri possit 52. Edictum de seruo, pro quo noxalis actio est, exhibendo 60. si seruus absit, dominus praesens sit, vel contra 61. 62. si usufructuarius seruum non defende- rit, denegatur ei usufructus persecutio 62. qui seruus statu liber dicatur 63. si seruus actoris fecerit, quo minus reus iudicio sistatur 65. reipublicae causa abesse nequit 75. iure ciuili nullus est 75. si seruus se iudicio fisci satisfidauerit, non committitur stipulatio 76. si ex pluribus seruis vnus non sistatur 76. si seruus iudicio fisci stipuletur vel promittat 78. si argentariam faciat, compellendum dominum edere 87. 88. si haeres scriptus, priusquam libertatem et haereditatem adipiscatur, cum creditoribus paciscatur 110. 111	
<i>Sistere</i> in eadem causa quid sit	60
<i>Societas</i> quid sit	73
<i>Socius</i> quis sit	62
<i>Sponsiones,</i> qualis earum forma fuerit apud Romanos	21
<i>Stipulatio</i> quid sit, 73. si ex duobus reis stipulandi vni promissum sit, alter autem impedierit 74. si ab vno res petatur, ab altero poena desertionis 74. si seruus iudicio fisci stipuletur vel promittat 78. procuratoris stipulatio quando nullius momenti sit 78. an vno sit edenda	85
<i>Stipulatio</i> per stipulationem tollitur 121. vtrum in stipulatione a seruo, vel in stipulatione conditionali in sit pactum tacitum 127. 128. stipulationis formula quae sit ordinaria 109. si contra ius facta, est rescindenda. 110	
<i>Stipulatio Aquiliana</i> definitur 138. effectus eius 139. si pacto conueno transactionis subiiciatur	147
<i>Stipn-</i>	

INDEX RERVM.

Stipulatio dotis, quid de ea sentiendum 102
 - - *praetoria* quid sit 6
Substitutio vulgaris quid sit 56
Sucessio cui in iure ciuili tribuatur 5.
 cui praetor dederit 5
Supplicium a seruo sumere Magistrati-
 bus municipalibus non licebat 13
Syndicus, definitio eius 32

T.

Tabulae rationum erant argentarii 86
Territorium. Extra territorium ius di-
 centi impune non paretur 16
Testamentum vtrum haeredi sit eden-
 dum 85. quomodo in controuersis
 ex testamento procedendum 140
Textus Legis 15. tit. 8. qui satisfacere co-
 gantur, corruptus restituitur 59
Theatrum. Vtrum quis de Theatro in
 ius vocari possit 37
Tigni iuncti ius, quare receptum fue-
 rit 38
Transactio et pactum gratuitum quo-
 modo differant 138. quomodo trans-
 igatur 138. effectus transactionis in-
 ter scriptum haeredem et matrem de-
 functi 138. 139. transactionis cum
 opinato haerede 139. transactio post
 rem iudicatam valet 140. transactio
 inter reum et fideiussorem 140. trans-
 actio de alimentis quando rata sit
 141. si is, qui transegit, agat ex per-
 sona alterius, cui successit 146. de
 dolo cohaeredis transigentis 146. ad
 quae transactio pertineat 146. an
 transactio patris noceat filio 146. ef-
 fectus transactionis generalis 147.
 Procuratori principis inconsulto
 principe transigere non licet 147. de
 transactione inter legitimum et scri-

ptum haeredem quid statuendum 147.
 si pacto transactionis Aquiliana et
 poenalis stipulatio subiiciatur 147. an
 transactio cum haerede facta emto-
 ri haereditatis vel fideicommissario
 noceat. 148
Transigi diuersus huius vocis significa-
 tus 140
Tutor vtrum pupilli nomine patronam
 suam in ius vocare possit 36. si promi-
 serit iudicio sisti, et deserit posse con-
 ueniri 79. vtrum ad rationes pu-
 pillo edendas cogi possit 94

V.

Vendere sub hasta, quid Romani circa
 id obseruauerint 111
Vestales Virgines. Earum aetas et con-
 ditio 39
Vestibulum, Atrium et Vineae, an vnum
 idemque sint 38
Vindemiarum tempore nemo in ius
 venire cogatur 79. qualis tamen sen-
 tentia hoc tempore lata valeat 79.
 vindemiarum tempus a Praefide Pro-
 uinciarum statuebatur 82
Vindicatio tigni iuncti quare data non
 fuerit 101
Vinea. Vtrum quis de vinea sua in ius
 vocari possit 37. quid hic per vine-
 am intelligatur 38
Virgines vestales quales fuerint 39
Vis quid sit 43
Vniuersitas quid sit 95
Vsu capere, vsu venire, quid significet 98
Vsurae in futurum acceptae, quale pa-
 ctum inuoluant 136
Vsurarum perceptio vbi locum habeat 131
Vsusufructus quid sit 62

LIPSIAE, LITTERIS BREITKOPFIANIS.

66,720 (*) 66,720

IOANNIS GEORGII WAGNERI

V. I. D.

ET IN ACADEMIA REGIA EQVESTRI LIGNICENSI

MATH. P. P. O.


RESOLUTIONES

PANDECTARVM,

METHODO DEMONSTRATIVA

ADORNATAE.


LIBER TERTIVS.



LIGNITII,

APVD DAVID. SIEGERT.

MDCCXLV.



PRAEFATIO.



Libro anteriori secundo de pactis actum fuit: ubi quaedam de contractibus tractata sunt. Difficilis et praeter rem recepta compluribus visa est pactorum et contractuum distinctio: ipsi contractus secundum Romanorum doctrinam multa caligine impediti. BACHOVIVS *ad Treutl. Disp. 6. th. I. Lit. D.* confitetur: *Difficile esse differentiam dare communem, quae omnibus contractibus conveniat: et si eius loco causa poni debeat, et obscuram fore definitionem et longe aliter verbum illud explicandum esse.* Sparsim de quibusdam actum, nondum tamen plene. Exigit autem dignitas materiae, magnam iuris partem constituens, ut tota in vnam scenam collecta exhibeatur: quod praefatione commodius me exequi posse puto: cum ipsa tractationis ratio et strictior sit, et limitibus textuum cohibita.

Summa conventionum diuisio est in eas, quae sunt sine causa et quae sunt cum causa: priores dicuntur pacta, posteriores appellantur contractus. Conuentio autem causam habere dicitur, quae gratuitam obligationem non infert, sed eius mutuam praemium intendit et contributionem, ob quam contrahentes se obligant: in summa, si indemnes esse intendunt

consentientes, conuentio cum caussa est. Ita venditor obligatur ad tradendam mercem, sed ob causam, quia emtor se obligat ad soluendum pretium : et vice versa. Ex diuerso, conuentiones sine caussa gratuita sunt : non fiunt propter causam aliquam reciprocam et compensatoriam in conuentione expressam : vti donatio est. Huiusmodi conuentiones vocantur pacta nuda.

Pacta quae contractibus non accedunt, nec ciuili lege peculiari vi et virtute donata non sunt, vnius naturae sunt : Contractus vero varias diuisiones sortiuntur.

Contractus quidam *iuris gentium* appellantur, quoniam formam iuris gentium puram seruarunt, quippe qui ex sola naturali ratione vim obligandi habent, nihil conferente ciuitatis utilitate. Alii legitimi sunt, qui ex ratione ciuili solum vim obligandi acceperunt.

Notandum autem est, obligationis verbum hic non in naturali significatione accipi : nam ex fide data naturaliter quilibet obligatur, qui modo consentire valet : sed iuris gentium obligatio intelligitur, quoties in materia contractuum obligatio nominatur. Ius gentium dominia et proprietatem rerum introduxit : patrimonia ex occupatione iusta, deminutio contra voluntatem domini cum lucro deminuentis facta, iniqua aestimatur. Ergo obligatio et contractus est, quando res permutatione commutantur, quando de merce danda et pretio soluendo conuenit, quae conuentio *emptio venditio* dicitur, quando de vsu concedendo vel praestando, et de mercede soluenda conuenit, *locatio conductio* est : quando dominium rerum pro parte non determinata, id est, aliquota, communicatur, *societas* inicitur : In his caussa reciproca praestationis ita manifesta est, vt demonstratione opus non sit. In *mandato*, cum negotium suum quis alii expediendum committit, vt restituatur, et cum quis huic negotio operam suam praestat cum clausula tacita indemnitatis bonorum : caussa indemnitatis iterum subest, et mandatum contractus est. Qui *mutuum* dat, obligationem alterius de restituendo, aut pignus vel fideiussores recipit, et ita indemnitati suae pro-

prospicit. Idem est in *deposito*, et *pignore*, et *commodato*. Operae autem et officium, rebus alienis praestitum, non computantur inter bona, neque in patrimonio, dominio vel in possessione sunt: propterea custodia deposito praestita, et opera mandato exhibita, de causa indemnitis contractus non sunt. Praeterea, quando *do ut des* vel *facias*, quando *facio ut des* vel *facias*, causa indemnitis conventioni inest, item, quando *aestimato do*, ut vel res restituatur, vel pretium solvatur, contractus est, quia causa subest. Sufficiant exempla allata ad intelligendam doctrinam iurisconsultorum Romanorum, quam ita se habere ex consideratione diligenti textuum Iuris intellexi. Progredior autem ad Contractuum varias distinctiones.

Natura sic comparati sunt homines, ut in commodum suum semper consentiant: hinc consensu expresso opus non est, quando de utilitate alicuius indubitata agitur, quia necessario praesumitur. Ita consentire praesumuntur ignorantes, absentes, infantes, furiosi, ebrii: Saepissime tamen expresso consensu conveniunt homines. Hinc qui expresse initus est, *contractus verus* appellatur: si consensus praesumptus fuit, *quasi-contractus* dicitur.

Quidam contractus sunt *reales*: veniunt in hunc censum, qui obligationem ad restituendum producant. Natura horum est, ut non constituatur obligatio, nisi re tradita. Quomodo enim rem restitueres, quam non accepisti?

Reliqui contractus vocantur *consensuales*. Ipsi quidem reales non minus consensu perficiuntur: quod tamen rei traditio insuper requiratur, adiectitia eorum qualitas est. Omnis contractus consensualis est, et isti, qui in specie consensuales compellantur, in nomine generis substiterunt: reales vero cognomen proprii modi sui susceperunt. Compellatio ipsa periculum saltem distinguit.

Causa contractuum iuris gentium naturalis est, quae in Satisfactione praestationis pro praestazione inter contrahentes consistit. Respublica et civitas pro salute sua multa alia requirit, quae iure naturae non exposcuntur. Ius naturae hominem

considerat : ius ciuile corpus et collectionem multorum hominum. Recepta sunt ea de caussa plurima ciuilitate vtilia, et conuentionibus etiam aliqua accreuerunt. Iura et leges omni societati necessariae sunt : reperta autem lege reperta est fraus legis : exinde cautionibus opus fuit, et ita euenit, vt opus esset obligatione aliqua nudis verbis contracta, vnde *stipulationes praetoriae* et *sponsiones* in iure receptae fuerunt. Expediebat etiam ciuibus inuicem se ex causis singularibus et priuatim bonis obligare : non enim omnibus et innumeris fere negotiis contractus iuris gentium sufficere potuerunt : inde introducti sunt contractus ciuiles, *stipulatio*, *litterarum obligatio*, et *pacta legitima*, quae Libro secundo Resolutionum, titulo decimo quarto, paragrapho vigesimo sexto, recensita sunt. In his quidem caussa indemnitas fere non adparet : sed verborum solennitas, litterarumque fides et scribentis seria deliberatio, loco caussae receptae fuerunt, vel caussae latentis indicium fecerunt. Et enim caussam stipulationis diferte nominat *lex 2. §. 3. ff. de doli m. except.*

Quandoquidem ergo caussa omnem contractum instruit; ab ipsius caussae varietate contractuum alia diuersitas orta est. Nam si caussa vtrinque aequalis in re tradita consistit, substantia bonorum vtriusque contrahentis imminuta non est, sed merx in locum pretii, et pretium in locum mercis succedit : nullius hic lucrum, nullius damnum est; pretium rem compensat. Cum enim per pretium rei omnis aestimatio exaequari possit, aequitas, id est, substantiae bonorum aequalitas obtinetur : quod etiam fit, quoties res ipsa, quae traditur, restituenda venit : nam omnis res sibi ipsi aequalis est. Quotiescunque igitur ita contrahitur, vt gestione perfecta contrahentium substantia bonorum et res neque auctior neque deterior euadat, contractus bonae fidei nuncupatur. Ex aduerso stricti iuris contractus est, quoties bonorum quantitas contrahendo inaequalis fit ; altero accessionem, altero contrahentium detrimentum ferente : alterius bonis incremento, alterius decremento affectis. Indemnitas in his non ex interno rei valore aestimatur, sed ex indigentia et opinione; haec indemnitas non est absoluta, sed relatiua.

Tan-

Tandem contractuum alii *nominati* appellantur, alii *innominati*: Quae in certo quodam genere sunt, eius generis nomine vocantur. Ita etiam contractus ex suo genere, si in aliquo sunt, nomen habent. Sunt autem alii vel nullius generis vel incerti, ita ut in plura genera incidant, dubiumque sit, cui hoc magis accenseas: incerti isti nullum nomen capiunt, quia nullum genus certum ingrediuntur, vel per plura errantes in nullo quiescunt.

Restat, ut singulos contractus applicemus ad ea, quae hactenus dicta sunt. Nam regula sine exemplo dormienti similis est, qui omnia quae hominis sunt, in potentia habet, parum aut nihil in actu.

Mutuum est contractus, nam causa intercedit: credens dat mutuum in vicem accepti, debitor obligat se ad restitutionem, est realis, quia restitui nequit quantitas, quae data non est: est iuris gentium, nam re contrahitur: est verus contractus ob expressum consensum: stricti autem iuris esse censetur, propterea, quia credens massam et substantiam bonorum suorum minuit; Nam obligatio debitoris cistae lacunam non explet, sed opinioni tantum satisfacit, et est nominatus: subsistit enim in suo genere, secundum quod res fungenda datur, pro obligatione, ut eiusdem generis alia reddatur.

Commodatum habet causam indemnitate, et est contractus, realis, verus, iuris gentium, uti mutuum: nominatus est, quia perpetuo res utenda datur, ut eadem restituatur, sed est bonae fidei, quoniam nihil bonorum minuitur, perfectaue aequalitas conseruatur, dum idem corpus rei cum omni causa, quod utendum datum fuit, restitui debet.

Depositum contractus est; nam quod deponitur corpus idem restitui debet. Praeter usum autem per omnia simile est commodo, eique conueniunt omnes rationes, quae de commo dato dictae sunt. Nec aliud de *pignore* dicendum, quod proxime ad commodatum accedit, quia creditor usum securitatis crediti in pignore habet.

Per-

Permutatio contractus est ob euidentem indemnitate causam et contrahentium intentionem non liberalem. Causa tamen non ex interna rerum permutandarum aequalitate, sed ex indigentia contrahentium, eorum opinione et relativa aestimatione aequalitatem quasi praestat: ideo permutatio stricti iuris est. Quod realis contractus sit, verus, et iuris gentium, haud difficulter ex antedictis intelligitur: Incertum tamen est, quid in permutatione merx, quid pretium, quis emtor, quis venditor sit, si vtrumque pretium est, res sunt communes, et quia perfecta aequalitas praestationum esset: si vtraque res pretium repraesentaret, permutatio in emtionis contractum incidens, bonae fidei foret. Si res vtraque permutationis merx fuerit, propter defectum pretii gestio e venditionis contractu prorsus excideret, et neutrius fierent res permutatae. Vtramque rem et pretium et mercem simul esse, rerum natura non patitur. *L. I. pr. ff. de rer. permut.* Ideo permutatio contractus innominatus est, quoniam incerti generis est, et quia in plura genera inclinat. Mutua autem videtur donatio non attendens exactam quantitatum aequalitatem, idcirco permutatio stricti iuris est.

Emtio venditio dubio procul contractus est: pretio rei valor internus exhibetur, et post contractum accuratam aequalitatem bonorum manere, contrahentes intendunt: est ergo bonae fidei. Caeterum et verus contractus est, et iuris gentium: praeterea merx et pretium propriam ipsi naturam tribuunt, vnde certum genus conuentionis constituit, quod cum nullo alio contractu quidquam commune habet: quare contractus nominatus est: sed non est realis, quia nec pretium reddendum est, nec merx, vt horum traditio ad effectum obligationis prius requiratur. Sed ex obligatione venditoris merx, ex obligatione emtoris pretium debetur, vnumquodque separatim ex vniuscuiusque consensu, ideo consensualis contractus est.

Locatio conductio emtioni admodum similis est: merces pro vsu vel opera praestatur, quemadmodum in venditione pretium pro merce. Hinc omnia de locatione valent, quae de emtione obtinent.

Societas

Societas est communio rerum pro partibus aliquotis, secundum rationem contributionis. Ecce! causam indemnitate. Soluta societate quilibet suum recipit, ideo absolutissima aequitas intenditur, et societas bonae fidei est, et iuris gentium. Quando consensu expresso inicitur, verus contractus est: partes aliquotae, ut inuisibiles et indemonstrabiles tradi et reddi non possunt, exinde societas contractus consensualis est, et nominatus, quoniam de proprio eius genere non dubitatur. Veram societatis naturam et constitutionem, quae ex partibus aliquotis est, hactenus ignoratam fuisse, sine vaniloquentia adfero.

In *Mandato* negotium non alienatur, sed saltem commendatur, officium ex altera parte exhibetur, quod exhibenti damnosum esse non debet. Ea de causa Mandatum bonae fidei est. Realis contractus non est, quia negotium vere tradi nequit; ergo consensualis mansit. Verus quoque contractus est, ob consensum expresse declaratum: quod iuris gentium sit, non dubitatur propter naturalem ex re obligationem. Nominatus praeterea est, quia in diuersos contractus simul incidere non videtur.

Quando ita conuenit: *Do ut des vel facias: facio ut facias vel des*: quoniam causa indemnitate in his viget, contractus sunt, sed stricti iuris, quia obligatio finalis pro re vel facto recipitur, et quia re cum re vel facto, et factum cum facto paritatem omnimodam non seruat: unde aequitati et bonae fidei in huiusmodi conuentionibus renunciatum esse patet. Interim iuris gentium sunt, et veri, tamen innominati: ratio est, quod si do, ut des, gestio cum permutatione admodum communicat, quae et ipsa incertissimi vagique generis, et innominatus contractus est. Quando factum pro re reponitur, locatio esse, vel etiam venditio videtur, aut enim res merces, aut factum pretii vice erit: quid potius sit, intelligi nequit. Idem obtinet, si factum est ut fiat: nam locatio hic versari videtur, sed quid opera, quid merces sit, quis euincet? Tandem hoc genus contractuum reale est, quilibet articulus ad finem tendit, vel dandi vel faciendi: Finis autem obligatio non prius oritur, quam

caussa existat. Praestito ergo facto vel data re, obligatio demum nata est.

Incerti etiam generis et innominata est conuentio, cum res *aestimata* vendenda datur, quae contractus aestimatorius vocari consuevit. Dubitatum enim est, vtrum ex vendito sit actio, propter aestimationem, an ex locato conducto quasi res vendenda locata siue conducta sit, an ex mandato. *L. I. pr. ff. de aestimatoria*. Caeterum iuris gentium est, verus et realis: nisi enim res detur, neque vendi neque restitui potest. Quod contractus sit, ob causae manifestam interuentionem non ambigitur. Et quidem vel res ipsa restituenda venit, quae sibi omnino aequalis est, aut pretium, quod rei exacte aequipollet: propterea contractus aestimatorius bonae fidei est.

Secundum hominis naturam bene ordinatam quilibet commodum suum cupit et damnum auerfatur: inde ignorantis et absentis et aliorum, quos supra nominavi, voluntas generalis, et si tacita et non expressa, praesumitur in commodum et utilitatem suam promouendam: nisi contraria voluntas apertissime probetur. Vnde si quis alterius *negotia* utili et probabili ratione *gesserit*, nascitur inter dominum negotii vt gestorem obligatio, quae ob consensum generalem et praesumptum, quasi contractus appellatur, est autem cum reliquis sequentibus iuris gentium, causam indemnitis maxime agnoscit, quia officium exhibetur. *Negotia* integra restituenda veniunt, et ita bonae fidei est. Ab aliis contractibus plane distinctus et in suo certo genere est; ergo nominatus. Praeterea realis est.

Ita *tutela administratio* quasi contractus est, dum pupilli consensus vllus recte esse non possit: is autem praesumitur, qui hominum naturae communis esse solet. Iuris gentium est, nam causam indemnitis bonorum habet, genus suum proprium non transfilit, et nominatus est. Officii exhibitio eum bonae fidei esse monstrat, cum nemini officium suum debeat esse damnosum. Sed nec ex re tutela tutor lucrum capere debet, sed omne negotium restituere.

Haereditatis aditio obligationem inter haeredem et legatarios atque creditores haereditarios producit. Iterum patet, quod


con-

contractus hic verus non fit, sed quasi-contractus, quia nihil expressis verbis vel signis consensus inter haereditatem et reliquas personas geritur. Vtrum bonae fidei contractus sit vel stricti iuris, legibus nihil proditum reperi. Doctores ad lubrica textuum argumenta hic confugiunt: principiis et philosophia iuris destituti, rupto quasi filo Ariadnes errant. En! quanti referat Ius fontibus suis restitui. Est autem aditio haereditatis actus, quo quis personam et ius defuncti suscipit; haec actus legitimus est. Quod vero contractum aditione comprehensum attinet, et quod gestionem concernit, quae inter haereditatem atque legatarios et fideicommissarios agitur, satis apertum est, haereditatem his sese obligare ex causa legis bonorum, quod erat tempore mortis, nihil autem a legatariis vicissim recipit: causa dicta magis civilis est, quam naturalis: (L. 3. tit. 5. §. 14. Resol. Pand.) vnde concludo: quod haereditatis aditio et stricti iuris et contractus civilis sit, non iuris gentium. Stricti iuris est, quia haeres se legatariis gratis mancipat, et periculum deminutionis rei suae subit: civilis est, quia actus legitimus est. L. 77. ff. de R. I. (L. 1. tit. 7. §. 12. Res. Pand.)

Porro, dum cohaeredes adeunt haereditatem, et dum collegatarii legatum agnoscunt, secum nihil agunt expresse: sed incidit omnium voluntas in voluntatem defuncti testamento vel lege expressam. Voluit autem defunctus cohaeredes et collegatarios portiones aliquotas capere; ergo in hoc tacite consenserunt, ut quivis partem debitam ex haereditate caperet. Hoc expresse non statuerunt, proinde *Haereditatis et rerum communio*, in quam incidunt cohaeredes et collegatarii, quasi contractus est. Caeteroquin ex similitudine societatis, quae hic versatur, et de qua actum est, dicta communio bonae fidei est, et iuris gentium et nominatus contractus. An realis est? Cretio haereditatis, si praesentiam haereditatis poposcit, qui cerneret, id est: videret praesentem haereditatem, realis esse debuit aditio; praesentiam autem requirebant actus legitimi, qualis aditio erat. Quod si vero cernere significat discernere se haereditatem, uti aliis placet: HEINECCIUS *Ant. Rom. L. 2. tit. 17. §. 14.* ex ipsa quidem creatione argumentum non daretur, quo realem demonstrare pos-

femus quasi-contractum aditionis : attamen huiusmodi esse posset, quia haereditarium ius reale est. Legatum etiam donationis naturam seruat, et est quaedam donatio, ergo et communio rei legatae realis contractus esse videtur. Quid, quod ad diuisionem rei communis actio sociis data est? quomodo autem partes sibi restituerent, si totum quilibet non recepisset? ergo haereditatis et legatorum communionem realem esse puto. Neque obstat, quod societas contractus consensualis sit: ibi enim consensus verus adest, et ius cuiusque sociorum per totam quidem rem communem vadere concipitur, sed tantum ideo, quia pars monstrari nequit, in quo haeret. Hic vero quilibet haeres et legatarius in toto est, et concursu demum faciunt partes, adeoque nihil prohibet, quo minus dicta communio contractus realis fit.

Haecenus Pandectarum doctrina Iustitiam et Ius, Leges, Magistratus, Iurisdictionem, iudicii initia et actionum quaedam fundamenta nobis obtulit. Iam plura de contractibus occurrunt, cuius materiae et doctrinae meae intelligendae causa occasio huius praefationis mihi nata est. Procuratorum materia multa de mandato habet, et negotiorum gestio occasione postulationum in hoc libro exhibetur. Quaecunque autem hic scripta sunt, non nisi diligenter examinata scripta sunt, vti horum solida ratio in applicatione se manifestabit.



RESO-



R E S O L V T I O N V M
P A N D E C T A R V M
L I B E R I I I .
D E P O S T V L A N D O .
T I T V L V S I .

§ I.



O B S E R V A T I O .

unc Titulum praetor praeposuit habendae (sui ipsius) *Vlp. L. 6. ad*
rationis causa, suaeque dignitatis tuendae et decoris *Ed. L. 1. pr.*
(sui) causa: ne sine delectu passim apud se postule-
tur. *L. 1. pr. b.* Eapropter tres fecit ordines; nani §. 1.
quosdam in totum prohibuit postulare: quibusdam
(vel) pro se permisit: quibusdam et pro certis duntaxat personis, et
pro se permisit. *Lib. 1. §. 1. h.*

D E F I N I T I O .

2. Postulare autem est, desiderium suum vel amici sui in iure §. 2.
apud eum, qui jurisdictioni praest, exponere: vel alterius desiderio
contradicere. *L. 1. §. 2. b.* Addatur (*L. 2. tit. 1. §. 59. 60.*)

A R G V M E N T V M .

3. Initium autem fecit praetor ab his, qui in totum prohibentur §. 3.
postulare, in quo edicto aut pueritiam aut casum excusavit. Pueri-
tiam, dum minorem annis decem et septem, qui eos non in totum
complevit, prohibet postulare, quia moderatam hanc aetatem ratus est
ad procedendum in publicum: qua aetate, aut paulo maiore fertur

Nerua filius et publice de iure responsitasse. L. 1. §. 3. b. Ne iudicii seueritas ludibrio exponatur. (§. 1.)

ANNOTATIO.

4. Excusantur inhabiles, prohibentur indigni. Pueritia animi hic spectatur: quin etiam expleto 17. aetatis anno demum posita, praetexta, virilem togam sumere licebat. **CVIACIVS L. 26. Obs. 38.** nam postulare virorum est. **L. 1. §. 5. ff. b. t.** Excusationis mitiori vocabulo in non delinquentes uti, pro dignitate ciuium Romanorum conueniens fuit.

ARGUMENTVM.

5. Propter casum, surdum, qui profus non audit, prohibet apud se postulare: nec enim erat permittendum ei postulare, qui decretum praetoris exaudire non poterat: quod etiam ipsi erat periculosum futurum. Nam non exaudito decreto praetoris, quasi non obtemperasset poena, ut contumax, plecteretur. **L. 1. §. 3. b.** (L. 2. tit. 3. §. 3. 20. 21.)

ARGUMENTVM.

§. 4. 6. Quia praetor aequitati studebat, (L. 1. tit. 14. §. 1.) Ait praetor: si non habebunt aduocatum, ego dabo. Nec solum his personis hanc humanitatem praetor solet exhibere, verum et si quis alius sit, qui certis ex causis vel ambitione aduersarii vel metu, patronum non inuenit. **L. 1. §. 4. b.**

ANNOTATIO.

7. Refert **GELLIUS L. 1. c. 22.** cum coram Praetore patronus causam oraret, rem autem non attingeret, Praetorem multa vociferatione declamantem interpellasse, eique cuius res agebatur, dixisse: eum non habere patronum. Patronum respondisse: At ego illi supersum: cui Praetor: Tu plane superes, non ades. Ambitio hic non de moribus, sed de ambitu dicitur, quando aduersarius aduocatos ab oranda causa auertisset. **L. 79. §. 1. ff. de Iudic.**

OBSERVATIO.

8. Foeminae sunt animi linguaeque impotentis, ita ut per indignationem deperditae causae facile auctoritatem praetoris spernere possint. (L. 2. tit. 8. §. 31.)

ARGUMENTVM.

§. 5. 9. Secundo loco edictum proponitur in eos, qui pro aliis ne postulent. In quo edicto exceptit praetor sexum et casum: item, notauit personas (in) turpitudine notabiles. Sexum, dum foeminas prohibet pro aliis postulare: et ratio quidem prohibendi, ne contra pudicitiam, sexui congruentem, alienis causis se immisceant, ne virilibus officiis fungantur mulieres. **L. 1. §. 5. b.** (L. 1. tit. 5. §. 24.) L. 2. tit. 13. §. 108.)

ANNOTATIO.

10. Origo vero introducta est a Carfania, improbissima foemina: quae inuerecunde postulans, et magistratum inquietans, causam dedit edicto. **L. 1. §. 5. b.** Forte haec Afrania fuit, prompta ad lites contrahendas: quae pro se semper apud praetorem verba fecit: non quod aduocatis deficeret, sed

sed quod impudentia abundabat. VALERIUS MAX. L. 8. c. 7. variare etiam in nomine Codices testatur ALCIATVS *Purerg.* L. 2. c. 37.

A R G V M E N T V M.

II. Casum (excepit praetor) dum coecum, vtrisque luminibus orbatum, praetor repellit: videlicet, quod insignia magistratus videre et reuereri non possit. L. 1. §. 5. b. (§. 1.) Apparatus Sellae curulis, fascium, praetextae, purpurae, tribunalis, licitorum, aliaque, immodestiam, impudentiam, calumniam, proteruam postulantium cohibere debebant.

A N N O T A T I O.

12. Refert etiam Labeo, Publium coecum, Asprenatis Nonii patrem, auersa sella (curuli: cum forsan extra ordinem Praetor cognosceret. (L. 3. tit. 5. §. 212.) a Bruto destitutum, cum vellet postulare. L. 1. §. 5. b. Iudicia autem in ludibria verti non debent. (§. 3.)

A R G V M E N T V M.

13. Quamuis autem coecus pro alio postulare non possit, tamen et senatorium ordinem retinet, et iudicandi officio fungetur. L. 1. §. 5. b. (L. 1. tit. 5. §. 55.)

A R G V M E N T V M.

14. Nunquid ergo et magistratum gerere possit? sed de hoc deliberabimus. Extat quidem exemplum eius, qui gessit; Appius denique Claudius coecus consiliis publicis intererat, et in senatu seuerissimam dixit sententiam de Pyrrhi captiuis. Sed melius est, vt dicamus, retinere quidem iam coeptum magistratum posse (§. 13.) adspirare autem ad nouum, penitus prohiberi: idque multis comprobatur exemplis. L. 1. §. 5. b.

A R G V M E N T V M.

15. Remouet autem a postulando pro aliis et eum, qui corpore suo muliebria passus est. L. 1. §. 6. b. Tam propter infamiam probri et turpitudinem (§. 9.) quam sexus sequioris functionem. §. 6.

A R G V M E N T V M.

16. Si quis tamen vi praedonum vel hostium stupratus est, non debet notari, vt et Pomponius ait. L. 1. §. 6. b. (L. 1. tit. 1. §. 61.)

A R G V M E N T V M.

17. Et qui capitali crimine damnatus est, non debet pro alio postulare. L. 1. §. 6. b. Est enim infamis propter dolum, (L. 1. tit. 22. §. 3.) qui a crimine abesse nequit. L. 1. tit. 1. §. 71.)

O B S E R V A T I O.

18. Capitalis criminis damnatus famam amittebat. CICERO *oras. pro P. Quintio passim.*

O B S E R V A T I O.

19. Calumniatorum publici iudicii poena talio fuit: POLLETVS *Hist. fori Rom.* L. IV. cap. 5. erat autem inter alia infamia poena publico iudicio damnati. §. 2. *Inst. de publ. iud.*

A R G V -

ARGUMENTVM.

20. Item Senatusconsulto etiam apud iudices pedaneos postulare prohibetur calumniae publici iudicii damnatus. *L. 1. §. 6. b.* Nam calumniator propter dolum malae mentis infimulatur, et fit infamis. (*L. 1. tit. 22. §. 3.*) *L. 2. tit. 7. §. 17.* Postulare, hic latiore sensum recipit, ne aduerfetur (*§. 2.*) Tribunos, etc. iudicium pedaneorum appellatione hic intelligit *RAEVARDVVS. Coniect.* *L. 3. c. 10.* citato in hanc rem *ASCONIO in Diuin.* Sunt enim subfella tribunorum, quaestorum, et huiusmodi minora iudicia exercentium, qui non in fellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subfelliis confidebant. Verum nimium insolens videtur, inagistratus iudicium nomine dicere.

ARGUMENTVM.

21. Quia turpitudinem infamia sequitur (*L. 1. tit. 7. §. 50.*) (*L. 1. tit. 22. §. 3.*) Et qui operas suas vt cum bestiis depugnaret, locauerit. (postulare prohibetur.) *L. 1. §. 6. b.*

ANNOTATIO.

22. Inter spectacula Circensia Venatio erat, hoc est, pugna ferarum tam inter se, quam etiam cum hominibus. Arenarii vel Bestiarii dicebantur, qui cum feris pugnabant. Serui interdum in poenam ad arenam dabantur, quo genere spectaculi, in Christianos saeuitum est, nisi potius bestiis obiecti sunt. *LIPSIVS de cruce. L. III. c. 11.* Serui conscientia criminis atrocioris adacti, quandoque ipsi se ad arenam offerebant, item liberti sese vendebant, aut locabant. Illi se sponte ad arenam professi videntur, vt potius in depugnationis furore cruciatu liberarentur, atque dominis vindictae voluptatem eriperent: nam bestiis in poenam obiecti, palo vel cruci affixi, defendere se non valuerunt. Caeterum audiamus *RAEVARDVVM Coniectan. L. 2. c. 8.* *Eo spectat, quod sic Ambrosius libro de Ioseph scribit: Quomodo non omnis seruus auarus, qui pro exiguo pecuniae lucello seipsum auctonatur. Qui se vendunt ludo, inquit Acron, auctorati vocantur, Auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum. Ex quo loco videor mihi intelligere, quinam fuerint hi, qui seipfos auctonabantur ad actum gerendum. Non enim dubito, quin illi fuerint, qui aut histrionico, aut gladiatorio, aut saltatorio alicui ludo se vendebant: tum quod id fieri solere, certo certius sit, tum etiam, quod inter alia per actum motum corporis veteres intellexerint, vt histrionum et saltatorum, qui etiam ex eo ipso actiuosi dicebantur, auctore FESTO. Sic actum histrionum veris affectibus minorem esse, scripsit etiam *QVINTILIANVS Instit. L. 10. c. 2.* Gladiatores igitur et saltatores actum gerere *Vlpiano* dicuntur: fortassis ea ratione, qua tragoedos agere gestum, scripsit *VARRO de Lingua lat. L. 5.* Et sane Libertos homines interdum, se ludo olim vendidisse, praeter *Acronem* euidentissime demonstrat *AMBROSIVS explicans c. 1. Epist. D. PAULI ad Galatas.* Sic enim scribit: *Quantus ergo error est, post gratiam reuerti sub Legem: hoc est, accepta libertate velle seruire: vt creptus gladio, immemor beneficii, denuo se vendat lanistae. Quibus etiam ea possunt adiungi, quae LACTANTIUS Instit. diuin. L. 6. c. 12. ad hunc modum refert: Vnde bestias emis, hinc captos redime: unde**

unde feras pascis, hinc pauperes ale: unde homines ad gladios comparas, hinc innocentes mortuos sepeli. IUVENALIS Sat. 8.

Quanti sua funera vendant,

Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone:

Nec dubitant celsi praetoris vendere ludis.

Venditio et auctio sui ad arenam criminis atrocioris conscientiam velare videtur, L. 5. ff. de fugitiuis. quod praeter turpitudinem locatae ad Circum vel scenam operae (L. 1. tit. 7. §. 50.) infamiam auxit.

A N N O T A T I O.

23. Bestias autem accipere debemus ex feritate magis quam ex animalis genere. Nam, quid si leo sit, sed mansuetus: vel alia dentata mansueta? L. 1. §. 6. b.

A R G V M E N T V M.

24. Spreta existimatione et libertate seruilis poenae imagini sese lucri causa praestat, qui se ad depugnandum in spectaculo cum bestiis locat: licet periculo deterritus non depugnauerit: adeoque etiam infamis fit, L. 1. tit. 7. §. 50.) L. 1. tit. 22. §. 3.) Ergo, qui locauit, solus notatur, siue depugnauerit siue non. L. 1. §. 6. b.

A N N O T A T I O.

25. Quodsi depugnauerit, cum non locasset operas suas, non tenebitur. Non enim, qui cum bestiis depugnauit, tenebitur, sed qui operas suas in hoc locauit. Denique eos, qui virtutis ostendendae causa hoc faciunt sine mercede, non teneri aiunt veteres. L. 1. §. 6. b. (§. 24.)

A R G V M E N T V M.

26. Nisi in harena passi sunt se honorari: eos enim puto notam non euadere. L. 1. §. 6. b. Nam aurei, victoribus offerri soliti, procul dubio in lucro reputantur. SVETONIVS in Claudio cap. 21. Ad arenam facto se profitebatur, qui arenae honorem acceptabat.

A N N O T A T I O.

27. De coronatis in musicis certaminibus testatur inscriptio apud ONVPHRIUM PANVINIUM: Reip. Rom. comment. L. 2. L. AVRELIO APOLAVSTO. MEMPHIO. AVGG. LIB. HIERONICAE. CORONATO. ET. TON. DIAPANTON. APOLLINIS. SACERDOTI. SOLI. VITTATO. ARCHIEREI. SYNHODI. ET. AVGG. L. AVRELIVS. PANICVLVS. QVI. ET. SABANAS. PATRONO. OPTIMO. In his certaminibus artium et doctrinae coronari, dedecus non erat, sed summum decus. SVETONIVS in Nerone c. 12.

A N N O T A T I O.

28. Sed si quis operas suas locauerit, vt feras venetur, vel vt depugnaret feram, quae regioni nocet, extra harenam, non est notatus. L. 1. §. 6. b. (§. 24.)

A R G V M E N T V M.

29. Patronorum caussarum insignis dignitas est, quae notato non conuenit:

POLLETVS *Hist. fori Rom. L. 2. c. 9.* infamis enim omnia, et linguam quoque, venalem habere videtur. (L. 1. tit. 7. §. 50.) sed patronorum officium gratuitum. His igitur personis, quae non virtutis causa (cum) bestiis pugnaverunt, pro se praetor permittit allegare, pro alio prohibet. *L. 1. §. 6. b.* Nam pro se postulantes, officio honorifico non funguntur: nec mercedis suspitione honorem oratoris polluant.

ARGUMENTVM.

30. Tutor pupilli nomine postulans alienum quidem negotium agit: sed est aequissimum, si tutelam vel curam huiusmodi personae administrent, postulare eis pro his, quorum curam gerunt concedi. *L. 1. §. 6. b.* quoniam auctoritatem pupillis praestantes suum Officium et negotium quasi exsequuntur. (L. 1. tit. 7. §. 53.) Quomodo hi tutores fieri possint, vide *lege 3. pr. b.*

ANNOTATIO.

31. Qui aduersus ea fecisse monstretur, et pro aliis interdicta postulatione repellitur, et pro aestimatione iudicis extra ordinem pecuniaria poena multabitur. *L. 1. §. 6. b.*

ANNOTATIO.

§. 7. 32. Vt initio huius tituli diximus, tres ordines praetor fecit non postulantium: quorum (hic) tertius est, quibus non in totum denegat postulandi facultatem, sed ne pro omnibus postularent: quasi minus deliquerint quam hi, qui superioribus capitibus notantur. *L. 1. §. 7. b.*

OBSERVATIO.

§. 8. 33. Ait praetor: Qui lege, plebiscito, senatus consulto, edicto, decreto principum, nisi pro certis personis postulare prohibentur; hi pro alio, quam pro quo licebit, in iure apud me ne postulent. *L. 1. §. 8. b.*

ANNOTATIO.

34. Hoc edicto continentur etiam alii omnes, qui edicto praetoris vt infames notantur: qui omnes, nisi pro se, et certis personis (vt pupillis vel) minoribus (§. 30.) ne postulent. *L. 1. §. 8. b.*

ANNOTATIO.

35. Si probari possit, tria edicta, trium diuersorum praetorum fuisse, vt quidem textus innuere videtur. (§. 37.) essent priora edicta tralatitia.

ARGUMENTVM.

§. 9. 36. Deinde adiicit praetor: qui ex his omnibus, qui supra scripti sunt, in integrum restitutus non erit. *L. 1. §. 9. b.* (L. 2. tit. 4. §. 64.)

ANNOTATIO.

37. (Eum) qui ex his, qui supra scripti sunt, sic accipe: si fuerit inter eos, qui tertio edicto continentur, et nisi pro certis personis postulare prohibentur. Caeterum, si ex superioribus, difficile in integrum restitutio impetrabitur. *L. 1. §. 9. b.*

ANNOTATIO.

§. 10. 38. De qua autem restitutione praetor loquitur, vtrum de ea, quae

quae a principe vel a senatu, Pomponius quaerit: et putat, de ea restitutione sensum, quam Princeps vel Senatus indulget. *L. 1. §. 10. b.* (*L. 2. tit. 4. §. 64.*)

A N N O T A T I O.

39. Haec restitutio gratiae magistratui non permessa est, qui tantum ex iustitia et aequitate restituit. (*L. 2. tit. 8. §. 36.*)

A R G V M E N T V M.

40. An autem et praetor restituere possit, quaeritur. Et mihi videtur, talia praetorum decreta non esse seruanda: nisi sicubi ex officio iurisdictionis suae subuenerunt: ut in aetate obseruatur, si quis deceptus sit, caeterisque speciebus, quas sub titulo de in integrum restitutione exequemur. Pro qua sententia est, quod si quis famoso iudicio condemnatus per in integrum restitutionem fuerit absolutus, Pomponius putat, hunc infamia eximi. *L. 1. §. 10. b.* Nam haec restitutio ex innocentia datur, illa ex gratia. (*L. 2. tit. 4. §. 66.*)

O B S E R V A T I O.

41. Deinde adiicit praetor: Pro alio ne postulent, praeterquam §. II
pro parente, patrono, patrona, liberis parentibusque patroni, patronae: de quibus personis sub titulo de in ius vocando plenius diximus. Item adiicit: liberisue suis, fratre, sorore, vxore, socero, socru, genero, nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuigna, pupillo, pupilla, furioso, furiosa. *L. 1. §. 11. b.* Fatuo, fatua, (cum istis quoque personis curator detur) *L. 2. b.* Cui eorum a parente, aut de maioris partis tutorum sententia, aut ab eo, cuius de ea re iurisdictio fuit, ea tutela curati-
Caius. L. 1. ad Ed. prou. L. 2. Vlp. L. 6. ad Ed. L. 3. pr.
one data erit. *L. 3. pr. b.*

A N N O T A T I O.

42. Quod Tribonianus emblemata adperserit textibus, apparet ex citationibus titulorum.

O B S E R V A T I O.

43. Affinitas post mortem coniugis non videtur constituisse, nisi liberis natis et superstitibus. CICERO *pro Quint. pag. 206.* Ibi. *Iussit bona proscribi eius, qui cum familiaritas fuerat, societas erat, affinitas, liberis istius uiuis.*

A R G V M E N T V M.

44. Quia affinitates solutae amorem et necessitatem officii affinium quoque soluunt: Affinitates non eas accipere debemus, quae quondam fuerunt, §. I
sed praesentes. *L. 3. §. 1. b.* Non ergo videntur pro se postulare officio cogente. (*§. 30.*)

A R G V M E N T V M.

45. Item, Pomponius, nurus et generi appellatione et soceri et §. 2
socrus: et vltiores, quibus, pro, praepositio (pronurus, progener, etc.) solet accedere, contineri ait. *L. 3. §. 2. b.* Nam sunt affines.

A N N O T A T I O.

46. Pomponius porro ait: In curatoribus debuisse eum adiicere: §. 3.
(muti)

(muti) caeterorumque, quibus dare solent: id est surdo, prodigo et adolescenti. *L. 3. §. 3. b.* Item, quibus propter infirmitatem curatorem praetor dare solet. *L. 4. b.* Et qui negotiis suis aliquo perpetuo morbo superesse non possunt. *L. 5. b.*

Paulus L. 5. ad Ed. L. 4. Vlp. L. 9. ad Ed. L. 5.

REGVLA.

47. Coactio affectata non est coactio: nec onus affectatum onus.

ARGVMENTVM.

Id. L. 6. ad Ed. L. 6. pr. 48. Puto autem omnes, qui non sponte, sed necessario officio funguntur, posse sine offensa edicti postulare. *L. 6. pr. b. (§. 30.)* Qui sponte officium susceperunt, necessitatem officii allegare non possunt. (§. 47.)

ARGVMENTVM.

49. Possunt autem omnes officii causa coacti postulare, Etiam si hi sint, qui non nisi pro se postulare possunt. *L. 6. pr. b.* Nam reuera pro se postulant. (§. 30.)

ARGVMENTVM.

50. Quia Iudex omni partium favore carere debet, aduocationem tempore magistratus sui apud se praestare prohibetur. (*L. 1. tit. 9. §. 7.*)

REGVLA.

51. Cessante Legis ratione cessat eius dispositio: et vbi eadem ratio, ibi eius idem sensus.

ANNOTATIO.

§. 1. 52. Si quis aduocationem praestare fuerit prohibitus: si quidem apud se, vt solent facere tempore magistratus sui: puto, eum postea apud successorem eius adesse posse. *L. 6. §. 1. b.* Qui apud se a praetore prohibitus est, non prohibitus est apud alium. (*L. 1. tit. 1. §. 234.*)

ANNOTATIO.

53. Procul dubio soliti fuerunt magistratus eis aduocationem praestare, qui sibi erant coniuncti, quorum praesentia parti fauorem conciliatura videri poterat. (*L. 2. tit. 1. §. 59. 60.*)

ARGVMENTVM.

Cui. L. 3. ad Ed. pr. L. 7. 54. Quos prohibet praetor apud se postulare, omnimodo prohibet, etiam si aduersarius eos patiatur postulare. *L. 7. b.* Quia praetor suspensionem studii partis euitare cupit, suumque decorem tueri.

REGVLA.

55. Cessante prohibitione redit licentia.

DEFINITIO.

56. Poena respectu reipublicae est satisfactio legi debita.

ARGVMENTVM.

Papin. L. 2. Quaest. L. 8. 57. Imperator Titus Antoninus rescripsit, eum cui aduocationibus in quinquennio interdictum esset, post quinquennium pro omnibus postulare non prohiberi. (§. 55.) Diuus quoque Hadrianus rescripserat, de exilio reuersum postulare posse. Nec adhibetur distinctio, quo crimine silentium vel exilium sit irrogatum: ne scilicet poena

tem

tempore determinata, contra sententiae fidem ulterius porrigatur. *L. 8. b. (§. 56.)* Nam satisfactio liberat, et consequenti poenae praeiudicatum est temporis adiectione. (*L. 1. tit. 1. §. 241.*)

A R G V M E N T V M.

58. Ex ea causa prohibitus pro alio postulare, quae infamiam non irrogat, ideoque ius pro omnibus postulandi non aufert, in ea tantum provincia pro aliis non recte postulat, in qua praesens fuit, qui sententiam dixit: in alia vero non prohibetur, licet eiusdem nominis sit. *L. 9. b.* Ita enim prohibitionis verba sonant, (*L. 1. tit. 1. §. 234.*) quae non ampliuntur. (*Ib. §. 244.*)

A R G V M E N T V M.

59. Hi, qui fisci causas agunt, suam, vel filiorum, vel parentum suorum, vel pupillorum, quorum tutelae gerunt, causam et aduersus fiscum agere non prohibentur. *L. 10. pr. b.* Nam necessitudinis et pietatis ratione excusantur. (*§. 48.*)

A N N O T A T I O.

60. Alias, qui fisci causas egerunt prohibentur aduersus fiscum patrocinium praestare. *L. 1. C. de Adu. Fisci.*

D E F I N I T I O.

61. Decuriones sunt senatores in Colonia vel municipio, C. SIGONIUS *de ant. iure Ital. c. 4.* vicem eius gerentes.

A R G V M E N T V M.

62. Ergo patriam potius defendere debent, quam contra eam agere.

A R G V M E N T V M.

63. Decuriones quoque contra patriam suam causas agere prohibentur: praeter superiores personas. *L. 10. §. 1. b.* Propter necessitudinem patriae. (*§. 41.*)

A R G V M E N T V M.

64. A principe nostro rescriptum est, non prohiberi tutorem adesse pupillo in negotio, in quo aduocatus contra patrem eius fuisset. Sed et illud permissum ab eo est, agere tutorem pupilli causa aduersus fiscum, in qua aduersus patrem pupilli antea aduocatus fisci fuisset. *L. 11. pr. b. (§. 59.)*

A N N O T A T I O.

65. Qui autem inter infames sunt, sequenti titulo explanabitur. *L. 11. §. 1. b.*

R E G V L A.

66. Ex facto alieno nemo obligatur, aut iure suo priuatur.

R E G V L A.

67. E re alicuius quaesitum, habet similitudinem accessorii.

DE HIS, QUI NOTANTVR INFAMIA.

TITVLVS II.

DEFINITIO.

1. Infamia est praesumptio legitima et civilis malae et perfidae mentis ex facto turpi vel indigno orta.

OBSERVATIO.

(Julian. L. 1.
ad Edict.)
L. 1.

2. Praetoris verba dicunt: Infamia notatur, qui ab exercitu ignominiae causa ab Imperatore eoue, cui de ea re statuendi potestas fuerit, dimissus erit: Qui artis ludicrae, pronuntiandiue causa in scenam prodierit: qui lenocinium fecerit: qui in iudicio publico calumniae praeuarcationisue causa quid fecisse iudicatus erit: qui furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo et fraude suo nomine (aliud, si procurator interuenit) (§. 49.) damnatus factusue erit: qui pro socio, tutelae, mandati, depositi suo nomine, (directo) non contrario iudicio damnatus erit: qui eam, quae in potestate eius esset, genero mortuo, cum eum mortuum esse sciret, (id est, ex die mortis, quae ad eius scientiam peruenit) intra id tempus, quo elugere virum moris est, antequam virum elugeret, in matrimonium collocauerit: eamue sciens, quis vxorem duxerit, non iussu eius, in cuius potestate est: et qui eum, quem in potestate haberet, eam, de qua supra comprehensum est, vxorem ducere passus fuerit: quique suo nomine, non iussu eius, in cuius potestate esset, eiusue nomine quem quamue in potestate haberet, bina sponsalia binasue nuptias in eodem tempore constitutas habuerit. L. 1. b.

ANNOTATIO.

3. Ignominiose missi ab exercitu, merito propter sacramenti religionem violatam infames erant (§. 1.) (L. 2. tit. 4. §. 2.) Censoria seueritas castrorum mores et disciplinaam custodiuit, cuius rei multa exempla contulit. VALERIUS MAXIMVS L. 2. tit. 2. De Augusti diligenti morum obseruatione, notatum aliquid est. (L. 2. tit. 4. §. 5.) Idem Hirennium, vitiis deditum iuuenem, castris excedere iussit, cui insimulationem missionis ignominiosae reformidanti, deprecantiue, quid patri suo diceret: facete respondit: Dic, me tibi displicuisse. MACROBIUS Saturn. L. 2. c. 4. Infamia ex facto turpi sequitur: (§. 1.) turpe autem erat arte ludicra victitare, quae non reipublicae bono et administrationi inferuiret, sed fallendae plebis turbaeque causa inuenta esset, cuiusmodi spectacula et Comediae sunt, quibus populi conuenticulis aliquid negotii datur, ne de re publica pernicioso sollicitus sit. Grauitati Romanorum ciuium non conuenit, scurrili gestu et sermone cachinnos spectatorum excitare, se auarum, seruum, lenonem, meretricem, stupratorem, gloriosum, vaniloquentem, impostorem, Sycophantam, exhibere,

bere, populo volente personam, id est larvam deponere, sequae mercedis cupiditate publice deridendum praebere. (L. 1. tit. 7. §. 50.) Hinc scenicorum infamia apud Romanos. De reliquis in nostra lege notatis, minus dubium est. Haerent autem interpretes iuris circa id, cur mutui vel commodati damnatus non notetur, depositi, pro socio, mandati, tutelae, damnatus infamis fiat. **ALCIATVS Parerg. L. 2. c. 36. BVDABVS Annotat. in Pand.** Tetigit hanc rem Aristoteles, qui tamen Alciato minus satisfacit, nec alii cuiquam satisfaciet, qui solutionem Problematis poscit: dum ille problematice saltem tentare voluit, resolvere noluit. Ego quidem cenfeo, quod Philosophus sensit, non dixit: Quoniam in mutuo vel commodato, vel pignore non confugimus ad fidem amici vel alterius, uti in deposito, societate, mandato, tutela, ideo in illis contractibus fracta fides non spectatur, quae principaliter non est promissa, omnino autem in his, de quorum essentia fides est. Non deponerem, non mandarem, nec socio committerem, aut tutorem admitterem, si rebus negotiisue meis ipse superesse possem, si aliena defensione, ope et fide non egerem. Hinc in dictis infamia. Adiecto tamen fiduciae pacto vel clausula: *Vt inter bonos bene agier oportet: Vti ne propter te, fidem tuam captus fraudatusue sim:* **BRISSENIUS de Form. L. 5. art. 16.** non dubitandum est, et in mutuo et pignore atque commodato ob fidem potissime spectatam, fidei fractae poenam infamiam fuisse. Pignori fiduciae pactum ad iici solitum fuit. **CICERO pro Flacco.** *Pecuniam adolescentulo grandi foenore, fiducia tamen accepta, occupasti:* id est, sub pacto de bona fide restituendo vel remanipando pignore, ut inter bonos bene agi oportet. In omnibus hisce iudiciis, item furti et rapinae, damnato praeiudicium de dolo fit, quem infamia sequitur. (§. 1.) De reliquis in sequentibus speciatim agitur.

A N N O T A T I O.

4. Quod ait praetor, qui ab exercitu dimissus erit: dimissum accipere debemus militem caligatum: vel si quis alius usque ad centurionem vel praefectum cohortis vel alae vel legionis: vel tribunum, siue cohortis, siue legionis, dimissus est. Hoc amplius Pomponius ait: etiam eum, qui exercitui praest, licet consularibus insignibus utitur, ignominiae causa ab Imperatore missum, hac nota laborare. Et si Princeps dimiserit et adiecerit, ignominiae causa se mittere, ut plerumque facit, non dubitabis et ex edicto praetoris eum infamia esse notatum. *L. 2. pr. b.*

Vlp L. 6. ad Ed. L. 2. pr.

A N N O T A T I O.

5. Caligati milites gregarii sunt, quod caligas, genus calceamenti militaris gestarent. **B. BRISSENIUS Antiqu. L. 11. c. 5.**

A N N O T A T I O.

6. Non tamen, (notatur) si citra indignationem Principis successor ei (Duci exercitus) datus est. *L. 2. pr. b.*

A N N O T A T I O.

7. Exercitum autem non unam cohortem, neque unam aliam dicimus: sed numeros multos militum. Nam exercitui praesse dicimus eum,

§. 1.

eum, qui legionem vel legiones cum suis auxiliis ab Imperatore commissas administrat. Sed hic etiam eum, qui ab aliquo numero militum missus est, quasi ab exercitu missus sit, accipiemus. *L. 2. §. 1. b.* Nam finem totius exercitus in parte curat.

A N N O T A T I O.

§. 2. 8. Ignominiae causa (missum.) Hoc ideo adiectum est, quoniam multa genera sunt missionum. Est honesta, quae emeritis stipendiis vel ante ab Imperatore indulgetur: et causaria, quae propter valetudinem laboribus militiae soluit, et ignominiosa. *L. 2. §. 2. b.*

D E F I N I T I O.

9. Ignominiosa autem missio totiens est, quotiens is, qui mittit, addit nominatim, ignominiae causa se mittere. *L. 2. §. 2. b.*

A N N O T A T I O.

10. Semper enim debet addere, cur miles mittatur. *L. 2. §. 2. b.*

A R G V M E N T V M.

11. Quia Voluntas signo vel facto quoque demonstratur. (*L. 1. tit. 1. §. 213.*) non solum verbis infamis efficitur, sed et si eum exauctorauerit, id est, insignia militaria detraxerit, inter infames efficit, licet non addidisset, ignominiae causa se eum exauctorasse. *L. 2. §. 2. b.*

A N N O T A T I O.

12. Lipsius Augusti tempore exauctorationem missionis speciem fuisse conicit. *De militia Rom. L. 5. Dial. 19.* debbat addere: ignominiosae. Inter insignia militaria fuit cingulum. *BRISSENIUS Ant. L. 2. c. 7.*

O B S E R V A T I O.

13. Est et quartum genus missionis, si quis euitandorum munerum causa militiam subiisset. Haec autem missio existimationem non laedit, ut est saepissime rescriptum. *L. 2. §. 2. b.*

A N N O T A T I O.

14. Munera sunt Legatio, Syndicatus, tutela, Decurionatus. *conf. §. 14. I. de excus. tut.* Oportet omnino, ut munus suum deferens, a militia ad id remissus fuerit. Ignominiosus factus non est, quia reipublicae se non subtrahit, qui munus subit, ut aliud euitet.

O B S E R V A T I O.

15. Cum militi omnis reipublicae salus committatur, probatae fidei eum esse oportebat. Quare proletarios et capite censos Romani ad militiam non legebant: quoniam *res pecuniaque familiaris obsidis vice pignorisque esse apud rempublicam videbatur, amorisque in patriam fides quaedam, in ea firmamentum erat.* *A. GELLIVS. Noct. Attic. L. 16. c. 10.*

A R G V M E N T V M.

§. 3. 16. Miles, qui lege Iulia de adulteriis fuerit damnatus, ita infamis est, ut etiam ipsa sententia eum sacramento ignominiae causa soluat. *L. 2. §. 3. b.*

A N N O T A T I O.

17. Milites primis temporibus sacramento rogabantur a Tribunis: Velint imperata facere? fugae causa non abire: ex ordine non recedere: et forte alia similia. Post iure iurando adacti in verba, quae apud GELLIVM *L. 16. c. 4.* leguntur, scilicet: ut adessent praefinita a Consulibus die: nisi funus familiare, feriaeue denicales, quae non eius rei causa in eum diem collatae sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus fonticus, auspiciumue, quod sine piaculo praeterire non liceat, sacrificiumue anniuersarium, quod recte fieri non posset, nisi ipse eo die ibi sit: vis, hostisue, status condictusue dies cum hoste. Si cui eorum harumce quae causa erit, tam se postridie, quam per eas causas licebit, eo die venturum, adiuturumque eum, qui eum pagum, vicum, oppidumue delegerit. B. BRISSONIVS. *Ant. L. 2. c. 6.* Aliud iueiurandum Tribunis praestitum. GELL. *l. cit.* refert.

A N N O T A T I O.

18. Adulterium inter crimina publica relatum fuit. Obscurum valde est, qua ratione res publica eo delicto laesa fuerit. Accusatio adulterii vindicta domus dicitur. *L. 11. §. 3. ff. Ad L. Iul. de adult.* Qui domum, habitationemue adulterio committendo praebet, adulterii tenetur. *L. 8. ff. eod.* Ius occidendi adulteram filiam patri tantum conceditur domi suae, generiue sui. *L. 22. §. 2. ff. eod.* et quidem vbi habitat. *L. 23. §. 3. eod.* Deinde e sollempnibus nuptiarum notandum, strato lecto geniali, maritorum genios deos aduocatos fuisse: Hi praesides custodesque thori. IUVENALIS *Satyra 6. v. 21.*

Antiquum et vetus est, alienum, Postume, lectum

Concutere, atque sacri Genium contemnere fulcri.

et FESTVS: *Genialis lectus, qui nuptiis sternitur in honorem Genii, unde et appellatur.* Sternebatur autem auspicato, quod iterum IUVENALIS prodit *Satyra 10. v. 334.*

Tyriusque palam genialis in hortis-

Sternitur, et ritu decies centena dabuntur

Antiquo: veniet cum signatoribus auspex.

Tandem in animum reuocandum, quod ius publicum ad sacra olim pertinisset (*L. 1. tit. 1. §. 12.*) Atque his ita praemissis facile colligimus, per adulteria Genii dei sacra, lectum genialem profanari et turbari, deos Lares atque Penates contemni: inde domi suae qua quis habitabat, vel generi, vbi Lar et Genius residebant, adulterum occidere impune fuit, alio non: atque adulterium in ius sacrorum publicum admissum, publicum crimen fuisse. Inde ergo grauior infamia.

O B S E R V A T I O.

19. Ignominia autem missis neque in vrbe, neque alibi, vbi Imperator est, morari licet. *L. 2. §. 4. b.* §. 4.

A R G V M E N T V M.

20. Ait praetor: qui in scenam prodierit, infamis est. *L. 2. §. 5.* §. 5.

b. (§. 3.)

PARS III.

D

DEFI-

DEFINITIO.

21. *Scena est, vt Labeo definit, quae ludorum faciendorum causa, quolibet loco, vbi quis consistat moueaturque, spectaculum sui praebiturus, posita sit in publico priuatoe vel in vico: quo tamen loco passim homines spectacula causa admittantur. L. 2. §. 5. b.*

ARGUMENTVM.

22. *Quoniam turpe est, virtute quaestum facere, vel inutili virtute gloriam quaerere. (L. 1. tit. 7. §. 50.) §. 1. §. 3.) Eos enim, qui quaestus causa in certamina descendunt, et omnes propter praemium in scenam prodeuntes, famosos esse, Pegasus et Nerua filius responderunt. L. 2. §. 5. b.*

REGVLA.

23. *Malam mentem non ostendit, qui consilium improbum amore boni dimittit.*

DEFINITIO.

24. *Poenitentia tempestiua est consilii propositiue mali, vel facti nondum commissi dimissio.*

POSITIO.

Cai. L. 1. ad Ed. pr. L. 3. 25. *Qui operas suas locauit, vt prodiret artis ludicrae causa, neque prodit, non notatur. L. 3. b.*

PROBATIO.

Qui operas suas scenae locauit, nec tamen prodiit, ob poenitentiam consilium improbum, temere susceptum, amore boni dimisit (§. 24.) quare bonam potius mentem quam malam de se probauit (§. 23.) quoniam ergo non notatur, qui malam mentem non ostendit. (L. 1. tit. 22. §. 3.) is etiam, qui operas suas locauit, vt prodiret in scenam artis ludicrae causa, si non prodit, non notatur.

ANNOTATIO.

26. *Aliam Caius rationem substituit: quia non est ea res adeo turpis, vt etiam consilium puniri debeat. L. 3. b.*

ANNOTATIO.

27. *Supra (L. 3. tit. 1. §. 24.) qui operas ad depugnandum cum bestiis locauerat, notabatur, licet non depugnasset: Videlicet iste formidinis causa non boni amore, propositum mutabat, ipsaque professio ad arenam criminis atrocioris indicium faciebat: (Ib. §. 22.) mentis autem improbitas non mutabatur.*

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 6. ad Ed. L. 4. pr. 28. *Athletas autem Sabinus et Cassius responderunt omnino artem ludicram non facere: virtutis enim gratia hoc facere: et generaliter ita omnes opinantur, et vtile videtur, vt neque thymelici, neque exustici, neque agitadores, nec qui aquam equis spargunt, caeteraque eorum ministeria, qui certaminibus sacris deseruiunt, ignominiosi habeantur. L. 4. pr. b. Athletae non mercede, ministri vero spectacula plane non sui spectaculum praebent. (§. 21.)*

ANNOTATIO.

29. *Thymelicus, fuit Symphoniacus scenicus: VITRUVIVS L. 5. c. 8. Xystici,*

Xyftici, id est, Gymnasiaftae, pugiles: LAURENTIVS *Polym. L. IV. Synopsi 9. p. 326.* Aqua autem in ludis istis equis cursu incalescentibus spargi solebat: BRISSEONIVS *L. 1. Antiqu. c. 10.* De ludis sacris Graecorum Gothofredus ad hunc textum adnotavit. Romanorum ludi sacri an isti fuerunt, qui in ingressu sacerdotii dabantur? RAEVARDVS *Coniectaneor. L. 1. cap. 11.* ex Tertulliani libro de spectaculis refert: *Vt talia spectes, vt talibus exultes, quis tibi praetor aut consul, aut quaestor, aut sacerdos de sua liberalitate praestabit?*

OBSERVATIO.

30. Designatores autem, quos Graeci *βραβεύλας* appellant, artem ludicram non facere Celsus probat: quia ministerium, non artem ludicram exercent. Et sane, locus iste hodie a Principe non pro modico beneficio datur. *L. 4. §. 1. h. (§. 28.)* §. 1.

ARGUMENTVM.

31. Ait Praetor: qui lenocinium fecerit. *L. 4. §. 2. h. (§. 1.) L. 1. tit. 7. §. 50.)* §. 2.

DEFINITIO.

32. Lenocinium facit, qui quaestuarium mancipia habuerit: sed et qui in liberis hunc quaestum exercet, in eadem causa est. *L. 4. §. 2. h.*

ARGUMENTVM.

33. Siue autem principaliter hoc negotium gerat, siue alterius negotiationis accessione utatur, ut puta, si caupo fuit vel stabularius, et mancipia talia habuit ministrantia, et occasione ministerii quaestum facientia: siue balneator fuerit, velut in quibusdam provinciis fit; in balneis ad custodienda vestimenta conducta habent mancipia hoc genus obseruantia in officina, lenocinii poena tenebitur. *L. 4. §. 2. h. (§. 32.)*

REGVLA.

34. Quae hominis conditioni naturali adhaerent, eum e seruitute in libertatem, et e statu in statum comitantur.

ARGUMENTVM.

35. Quoniam infamia malae mentis imputatio est, atque mens status mutatione non mutatur. (§. 1.) Pomponius et eum, qui in seruitute pecuniaria mancipia prostituta habuit, notari post libertatem ait. *L. 4. §. 3. h. (§. 34.)* §. 3.

ARGUMENTVM.

36. Quia poena in eos tantum statuitur, quos deliquisse apparet, (L. 2. tit. 7. §. 3.) Calumniator ita demum notatur, si fuerit calumniae causa damnatus: neque enim sufficit calumniatum. *L. 4. §. 4. h.* Nam res iudicata pro veritate accipitur. (L. 1. tit. 5. §. 61.) §. 4.

ARGUMENTVM.

37. Item praeuaricator. *L. 4. §. 4. h.*

DEFINITIO.

38. Praeuaricator autem est, quasi varicator, qui diuersam partem adiuuat, prodita causa sua. *L. 4. §. 4. h.*

ANNOTATIO.

39. Quod nomen Labeo a varia certatione tractum ait. Nam qui praeuaticatur, ex vtraque parte constitit: quinimo ex aduersa. *L. 4. §. 4. b.*

REGULA.

40. Transactio de crimine notat diffidentiam innocentiae.

ARGUMENTVM.

Paul. L. 5. ad Edict. L. 5. 41. Item, si quis furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo, suo nomine damnatus factusue erit: simili modo infames sunt. *L. 4. §. 5. b. (§. 36. 40.)* Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur. *L. 5. b.*

ANNOTATIO.

Vlp. L. 6. ad Ed. L. 6. pr. §. 1. 42. Furti accipe: siue manifesti, siue nec manifesti. *L. 6. pr. b.*

ARGUMENTVM.

43. Sed si furti vel aliis famosis actionibus condemnatus prouocauit, pendente iudicio, nondum inter famosos habetur. *L. 6. §. 1. b. (§. 36.) L. 2. tit. 8. §. 58.)*

DEFINITIO.

44. Lis in rem iudicatam abit, quando condemnatus condemnationi acquiescit.

OBSERVATIO.

45. Prouocare noluisse apparet eum, qui tempus prouocationis praeterlabi passus est.

ARGUMENTVM.

46. Si autem omnia tempora prouocationis lapsa sunt, retro infamis est. *L. 6. §. 1. b.* in id tempus, quo sententia lata est.

ARGUMENTVM.

47. Quamuis, si iniusta appellatio eius visa sit hodie (ex hoc tempore quo appellatio reiecta est) notari puto: non retro notatur: *L. 6. §. 1. b.* quia iam demum famoso iudicio damnatus est. (*§. 36.*)

ARGUMENTVM.

§. 2. 48. Si quis alieno nomine condemnatus fuerit, non laborat infamia. *L. 6. §. 2. b.* quia in principalem sententia lata non est, (*§. 2.*) nec in mandatarium, qui nihil commisit. (*L. 1. tit. 22. §. 3.*)

ARGUMENTVM.

49. Et ideo nec procurator meus, vel defensor, vel tutor, vel curator, vel haeres, furti vel ex alia simili specie condemnatus, infamia notabuntur. Nec ergo, si ab initio per procuratorem causa agitata est *L. 6. §. 2. b.*

ANNOTATIO.

50. Legunt alii: *nec ego, si ab initio etc.* Agitur hoc loco de procuratore ad litem, qui cum litis contestatione litis dominus fiat, inque eum totus dirigatur processus, et ipsa concipiatur sententia. (*L. 2. tit. 3. §. 9.*) certe ego non notabor infamia,

infamia, in quem condemnatio non concepta est. Magis tamen retinenda est lectio: *nec ergo*: Id est: nec ergo tenebitur procurator etiam, si ab initio, per eum causa agitata, litis contestatione et sponfione eius propria facta est. (§. 48.) *vid. l. 14. b.*

A R G V M E N T V M.

51. Pactusue, inquit, erit: Pactus sit, accipimus, si cum pretio §. 3.
quantocunque pactus est. *L. 6. §. 3. b. (§. 41.)* cum pretio: notat transactionem. ANT. FABER. *Coniectur. L. 2. c. 20. in f. (L. 1. tit. 19. §. 9.)*

A N N O T A T I O.

52. Vt autem aliquis hoc casu fiat infamis, necesse est, vt cum pretio pactus sit: alioquin et qui precibus impetrauit, ne secum ageretur, erit notatus, nec erit veniaę vlla ratio: quod est inhumanum. *L. 6. §. 3. b.*

A R G V M E N T V M.

53. Qui iussu praetoris pretio dato pactus est, non notatur. *L. 6. §. 3. b.* Paruit enim imperio praetoris, crimen non est confessus. (*L. 1. tit. 1. §. 61.*)

O B S E R V A T I O.

54. In eo conueniunt transactio et iuramentum voluntarium, quod sint decisio negotii controuersi, litis euitandae causa: vnde dubium oriri poterat, vtrum quoque iurans infamia aequè notetur, vti transfigens (*L. 1. tit. 19. §. 9.) L. 2. tit. 4. §. 29.*)

A R G V M E N T V M.

55. Quia iuramentum Deum testem inuocat, ad instar probationis est. (*L. 1. tit. 9. §. 10.*)

A R G V M E N T V M.

56. Sed et si iureiurando delato, iurauerit quis: non deliquisse: §. 4.
non erit notatus. Nam quodammodo innocentiam suam iureiurando adprobauit. *L. 6. §. 4. b. (§. 55.)* Hoc loco iuramentum voluntarium vim transactionis non habet.

A R G V M E N T V M.

57. Quoniam infamia perfidae mentis poena est, (*L. 1. tit. 22. §. 3.)* Mandati condemnatus: verbis edicto notatur, non solum qui proprie mandatum suscepit, sed et is, qui fidem, quam aduersarius secutus est, non praestat. *L. 6. §. 5. b. (§. 3.)* §. 5.

A N N O T A T I O.

58. Vt puta: fideiussi pro te, et solui: mandati te si condemnauero, famosum facio. *L. 6. §. 5. b.*

A N N O T A T I O.

59. Qui fideiussorem dat, ei mandat vt in subsidium sui soluat creditoribus: (*L. 2. tit. 2. §. 21.*) hinc actio contraria mandati competit fideiussori soluenti contra debitorem principalem, qui praeterea fidem debitoris sequitur, restitutum iri quod soluit.

solvit. An forte olim pactum vel clausula fiduciae adiectum fuit fideiussioni? Alias enim ex contrario iudicio mandati infamia non sequebatur. (§. 3.)

ARGUMENTVM.

§. 6.

60. Licet ad haerem poenae defuncti non transeant, (L. 2. tit. 3. §. 24.) Illud plane addendum est, quod interdum et haeres suo nomine damnatur, et adeo infamis fit, si in deposito vel in mandato male versatus sit. L. 6. §. 6. b. videlicet tunc ipse deliquit. (L. 2. tit. 3. §. 6.)

ARGUMENTVM.

61. Non tamen in tutela vel pro socio haeres suo nomine damnari potest: quia haeres neque in tutelam, neque in societatem succedit: (L. 1. tit. 7. §. 75.) Tutor gerit munus publicum, et est persona electae probitatis: item socius est persona electae diligentiae et peritiae: (L. 1. tit. 7. §. 53.) (L. 2. tit. 9. §. 27.) haec physica et pure personalia sunt, quae ad haerem non transeunt. (L. 2. tit. 3. §. 26.)

ANNOTATIO.

62. Aes alienum defuncti intelligitur, quidquid ex societate vel tutela debetur.

ARGUMENTVM.

§. 7.

63. Qui mandat, fidem suam non obligat, nec magis pupillus, omnino tamen tutor, et qui mandatum suscipit, (L. 1. tit. 8. §. 61.) Proinde contrario iudicio damnatus, non erit infamis: nec immerito. Nam in contrariis non de perfidia agitur, sed de calculo, qui fere iudicio solet dirimi. L. 6. §. 7. b. (L. 2. tit. 2. §. 20.)

ANNOTATIO.

64. Quod in iudicio depositi, mandati, societatis et tutelae perfidiae ratio habeatur, ex ipsa contractuum natura et definitione quidem patet. (§. 3.) Hic nobis tantum sufficiat notasse verba CICERONIS *pro Roscio p. 229.* *Quae iudicia sunt summae existimationis, et paene dicam capitis tria haec sunt: fiduciae, tutelae, societatis.* Ultima textus verba: calculum fere iudicio dirimi: vulgo non atenta, considerationem accuratiorem BYNKERSHOEKII subterfugere non valuerunt. *Obs. L. 1. c. 6.* Ibi pro *iudicio* substituit, *indicio*. Si dirimere idem significat, atque negotium vel litem penitus abolere, ut neque damnum, neque lucrum partibus sit, sed omnia ad aequum redacta, videtur in iudicio directo, depositi mandati, tutelae, societatis post condemnationem rei diuersa conditio esse, quam quae ante iudicium fuerat, quia famae damnum ultra debiti solutionem perpetuum patitur. Manente perpetui iudicii directi sequela, et eius quodammodo durante actu, negotium fere non est diremum.

ARGUMENTVM.

Paul. L. 5. ad Ed. L. 7.

65. In actionibus, quae ex contractu proficiuntur, licet famosae sint, et damnati notantur, attamen pactus non notatur. Merito: quoniam ex his causis non tam turpis est pactio, quam superioribus. L. 7. b. Nam odiosa sunt restringenda. (L. 1. tit. 1. §. 244.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 6. ad Ed. L. 8.

66. Genero, inquit, mortuo. Merito adiecit praetor: cum eum mortuum esse sciret, ne ignorantia puniatur. L. 8. b. (L. 1. tit. 1. §. 73.)

OBSER-

OBSERVATIO.

67. Viduae maritos lugere tenebantur X. mensibus, id est: anno Romuli integro. Hoc ideo, ne prioris mariti sanguis turbetur. Huius locutionis intellectus et ratio mox dabitur.

ARGUMENTVM.

68. Sed cum tempus luctus continuum est, (tempus naturale est, quo vterum foemina gestat) merito et ignorantia cedit ex die mortis mariti: et ideo si post legitimum tempus cognouit, Labeo ait, ipsa die et sumere eam lugubria et deponere. *L. 8. h.*

ARGUMENTVM.

69. Vxores viri lugere non compellentur. *L. 9. pr.* Viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. *SENECA. Epist. 63.* Nullum tempus viris honestum, quia mulieribus praesumptione grauiditatis naturale illud edendi partus honestum fuit, ne incerto patre nasceretur, geminatoque matrimonio spurcius reputatus esset. (*L. 1. tit. 5. §. 58.*) Quod de sanguinis turbatione dicitur, aliter intelligi debet: quoniam Romanis incognitum esse non potuit, post conceptionem sanguinem non turbari posse. Sed viri uxores lugere compellebantur, si genuina nobis ab Aniano relicta est Pauli sententia: Hanc eius contrariam doctrinam *CVIACIVS* e Codice *Vesontino* quodam antiquissimo hausit, quod ait *L. 21. Obs. 13.* Sit ergo interpolatione vacuus *Vesontinus* ille liber, quod quidem *Dn. BYNKERSHOEK Obs. L. 5. c. 13.* negandum putat, infamia facti hic intelligenda erit, quae opinione hominum non legis aut iuris notatione infligebatur, et quae *Censoriae* notae locum facere poterat. Verba textus Pauli haec sunt: *Parentes et filii maiores sex annis anno lugeri possunt, minores mense: maritus decem mensibus, et cognati proximioris gradus, octo. Qui contra fecerit, infamiam numero habetur.* His omnino etiam propinquorum luctus sub poena infamiae impetratur. Luctum de nouendialibus interpretantur. Erant autem nouendialia feriae nouem dierum familiae luctuosae datae, qui in corpus defuncti lauandum, vngendum, osculandum, complorandum, conclamandum, efferendum et sepeliendum infumebantur. Nihilominus *Puluillus* Pontifex, cui filii obitus nunciatus est, dum *Capitolium* dedicabat, et *Paulus Cos.* ipsa triumphi sui die duorum filiorum obitu infelix, eadem die in publicum vultu hilari prodire, quod non tantum ipsis impune fuit, sed etiam laudatum est. *SENECA in Consol. ad Marciam. c. 13.* Si legis infamia fuisset, ob publicam occupationem sacrorum laetitiamque triumphi, fama restitui debuisset: at hoc necesse non fuit, cum publica causa opinionem hominum sinistram mitigauerit. Sed et *Brutus* causam in foro egit, dum *Iunia* propinqua efferebatur, cui *Crassus*, aduersae partis orator: *Brute, quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus quorum imagines duci vides? quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem vllum locum reliquisti.* Sugillat verecundiam *Bruti*, qui luctum contempnebat. *CICERO de Orat. L. 2. Sponsi nullus luctus est. L. 9. §. 1. h.* per rationem contrariam. (*§. 67.*)

*Paul. L. 5.
ad Ed.
L. 9. pr.*

§. 1.

ARGV-

ARGUMENTVM.

Id. L. 1. ad Ed. L. 10. pr. 70. Solet a principe impetrari, vt intra legitimum tempus mulieri nubere liceat. *L. 10. pr.* (L. 1. tit. 7. §. 120. 121.)

ARGUMENTVM.

§. 1. 71. Quoniam nondum nubit, quae desponsatur: ideo, quae virum eluget, intra id tempus sponsam fuisse, non nocet. *L. 10. §. 1. b.*

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 6. ad Ed. L. 11. pr. 72. Liberos autem et parentum luctus impedimento nuptiis non est. *L. 11. pr. b.* (§. 67.)

ARGUMENTVM.

§. 1. 73. Et si talis sit maritus, quem more maiorum lugeri non oportet, non posse eam nuptum intra legitimum tempus collocari. Praetor enim ad id tempus se retulit, quo vir elugeretur, qui solet elugeri, propter turbationem sanguinis. *L. 11. §. 1. b.* (§. 67. 69.) Hoc figurate dictum accipio, causam pro causato nominatam, sanguinem pro prole.

ARGUMENTVM.

§. 2. 74. Pomponius eam, quae intra legitimum tempus luctus partum ediderit, putat statim posse nuptiis se collocare: quod verum puto. *L. 11. §. 2. b.* (§. 67.)

ANNOTATIO.

§. 3. 75. Non solent autem lugeri, vt Neratius ait, hostes, vel perduellionis damnati: nec suspendiosi: nec qui manus sibi intulerunt non taedio vitae, sed mala conscientia. Si quis ergo post huiusmodi exitum mariti nuptum se collocauerit, infamia notabitur. *L. 11. §. 3. b.* Ideo, ne hostis vel serui poenae filius, fauore sequentis matrimonii, cuius, aut iustus filius secundi mariti spurcius habeatur. (§. 69.)

ANNOTATIO.

§. 4. 76. Notatur etiam, qui eam duxit, sed si sciens: ignorantia enim excusatur. *L. 11. §. 4. b.* (L. 1. tit. 1. §. 73.)

REGVLA.

77. Ius quilibet scire potest.

DEFINITIO.

78. Error voluntarius est, cum quis agit ex ratione mali, tanquam ex ratione boni, cum scire potuisset veram rationem boni. (L. 2. tit. 5. §. 5.)

ARGUMENTVM.

79. Error voluntarius non excusat. Nam imputatur. (L. 1. tit. 1. §. 36. 53.)

POSITIO.

80. Ignorantia Iuris id est, legis, non excusat.

PROBATIO.

Ius quilibet potest scire (§. 77.) proinde iuris ignorantia est error voluntarius, (§. 78.) siue ignorantia vincibilis et affectata: cum igitur error voluntarius non excuset, (§. 79.) iuris ignorantia non excusat.

ANNO-

A N N O T A T I O.

81. Positio intelligenda est de personis, quibus ex speciali iuris dispositione ius ignorare non licet. Pertinent autem huc verba textus sequentia: non iuris, sed facti. *L. II. §. 4. b.* Sed excusatur ignorantia eius iuris, quod lex non est, nempe artis, formalium et sollemnitatum iuris, quoad imputationem doli.

A R G V M E N T V M.

82. Excusatur, qui iussu eius, in cuius potestate erat, duxerit: *L. II. §. 4. b.* quoniam ipsius voluntas non fuit, nec imputari ei potest. (*L. I. tit. I. §. 41.) L. I. tit. 5. §. 29.)*

A N N O T A T I O.

83. Notissimum est, ad ius patriae potestatis pertinuisse, liberis vel inuitis vxores dare. *TERENTIUS Andria, Actu I. Sc. 5.*

*Prob deum hominumque fidem! quid est, si non hoc contumelia est!
Vxorem decreuit dare sese mihi hodie: nonne oportuit
Praescisse me ante?*

A R G V M E N T V M.

84. Auctor est, qui permittit agere ei, quem in potestate sua habet. (*L. I. tit. I. §. 41.)* et ipse, qui passus est ducere, notatur. *L. II. §. 4. b.*

A N N O T A T I O.

85. Vtrumque recte: nam et qui obtemperavit, venia dignus est: et qui passus est ducere, notari ignominia. *L. II. §. 4. b.*

A R G V M E N T V M.

86. Ergo, qui iussu patris duxit, quamvis liberatus potestate patriam eam retinuit, non notatur. *L. 12. b.* Non purgaretur sanguinis turbatio per diuortium, quo omnino nihil actum foret. An autem adprobat et imputationem meretur? (*L. I. tit. I. §. 56.)* Non visum fuit eum factum patris probare, qui vxorem probat. (*L. I. tit. I. §. 249.)*

*Paul. L. 1.
ad Ed.
L. 12.*

A R G V M E N T V M.

87. Quid ergo, si non ducere sit passus, sed posteaquam duxit, ratum habuerit: ut puta, initio ignorauit talem esse, postea scit: non notabitur. Praetor enim ad initium nuptiarum se retulit. *L. 13. pr. b.* Non enim quod toleratur, ideo prona voluntate optatur. Tolerat pater contractum coniugium ob reuerentiam matrimonii. (*§. 86.)*

*Vp. L. 6. ad
Ed.
L. 13. pr.*

A R G V M E N T V M.

88. Cui non imputatur bina sponsalia constituisse, non notatur. (*L. 2. tit. 7. §. 3.)*

R E G V L A.

89. Quod quis non egit, ei non imputatur. (*L. I. tit. I. §. 53.)*

O B S E R V A T I O.

90. Si quis alieno nomine bina sponsalia constituerit, cum opinione boni ad se relati non egit. (*L. I. tit. I. §. 66.)*

P O S I T I O.

91. Si quis alieno nomine bina sponsalia constituerit, non notatur. *§. I. L. 13 §. 1. b.*

P R O B A T I O.

Si quis alieno nomine bina sponsalia constituerit, non egit cum opinione boni ad se relati. (§. 90.) quare prorsus non egit. (L. I. tit. I. §. 36.) Quod autem quis non egit, ei non imputatur (§. 89.) cumque non notetur, cui non imputatur bina sponsalia constituisse, (§. 88.) constat, quod si quis alieno nomine bina sponsalia constituerit, non notetur.

A N N O T A T I O.

92. Perfidiae mentis indicium est, fidem sponsalitiā duobus simul obligare: propterea talis notatur infamia. (§. 1.)

A R G V M E N T V M.

93. Nisi eius nomine constituat, quem quamvis in potestate haberet. L. 13. §. 1. b. Tum enim ipse pater constituit, (§. 83.) qui notabitur. (§. 2.)

A R G V M E N T V M.

94. Certe, qui filium vel filiam constituere patitur, quodammodo ipse videtur constituisse. L. 13. §. 1. b. (§. 84.)

A N N O T A T I O.

§. 2. 95. Quod ait praetor: eodem tempore: non initium sponsaliorum eodem tempore factorum accipiendum est: sed si in id tempus concurrant. L. 13. §. 2. b.

A R G V M E N T V M.

§. 3. 96. Item, si alteri sponsa, alteri nupta sit, ex sententia edicti puniatur. L. 13. §. 3. b. licet non ex verbis. (L. I. tit. I. §. 246.)

A R G V M E N T V M.

§. 4. 97. Si quis pudorem spernit, infamis est, (L. I. tit. 22. §. 3.) §. 1.) (L. I. tit. 7. §. 50.) Hinc textus ait: Cum autem factum notetur, etiam si cum ea quis nuptias vel sponsalia constituat, quam uxorem ducere vel non potest, vel fas non est, erit notatus. L. 13. §. 4. b.

A N N O T A T I O.

98. Quam uxorem ducere non potest, intellige humano iure: quam uxorem ducere fas non est: intellige propter religionem: ut virginem vestalem durante sacerdotio eius. Nam ita SERVIVS Virgilii interpres: *Fas ad religionem, iura pertinent ad homines.*

A R G V M E N T V M.

§. 5. 99. Cum arbiter potius opinetur quam iudicet, (L. 2. tit. 8. §. 61. 62.) sola vero res iudicata pro veritate accipiat. (L. I. tit. 5. §. 61.) Ex compromisso arbiter infamiam non facit, quia non per omnia sententia est. L. 13. §. 5. b. (§. 1.)

A R G V M E N T V M.

§. 6. 100. Quantum ad infamiam pertinet, multum interest, in causa quae agebatur, causa cognita aliquid pronuntiatum sit, an quaedam extrinsecus (forte familiari sermone ad consilium non pertinente) sunt elocuta: nam ex his infamia non irrogatur. L. 13. §. 6. b.

A R G V -

ARGUMENTVM.

101. Poena grauior (quam delictum meretur) vltra legem, imposita, existimationem conseruat: vt et constitutum est et responsum. *L. 13. §. 7. b.* Nam sententia quatenus contra leges lata, nulla est. (*L. 2. tit. 12. §. 2L*) §. 7.

ANNOTATIO.

102. Vt puta: Si eum, qui parte bonorum multari debuit, praeses relegauerit: dicendum erit, duriori sententia cum eo transactum de existimatione eius, idcircoque non esse infamem. *L. 13. §. 7. b.* Compensandam duxit Princeps poenam iusto et lege grauiorem, imputauitque condemnato in excessum poenae ex sententia, quod adhuc deficiebat ad satisfactionem legis. Praesidis sententiam reprehendere, eius officium vilescere noluit Princeps, sed nec voluit tolerare condemnationem lege duriozem; igitur quasi transegisset Praeses cum reo, confictum fuit.

ANNOTATIO.

103. Sed si in caussa furti nec manifesti in quadruplum iudex condemnauit, oneratum quidem reum poena aucta (nam ex furto non manifesto in duplum condemnari debuit) verum hanc rem existimationem ei non conseruasse: quamuis si in poena non pecuniaria eum onerasset, transactum cum eo videtur. *L. 13. §. 7. b.* Potius litem suam fecisse censetur iudex, et condemnatus contra hunc habet actionem Syndicatus. *L. 15. §. 1. ff. de Iudic.* Haec sententia non est nulla, vtpote quam in suum grauamen dixit iudex. Idem in poena corporis afflictiua non procedit. (*§. 102.*)

DEFINITIO.

104. Crimen stellionatus est, quando quis dolo fecit, factum autem in iure nulla legitima criminis denominatione cognitum est. *conf. L. 3. §. 1. ff. stellionat.*

ARGUMENTVM.

105. Quoniam infamia ob dolosum factum infligitur (*§. 1.*) *L. 1. tit. 22. §. 3.* ideo crimen stellionatus infamiam irrogat damnato: quamuis publicum non est iudicium. *L. 13. §. 8. b.* Modo de dolo constet. Quia vero difficilis interdum est doli probatio, quandoque iudicium stellionatus famosum non est. *L. 2. ff. stell.* §. 8.

ARGUMENTVM.

106. Seruus, cuius nomine noxale iudicium dominus acceperit, *Paul. L. 5. ad Ed. L. 14.* deinde eundem liberum et haeredem instituerit, ex eodem iudicio damnatus, non est famosus. Quia non suo nomine condemnatur, quippe cum initio lis in eum contestata non sit. *L. 14. b. (§. 48.)*

ARGUMENTVM.

107. Notatur, quae per calumniam ventris nomine in possessionem missa est, dum se adseuerat praegnantem. *L. 15. b. (§. 36.)* cum non praegrans esset, vel ex alio concepisset. *L. 16. b.* *Vlp. L. 8. ad Ed. L. 15. Paul. L. 8. ad Ed. L. 16.*

ANNOTATIO.

108. Debuit enim coerceri, quae praetorem deceptit. *L. 17. b.* *Vlp. L. 8. ad Ed. L. 17.*

ARGUMENTVM.

109. Sed ea notatur, quae cum suae potestatis esset, hoc facit. *L. 17. b.* Nam alias ex patris voluntate missa est, et paruit tantum. (§. 84.) *L. 1. tit. 1. §. 41.*)

ARGUMENTVM.

Cai. L. 3. ad Ed. prou. L. 18. 110. Ea, quae falsa existimatione (ob signa grauiditatis apparentia) decepta est, non potest videri per calumniam in possessione fuisse. *L. 18. b.* (*L. 1. tit. 1. §. 55.*)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 8. ad Ed. L. 19. 111. Non alia autem notatur, quam ea, de qua pronunciatum est, calumniae causa eam fuisse in possessionem missam. (§. 36.) Idque et in patre erit seruandum, qui calumniae causa passus est filiam, quam in potestate habebat, in possessionem ventris nomine mitti. *L. 19. b.* (§. 84. 109.)

ARGUMENTVM.

Pap. L. 1. Resp. L. 20. 112. Ob haec verba sententiae praesidis prouinciae callido commento videris accusationis instigator fuisse: pudor potius oneratur, quam ignominia videtur irrogari. Non enim, qui exhortatur, mandatoris opera fungitur. *L. 20. b.* ANTON. FABER *Coniectan. L. 6. c. 6.* pro mandatoris, legit, damnatoris. Credit praesidem admonuisse, ne amplius instigator calumniae fit: valde violenter: non enim bene dicitur exhortari, qui dehortatur, mandator est, qui rei suo periculo perficiendae auctor fit. (*L. 3. tit. 5. §. 24. infra.*) Instigationem per exhortationem explicat ipse textus. Praeses quoque dicit: *videris*: quae formula sententiae non est, sed suspitionis. Hortator quoque pecuniam mouendae calumniae causae non accipit, quia textus nihil dicit. Ergo praetor haec extra consilii actum protulisse accipietur. (§. 100.) *L. 17. C. ex quib. caus. inf. irr.*

ARGUMENTVM.

Paul. L. 2. Resp. L. 21. 113. Lucius Titius crimen intendit Gaio Seio, quasi iniuriam passus: atque in eam rem testationem apud praefectum praetorio recitauit. Praefectus, fide non habita testationis, nullam iniuriam Lucium Titium passum esse a Gaio Seio pronunciauit. Quaero an testes, quorum testimonium reprobatum est, quasi ex falso testimonio, inter infames habentur: Paulus respondit: nihil proponi, cur hi, de quibus quaeritur, infamium loco haberi debeant: cum non oportet ex sententia, siue iusta siue iniusta pro alio habita, alium praegravari. *L. 21. b.* (§. 36.) Veruntamen ob falsum testimonium de falso damnatus infamis fiet.

ARGUMENTVM.

Marc. L. 2. Publ. L. 22. 114. Ictus fustium, infamiam non importat, sed causa, propter quam id pati meruit, si ea fuit, quae infamiam damnato irrogat. In caeteris quoque generibus poenarum eadem forma statuta est. *L. 22. b.* Infamia enim subdolae mentis infimulatio est, et sequitur turpitudinem notati, non autem vindictam magistratus. (§. 1.)

ARGV.

A R G V M E N T V M.

115. Parentes et liberi vtriusque sexus, nec non et caeteri agnati vel cognati secundum pietatis rationem et animi sui patientiam, prout quisque voluerit, lugendi sunt. Qui autem eos non eluxit, non notatur infamia. *L. 23. b. (§. 69.)* *Vlp. L. 8. ad Ed. L. 23.*

A N N O T A T I O.

116. WISSENBACHIVS hic notat Triboniani interpolationem. Tribonianus, inquit, Vlpiani hoc responsum interpolavit et finxit arbitrato suo, morem sui temporis secutus. Nec enim de lugendis parentibus, aut liberis, aut cognatis Vlpianus aliud, quam Paulus scripserat: qui in sententiis scripserat, parentes et filios maiores sex annis, anno esse lugendos, etc. Possent forte conciliari Paulus Vlpiano, ut qui plane non lugeat, infamis fiat, qui non elugeat, non notetur. (§. 69.)

A R G V M E N T V M.

117. Imperator Seuerus rescripsit non obfuisse mulieris famae, eius quaestum in seruitute factum. *L. 24. b. (§. 109.)* quia domini voluntate factus. (§. 35. 84.) *Id. L. 6. ad Ed. L. 24.*

A R G V M E N T V M.

118. Luctus ad animi pietatem, sanguinis propinquitatem, animique patientiam ac afflictionem pertinet (§. 115.) Quare Exhaeredatum quoque filium luctum habere patris memoriae placuit. Idemque et in matre iuris est, cuius haereditas ad filium non pertinet. *L. 25. pr. b.* Et si non elugere compellatur, lugere compellitur. (§. 116.) *Pap. L. 1. Quaes. L. 25. pr.*

A R G V M E N T V M.


119. Si quis in bello ceciderit, et si Corpus eius non compareat, lugebitur. *L. 25. §. 1. b. (§. 115.)* §. 1.

R E G V L A.

120. Melior est conditio possidentis, quoties vterque litigantium ad ius putatum prouocat.

R E G V L A.

121. Minima circumstantia variat ius.



 DE PROCURATORIBVS ET
 DEFENSORIBVS.

TIT. III.

DEFINITIO.

Vlp. L. 9. ad Ed. L. 1. pr. 1. Procurator est, qui aliena negotia mandatu domini administrat. *L. 1. pr. b. (L. 1. tit. 19. §. 6.)*

OBSERVATIO.

§. 1. 2. Procurator autem vel omnium rerum, vel vnus rei esse potest. *L. 1. §. 1. b. (§. 1.)*

ARGUMENTVM.

3. Constitutus, vel coram, vel per nuntium, vel per epistolam. *L. 1. §. 1. b. Nam per haec constare potest de voluntate domini. (L. 2. tit. 14. §. 8.)*

ANNOTATIO.

4. Quamuis quidam, vt Pomponius libro vicesimo quarto scribit, non putent, vnus rei mandatum suscipientem procuratorem esse: sicuti ne is quidem, qui rem perferendam, vel epistolam vel nuntium perferendum suscepit, proprie procurator appellatur. Sed verius est, eum quoque procuratorem esse, qui ad vnam rem datus sit. *L. 1. §. 1. b.* Notandum ergo, rem istam integrale aliquod totum esse, et non in nudo facto consistere, sed iuris effectricem esse debere. Et ita CICERO: *pro Caecina: Verum me tuus procurator dececerit is, qui legitime procurator dicitur omnium rerum eius, qui in Italia non sit, absitue reipublicae caussa, quasi quidem pacis dominus, hoc est, alieni iuris vicarius.*

ANNOTATIO.

§. 2. 5. Vfus autem procuratoris perquam necessarius est, vt, qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint vel agere vel conueniri. *L. 1. §. 2. b.*

ARGUMENTVM.

§. 3. 6. Dari autem procurator et absens potest. *L. 1. §. 3. b.* Dummodo certus sit, (qui vel adparet, vel adparere potest) qui datus intelligitur: et is (si) ratum habuerit. *L. 2. pr. b. (§. 1. et 3.)* Mandatum enim requirit consensum, et fiduciam. (*L. 1. tit. 8. §. 61.*)

ARGUMENTVM.

§. 1. 7. Furiosus non est habendus absentis loco, (propter hoc,) quia in eo animus deest, vt ratum habere (non) possit. *L. 2. §. 1. b.* Sed habetur praesentis loco, quia furiosi ea voluntas praesumitur, quae compositis mentis esset. (*L. 1. tit. 1. §. 226.*) vellet autem defendi.

ARGV-

A R G V M E N T V M.

8. Quare furioso procurator dari non potest: defensorum habere potest.

A R G V M E N T V M.

9. Item et ad litem futuram, et in diem, et sub conditione, et vsque ad diem dari potest. *L. 3. b.* Nam mandatum non est actus legitimus, qui diem vel conditionem non recipit. (L. 1. tit. 7. §. 12.) Ad litem autem futuram, cum ea nonens sit. (L. 1. tit. 1. §. 216.) propter absentiam singulorum ex humanitate contra strictam ratiocinationem datur. (L. 1. tit. 18. §. 27.) Et in perpetuum. *L. 4. b.*

*Vlp. L. 9.
ad Ed.
L. 3.*

*Paul. L. 8.
ad Ed.
L. 4.*

A R G V M E N T V M.

10. Praesens habetur, et qui in hortis est. *L. 5. b.* Licet enim in vrbe non sit, ab vrbe tamen haud abest. CICERO *L. 12. Epist. 29. ad Att.* (L. 2. tit. 13. §. 41.) Add. *L. 199. ff. de V. S.* Et qui in foro, et qui in vrbe, et in continentibus aedificiis. *L. 6. b.*

*Vlp. L. 7. ad
Ed.*

*L. 5.
Paul. L. 6.
ad Ed.*

A R G V M E N T V M.

11. Et ideo procurator eius praesenti esse videtur. *L. 7. b.*

L. 6.

*Vlp. L. 7. ad
Ed.*

A R G V M E N T V M.

12. Filius familias et ad agendum dare procuratorem potest, si quae sit actio, qua ipse experiri potest: non solum, si castrense peculium habeat, (L. 2. tit. 4. §. 22.) sed et quiuis filiusfamilias, vt puta iniuriam passus, dabit ad iniuriarum actionem: si forte neque pater praesens sit, nec patris procurator velit experiri: (L. 2. tit. 14. §. 192.) et erit iure ab ipso filio familias procurator datus. *L. 8. pr. b.* Nam filius, actionis dominus, iuris sui vicarium constituit. (L. 1. tit. 19. §. 6.)

L. 7.

*Id. L. 8. ad
Ed.*

L. 8. pr.

A R G V M E N T V M.

13. Hoc amplius Iulianus scribit: et si filio familias patri, per filium eius, in eadem potestate manentem, fiat iniuria, neque auus praesens sit, posse patrem procuratorem dare ad vlciscendam iniuriam, quam nepos absentis passus est. *L. 8. pr. b. (§. 12.)*

A N N O T A T I O.

14. Per filium patri fit iniuria, id est, mediante filio: ob identitatem personarum eiusdem potestatis. (L. 2. tit. 14. §. 194.)

A R G V M E N T V M.

15. Ad defendendum quoque poterit filiusfamilias procuratorem dare. *L. 8. pr. b. (§. 12.)*

A R G V M E N T V M.

16. Sed et filiafamilias poterit dare procuratorem ad iniuriarum actionem. *L. 8. pr. b. (§. 12.)*

A R G V M E N T V M.

17. Nam quod ad dotis exactionem, cum patre dat procuratorem, superuacuum esse Valerius Seuerus scribit: cum sufficiat patrem dare ex filiae voluntate. *L. 8. pr. b. (L. 2. tit. 14. §. 130.)*

A R G V -

ARGUMENTVM.

18. Sed puto: Si forte pater absens sit, vel suspectae vitae (quo casu solet filiae competere de dote actio) posse eam procuratorem dare. *L. 8. pr. b.* Licet enim de dote actio ad filiam pertineat, (*L. 2. tit. 14. §. 130.*) Patriae tamen potestatis ratio habenda est: Siquidem dotis caussa non minus ad familiam pertinet, quamvis fauore et priuilegio reipublicae gaudeat: (*Ib. §. 129.*) Nam patri per filiam dos quaeritur. (*L. 1. tit. 6. §. 24.*)

ARGUMENTVM.

19. Quia filiusfamilias ciuis est, et personam standi in iudicio habet, (*L. 1. tit. 5. §. 45.*) Ipse quoque filius procurator dari poterit, et ad agendum et ad defendendum. *L. 8. pr. b.*

ARGUMENTVM.

§. 1. 20. Inuitus procurator non solet dari. *L. 8. §. 1. b.* (*L. 1. tit. 8. §. 61.*)

REGVLA.

21. In negotio praeiudicium inuolente, non videtur consentire, qui tacet.

REGVLA.

22. Res facti non praesumitur.

ANNOTATIO.

23. Inuitum accipere debemus non eum tantum (procuratorem) qui contradicit; verum eum quoque, qui consensisse non probatur. *L. 8. §. 1. b.* (*L. 1. tit. 1. §. 47.*)

DEFINITIO.

24. Veteranus est, qui propter valetudinem laboribus militiae honeste solutus est. *L. 2. §. 2. de his, qui not.*

ARGUMENTVM.

§. 2. 25. Milites quidem procuracionibus vacare nequeunt, (*L. 2. tit. 8. §. 39.*) tamen veterani procuratores fieri possunt. (*§. 24.*) Milites autem, nec si velit aduersarius, procuratores dari possunt. *L. 8. §. 2. b.* Quia ex alieno consensu respublica munere sui ciuis priuari nequit. (*L. 1. tit. 1. §. 200.*)

ARGUMENTVM.

26. Hoc ita seruandum, nisi hoc tempore litis contestatae quocunque casu praetermissum est. *L. 8. §. 2. b.* In vtilitatem eorum, qui cum eiusmodi procuratore egerunt. (*L. 1. tit. 18. §. 27.*) et ob publicae testationis honorem. (*L. 2. tit. 3. §. 8. 9.*)

ARGUMENTVM.

27. Procurator in rem suam verius litis dominus diceretur. (*L. 2. tit. 2. §. 13.*) ordinis quoque negotia, dum miles agit, militiae et reipublicae seruit. Quare superiora §. 27. dicta valent, excepto eo, qui in rem suam procurator datus est: vel qui communem causam omnis sui numeri persequatur vel suscipit: quibus talis procuratio concessa est. *L. 8. §. 2. b.*

OBSERVATIO.

28. Omnis omnino contractus ad sui essentiam consensum requirit, at quidam horum contractuum insuper requirunt traditionem rei, de qua consensum fuit.

fuit. Non fit mutuum, id est, ex meo tuum, nisi detur, nec depositum, nec vñs conceditur, nec crediti securitas, nisi res deponenda, commodanda, et pignus tradatur, nec has omnes res non traditas repetere valeas actione ex contractu nata. Aliis contractibus e iuris ciuilibus dispositione accreuit sollempnitas verborum et scriptura. Reliqui in pristina iuris gentium forma subsisterunt, et solo consensu perfecti sunt. Hos consensuales dicit ius ciuile. (L. 1. tit. 1. §. 257.) Mandatum ergo est contractus consensualis, ex quo obligatio nascitur. Est etiam b. f. Dum ergo alterutrius interesse incipit, et quando res amplius non est integra, vt, quando dominus cautionem praestitit, si absens sit, etc. item, si mandatarii interfit, tunc ob bonam fidem, ne detrimentum ex contractu alteruter patiatur, mandatum renunciari vnilateraliter nequit. Quo casu autem possit renunciari, sequentia docent.

A R G V M E N T V M.

29. Procuratorem ad litem suscipiendam datum, pro quo consentiente dominus cautionem iudicatum solui exposuit, praetor ait, iudicium accipere cogam. *L. 8. §. 3. b. (§. 28.)* §. 3.

R E G V L A.

30. Officium suum nemini debet esse damnosum.

A R G V M E N T V M.

31. Mandatum officium amicitiae est (L. 1. tit. 8. §. 61.) quod nemini debet esse damnosum, (§. 30.) vnde mandato quidem satisfieri regulariter oportet, verum ex causa non debet compelli (mandatarius) vt puta inimicitiae capitales interuenerunt inter ipsum procuratorem et dominum: Scribit Iulianus, debere in procuratorem denegari actionem, (quia fiducia, quae mandato essentialis est (L. 1. tit. 8. §. 62.) cessat.) Item, si dignitas (honor et munus reipublicae) accesserit procuratori, vel reipublicae causa abfuturus sit. *L. 8. §. 3. b.* Nam priuata cedunt vtilitati publicae. (L. 2. tit. 12. §. 10.) Aut si valetudinem, aut si necessariam peregrinationem alleget. *L. 9. h. vel haereditas superueniens (§. 48. f.) eum occupet: vel ex alia iusta causa. L. 10. b.*

Cai. L. 3. ad Ed. pr. - L. 9. Vlp. L. 8. ad Ed. L. 10.

A R G V M E N T V M.

32. Hoc amplius, et si habeat praesentem dominum, non debere compelli procuratorem. *L. 10. b.* Vñs ordinarius procuratoris est, loco domini absentis: (§. 5.) qui ergo praesumitur. (L. 1. tit. 1. §. 224.) et nisi contrarium adpareat, mandatum pro absente tantum receptum est. (L. 1. tit. 19. §. 6.) Si tamen dominus cogi possit. *L. 11. b.*

Paul. L. 8. ad Ed. L. 11.

R E G V L A.

33. Officii iudicis est cauere, ne propter ius summum et strictum quisquam afficiatur damno irreparabili. (L. 2. tit. 8. §. 79.)

A R G V M E N T V M.

34. Sed etiam ex his causis dicitur, aliquando cogendum procuratorem iudicium accipere, (et defendere,) veluti si dominus praesens non

Cai. L. 3. ad Ed. pr. L. 12.

non fit, et actor adfirmet, tractu temporis futurum, vt res pereat.
L. 12. b. (§. 33.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 8. ad Ed. L. 13. 35. Sed haec neque passim admittenda sunt, neque descripte deneganda, sed a praetore causa cognita temperanda. L. 13. b. pro circumstantiarum diuersitate. (L. 3. tit. 2. §. 121.)

ARGUMENTVM.

Paul. L. 8. ad Ed. L. 14. 36. Si post datum procuratorem capitales inimicitiae intercesserunt, non cogendum (procuratorem) accipere iudicium (§. 31.) nec stipulationem (iudicatum solui) ob rem non defensam committi, quoniam noua causa fit. L. 14. b. Videlicet mandatum, subito contrario modo, quo contractum est, soluitur. (L. 1. tit. 1. §. 153.) hinc dicit textus: noua causa fit.

ARGUMENTVM.

37. Stipulationis iudicatum solui, tres erant clausulae: ob rem iudicatam; ob rem non defensam, dolum malum abesse abfuturumque esse. De secunda vide l. 33. §. 3. b. BRISSONIVS de Form. L. 5. art. 57.

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 8. ad Ed. L. 15. pr. 38. Si defunctus sit dominus ante litem contestatam, iudicatum solui stipulatione pro suo procuratore data, procurator compellendus est ad iudicium accipiendum (§. 29.) ita tamen, si hoc dominus sciente procuratore et non contradicente fecit. Quodsi aliter actum est, iudicium quidem procuratorem teneri, satis iniuile est. L. 15. pr. b. (§. 20.)

ARGUMENTVM.

39. Committitur autem ob rem non defensam stipulationis clausula. L. 15. pr. b. (§. 37.)

DEFINITIO.

40. Actio communis diuidendo est postulatio sociorum in re singulari corporali, aduersus se inuicem, ad huius rei commodorumque diuisionem, et impensarum damnique pro rata praestationem.

ANNOTATIO.

41. Partes aliquantae absque relatione ad totum denominantur, vt si haereditas sit 12. pars eius aliquanta possunt esse 5. vel 7. vel alia quaelibet. In his partibus aliquantis communio non subsistit, sed in aliquotis. (L. 2. tit. 9. §. 28.)

ANNOTATIO.

42. Iudicia duplicia sunt, in quibus vterque litigans petit, adeoque actoris et rei vicem simul subit, vt in iudicio communi diuidendo, familiae erciscundae, et finium regundorum.

ARGUMENTVM.

§. I. 43. Qui ad communi diuidendo iudicium datus est ad agendum, item et ad defendendum videbitur datus, duplici cautela interponenda. L. 15. §. 1. b. Nam ad iudicium tale datus est, quod vtramque personam postulat, actoris et defensoris. (§. 42.)

A N N O T A T I O.

44. Duplex cautio erit: iudicatum solui, et de rato; dicit enim textus ad defendendum videbitur datus. (L. 2. tit. 13. §. 61.)

A R G V M E N T V M.

45. Ante litem contestatam libera potestas est, vel mutandi procuratoris, vel ipsi domino iudicium accipiendi. *L. 16. b.* Post litem autem contestatam reus, qui procuratorem dedit, mutare quidem eum, vel in se litem transferre a viuo procuratore, vel in ciuitate manente potest, caussa tamen prius cognita. *L. 17. pr. b.* Nam procurator litis contestatione dominus litis factus erat, (L. 2. tit. 3. §. 9.) quod interdum ab ipso reuocari absque damno vel iniuria vix potest, (§. 28. 29.) vnde caussae cognitione opus est, (§. 31.) L. 1. tit. 7. §. 61.) de translatione iudicii mox dicitur.

*Paul. L. 8.
ad Ed.
L. 16.
Paul. L. 8.
ad Ed.
L. 17. pr.*

A R G V M E N T V M.

46. Non solum autem ipsi, qui dedit procuratorem, hoc permittitur, sed etiam haeredi eius, et caeteris successoribus. *L. 17. §. 1. b.* Nam mandatum ex confidentia singulari in personam, et amicitiae coniunctione in aliquem confertur. (L. 1. tit. 8. §. 61. §. 31.)

§. 1.

A N N O T A T I O.

47. In caussae autem cognitione non solum haec versantur, quae supra diximus, (§. 31.) in procuratore, non compellendo iudicium suscipere, verum et aetas. *L. 17. §. 2. b.* Aut religionis beneficium. *L. 18. b. conf. L. 32. §. 4. ff. de recept. qui arb.* *RAEVARDVVS Coniect. L. 1, c. 13.* Milites religione a procurationibus arcentur. *SENECA Epist. 14. primum militiae vinculum est religio, et signorum amor, et deserendi nefas.* (§. 25.) L. 3. tit. 2. §. 17.)

§. 2.

*Mod. L. 10.
Pand.
L. 18.*

A R G V M E N T V M.

48. Item, si suspectus sit procurator, aut in vinculis, aut in hostium praedonumue potestate. *L. 19. b.* Vel iudicio publico priuatoque, vel valetudine, vel maiore re sua distringatur. *L. 20. b.* vel exilio, vel si latitet, vel inimicus postea fiat. *L. 21. b.* Aut adfinitate aliqua aduersario iungatur, vel haeres ei existat, *L. 22. b.* (§. 31.) Aut longa peregrinatio, aut aliae similes caussae impedimento sint. *L. 23. b.* Mutari debet, vel ipso procuratore postulante. *L. 24. b.*

*Vlp. L. 9. ad
Ed.
L. 19.
Paul. L. 8.
ad Ed.
L. 20.
Cai. L. 3. ad
ed. prou.
L. 21.*

A N N O T A T I O.

49. Quae omnia non solum ex parte rei, sed etiam in persona actoris obseruabuntur. *L. 75. b.*

*Paul. L. 8.
ad Ed.
L. 22.*

A R G V M E N T V M.

50. Sed si aduersarius vel ipse procurator dicat, dominum mentiri, apud praetorem haec finiri oportet. *L. 25. b.* Si caussam translationis allegatam falsam esse dicat, huius rei cognitio etiam praetoris erit. (L. 2. tit. 1. §. 14.)

*Vlp. L. 9. ad
Ed.
L. 23.
Paul. L. 8.
ad Ed.
L. 24.*

R E G V L A.

51. Beneficium inuito non obtruditur.

*Vlp. L. 3. ad
Ed.
L. 25.*

ARGUMENTVM.

52. Nec ferendus est procurator, qui sibi adserit procurationem; (dicendo, dominum mentiri, vel si aliter cedere nolit) nam hoc ipso suspectus est, qui operam suam ingerit inuito. *L. 25. b. (§. 51.)*

OBSERVATIO.

53. Eius qui mandatum suscepit, interest non solum pecuniarie (§. 28.) verum etiam ratione existimationis, si mandatum intempestive, quasi ab inhabili aut suspecto reuocetur.

ARGUMENTVM.

54. Nisi forte purgare magis conuitium, quam procurationem exequi maluit. Et hactenus erit audiendus, si dicat, se procuratione quidem carere velle, sed si id illaesa existimatione sua fiat. Caeterum ferendus erit, pudorem suum purgans. *L. 25. b. (§. 53.)*

ARGUMENTVM.

55. Plane, si dicat, in rem suam se procuratorem datum, et hoc probauerit, non debere carere propria lite. *L. 25. b.* Est enim auctor dominusque litis. (*L. 2. tit. 2. §. 13.*) (§. 27.)

DEFINITIO.

56. Ius retentionis est ius retinendi vel possidendi rem alienam, rei suae possessae cohaerentem.

ARGUMENTVM.

57. Item, si retentione aliqua procurator vti velit, non facile ab eo lis erit transferenda. *L. 25. b.* ne cogatur rem suam cum aliena tradere: ne libertas dominii euertatur. (*L. 1. tit. 1. §. 191.*)

ANNOTATIO.

58. Ratione impensarum, vel quod se occasione procurationis obligauit, instrumenta ad litem pertinentia retinere potest. Aut etiam si compensationis causa retentione vti vult. *L. 30. b.*

ARGUMENTVM.

Paul. L. 8. ad Ed. L. 26. 59. Nisi dominus ei soluere paratus sit. *L. 26. b.* scilicet impensas vel alia, propter quae ius retentionis competit. (§. 52.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 9. ad Ed. L. 27. pr. 60. Contradictorium est de toto confidere, et de parte non confidere, et procurator est integri alicuius iudicii. (§. 4.) In causae cognitione etiam hoc versabitur, ut ita demum transferri a procuratore iudicium permittatur, si quis omnia iudicii ab eo transferre paratus sit. Caeterum, si velit quaedam transferre, quaedam relinquere, iuste procurator hanc inconstantiam recusabit. *L. 27. pr. b.*

ANNOTATIO.

61. Sed haec ita, si mandato domini procurator egit: caeterum, si mandatum non est, cum neque in iudicium quicquam deduxerit, nec tu ea comprobasti, quae inuito te acta sunt, (§. 23.) tibi non praedjudicant.

iudicant. Ideoque translatio earum litium non est tibi necessaria, ne alieno facto onereris. *L. 27. pr. b.* (L. 3. tit. 1. §. 66.)

A N N O T A T I O.

62. Haec autem cognitio procuratoris mutandi, praetoris est. *L. 27. pr. b.* Non iudicis pedanei (§. 8. b.) CICERO *de Inuentione Orat. L. II.* Nam et Praetoris exceptionibus multae excluduntur actiones, et ita ius ciuile habemus constitutum, ut caussa caderet is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. Quare in iure plerumque versantur. Ibi enim et exceptiones postulantur, et quodammodo agendi potestas datur, et omnis conceptio priuatorum iudiciorum constituitur. Ad hunc locum Ciceronis MARIUS VICTORINVS ita disserit: Praetores etenim, qui ius dicebant, iudices caussae dabant, et controuersiam vel genus agendi instituta actione formabant. Ita sibi praescribebat Praetor, qua accusator, qua reus deberet actione uti: praescribendo quid fieret, excipiendoque, quid non fieret: translationis controuersiam actionibus auferebat. Erat praeterea institutum, ut caussa caderet is, qui non quemadmodum oportebat, egisset. Ergo etiam propter hoc formaliter ad iudicium veniebatur. Apud ipsum vero Praetorem, cum litis ipsius forma componeretur. Illic partes litigantium aut excipiebant aliquid, aut simplicem actionem accipiebant. Vnde in ipso, ut dixi, iure, hoc est, apud Praetorem, de modo agendi cum quaereretur, fiebat exceptio atque translatio. Translatio controuersiae fiebat, quando sponfione in iudicio facta dominium litis in aliam personam transferebatur, cuius exemplum habetur in *lege 7. §. 9. ff. de dolo malo. L. 15. ff. de noxal. act.* SIGONIVS *de antiquo iure P. R. Tomo II. L. 1. c. 11. ALCIATVS Disputat. L. 4. c. 23.*

D E F I N I T I O.

63. Stipulatio iudicatum solui, est promissio defensoris, vel domini pro defensore, aut procuratore, ut quod iudex iudicasset, praestaretur. *pr. I. d. Satisd. et §. 2. ibid.*

A R G V M E N T V M.

64. Si ex parte actoris litis translatio fiat, dicimus committi (abfolui, quando iudicatum est) iudicatum solui stipulationem a reo factam: §. I. idque et Neratius probat et Iulianus: et hoc iure utimur, scilicet, si dominus satis accepit, (et litem in procuratorem transfert.) *L. 27. §. 1. b.* Committitur stipulatio in personam procuratoris, quia praetoris imperio tota lis cum ipsa stipulatione e domini persona in procuratorem translata est. (L. 1. tit. 5. §. 54.) *L. 2. tit. 1. §. 6.)* Alias contrahentium voluntate stipulatio ad tertium migrare nequit. (L. 2. tit. II. §. 50.)

A R G V M E N T V M.

65. Sed et si procurator satis accepit, et transferatur iudicium in dominum: verius est, committi, et ex stipulatu actionem a procuratore in dominum transferri. *L. 27. §. 1. b.* Eadem ratio est, quae modo dicta.

A R G V M E N T V M.

66 Sed et si a domino vel a procuratore in procuratorem iudicium

cium transferatur, non dubitat Marcellus, quin committatur stipulatio. Et haec vera sunt. *L. 27. §. 1. b.* (§. 64. 65.)

ARGUMENTVM.

67. Et licet procuratori commissa sit stipulatio, (§. 64.) tamen (ob translationem iudicii in dominum factum) domino erit danda utilis ex stipulatu actio, directa penitus tollenda. *L. 27. §. 1. b.* (*L. 1. tit. 7. §. 69.*)

ARGUMENTVM.

*Id. L. 1. Di-
spur.
L. 28.*

68. Si procurator meus iudicatum solui satis acceperit: mihi ex stipulatu actio utilis est, sicuti iudicati actio mihi indulgetur. *L. 28. b.* (§. 67.) Actio autem iudicati mihi, auctori litis, datur. (*L. 2. tit. II. §. 79.*)

ARGUMENTVM.

69. Quae actio a procuratore est translata, in dominum, ea competit domino actionis. (§. 65.)

DEFINITIO.

70. Mandatum reuocatur, quando iudicium a procuratore transfertur.

POSITIO.

71. Sed et si egit procurator meus ex ea stipulatione me inuito, (§. 20.) nihilominus tamen mihi ex stipulatu actio tribuetur. *L. 28. b.*

PROBATIO.

Actio ex stipulatione iudicatum solui, me inuito a procuratore meo instituta, illa est, quae a procuratore ablata, et in me translata fuit, (§. 70.) quare competit mihi, vt domino, (§. 69.) igitur mihi eiusmodi actio, me inuito instituta, tribuetur.

ARGUMENTVM.

72. Eiusmodi procurator summo iure ad agendum se ingerit: (§. 52.) quae res facit, vt procurator meus ex stipulatu agendo exceptione (doli) debeat repelli. *L. 28. b.* (*L. 2. tit. 10. §. 5.*)

ANNOTATIO.

73. Sicuti, cum agit iudicati, non in rem suam datus, nec ad eam rem procurator factus. *L. 28. b.* Ego enim auctor sum: (*L. 2. tit. II. §. 79.*) et mandatum desit. (§. 64.)

ARGUMENTVM.

74. Per contrarium autem, si procurator meus iudicatum solui satisdederit, in me ex stipulatu actio non datur, quia nec iudicati mecum agi potest. *L. 28. b.* Quandoquidem satisdans ipse auctor factus est, et in eum omnis processus dirigebatur, atque sententia concipiebatur, tanquam in litis dominum. (*L. 2. tit. 3. §. 9.*) (*L. 2. tit. II. §. 79.*)

REGVLA.

75. Actionum et reorum pari iure concurrentium electio, est actoris.

ARGUMENTVM.

76. Procurator in rem suam et dominus fere eiusdem sunt conditionis, (*L. 2. tit. 14. §. 93.*) et correi credendi vel debendi, quorum vterque vel exactionem pecuniae in solidum habet, vel eiusdem pecuniae debitores sunt. (*L. 2. tit. II. §. 45. 46.*)

§. 45. 46.) cum ergo vterque pari iure debitor est: si actor malit dominum potius conuenire, quam eum, qui in rem suam procurator est, dicendum est, ei licere. *L. 29. b. (§. 75.)*

A R G V M E N T V M.

77. Actoris procurator, non in rem suam datus, propter impensas, quas in litem fecit, potest desiderare, vt sibi ex iudicatione satisfiat, si dominus litis soluendo non sit. *L. 30. b.* Est enim dominus litis et iudicatio ipsius est, (L. 2. tit. 3. §. 9.) qua de causa recte vitur iure retentionis. (§. 57.) *Paul. L. 1. Sens. L. 30.*

A R G V M E N T V M.

78. Si quis, cum procuratorio nomine condemnatus esset, haeres extiterit domino litis: iudicati actionem non recte recusabit. Hoc, si ex asse. (haeres sit) *L. 31. pr. b.* Nam haeres succedit in ciuilem defuncti personam, (L. 1. tit. 7. §. 75.) Is non iure procuratoris, sed defuncti, cui succedit, iudicati actionem agnoscere tenetur. *Vlp. L. 9. ad Ed. L. 31. pr.*

A R G V M E N T V M.

79. Sin autem ex parte haeres extiterit, et totum soluerit: siquidem ei mandatum est, hoc quoque, vt soluat, mandati actionem aduersus cohaeredem habebit. *L. 31. pr. b.* Nam et ipse cohaeres succedit in personam ciuilem defuncti mandantis. (L. 1. tit. 7. §. 75.) contra quem actio mandati competit. (L. 2. tit. 2. §. 20.)

A R G V M E N T V M.

80. Si non sit mandatum, negotiorum gestorum actio datur. *L. 31. pr. b.* Id est contraria. (L. 2. tit. 14. §. 241.)

A N N O T A T I O.

81. Quod est, etsi haeres procurator non extiterit, et soluerit. *L. 31. pr. b.*

A R G V M E N T V M.

82. Quia procurator secundum amicitiam, peritiam, et fidem eligitur (L. 1. tit. 19. §. 6.) (§. 31.) ideirco vnus litis plurium personarum plures dari procuratores, non est prohibitum. *L. 31. §. 1. b.* §. 1.

A N N O T A T I O.

83. Modo causa aduersarii inde non accipiat aliquod detrimentum. *Vid. L. 5. §. 7. ff. iudic. solui.*

A R G V M E N T V M.

84. Iulianus ait: eum, qui dedit diuersis temporibus procuratores duos: (ad eandem causam) posteriorem dando priorem prohibuisse videtur. *L. 31. §. 2. b.* quia frequens est vnum dare. (L. 1. tit. 1. §. 224.) §. 2.

R E G V L A.

85. Inter paris conditionis ad idem concurrentes, qui prior tempore is potior est iure.

A R G V M E N T V M.

86. Pluribus procuratoribus in solidum simul datis, occupantis melior *Paul. L. 8. ad Ed. L. 32.*

melior conditio erit: vt posterior non fit in eo, quod prior petit, procurator. *L. 32. b. (§. 85.)* quod prior procurator petit, in eo posterior petens procurator non est.

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 9. ad Ed. L. 33. pr. 87. Seruum quoque et filium familias procuratorem posse habere aiunt: et quantum ad filium familias verum est. (§. 12. sequ.) in seruo subsistimus. Et negotia quidem pecuniaria serui posse gerere aliquem, et hoc casu procuratorem (administrationis) eius esse admittimus, quod et Labeoni videtur: actionem autem intendere vetamus. *L. 33. pr. b.* quia seruus non habet personam standi in iudicio. (*L. 2. tit. 7. §. 10.*) nec eam procuratori largiri potest. (*L. 1. tit. 19. §. 2.*)

ARGUMENTVM.

§. 1. 88. Quoniam statu liber in euentum aliquem liber habetur. (*L. 2. tit. 4. §. 39.*) equidem seruus ab agendo repellitur. Eum vero, qui de statu suo litigat, procuratorem habere posse non dubitamus, non solum in administratione rerum, sed etiam in actionibus, quae ei vel aduersus eum competant, ex possessione siue seruitutis, siue libertatis de suo statu litigat. Ex contrario quoque cum procuratorem dari posse, manifestum est. *L. 33. §. 1. b.* De fideicommissaria libertate, quae sub conditione relicta est, haec accipio (cit. §. 39.) nam alias statu liber seruus habetur. *L. 12. §. 2. ff. Famil. herc.* At fideicommissaria libertas iure constitutionis fere pro praesenti accipitur. (*L. 2. tit. 4. §. 40.*)

OBSERVATIO.

§. 2. 89. Publice vtile est, absentes a quibuscunq; defendi. *L. 33. §. 2. b. (L. 1. tit. 8. §. 85.)*

ARGUMENTVM.

90. Nam et in capitalibus iudiciis defensio datur. Vbicunq; itaque absens quis damnari potest, ibi quemuis verba pro eo facientem, et innocentiam excusantem audiri aequum est, et ordinarium admittere. Quod ex rescripto Imperatoris nostri apparet. *L. 33. §. 2. b. (§. 89.)*

ANNOTATIO.

91. Apparitores officium suum venale habentes, absentes condemnari possunt. *L. 21. C. de poenis, tot. tit. C. Quomodo et quando iudex sententiam proferre debeat.*

ARGUMENTVM.

§. 3. 92. Ait praetor: Cuius nomine quis actionem dari sibi postulabit, is eum viri boni arbitrato defendat, et ei, quo nomine aget, id ratum habere eum, ad quem ea res pertinet, boni viri arbitrato satisfacet. *L. 33. §. 3. b. (L. 2. tit. 13. §. 61.)*

ARGUMENTVM.

§. 4. 93. Aequum praetori visum est, eum, qui alicuius nomine procurator experitur, eundem etiam defensionem suscipere. *L. 33. §. 4. b.*
ob

ob publicam defensionis vtilitatem (§. 89.) et fauorem, quem ampliari conuenit. (L. 1. tit. 1. §. 245.)

ARGVMENTVM.

94. Quoniam procurator in rem suam nihilominus alieno nomine experitur, (L. 2. tit. 2. §. 12.) tum, si quis in rem suam procurator interueniat, adhuc erit dicendum, debere eum defendere. (L. 2. tit. 2. §. 12.) nisi forte ex necessitate fuerit factus. L. 33. §. 5. b. quia tum nulla eius voluntas est, quae ampliationem reciperet, vti (§. 93.)

§. 5.

ARGVMENTVM.

95. Venditor haereditatis vi contractus tenetur, vt mandet actiones emtori, qui adeo fit procurator in rem suam, non voluntate, sed per necessariam iuris consequentiam: quare, si quis in rem suam procuratorio nomine agit, veluti emptor haereditatis, an debeat inuicem venditorem defendere? Et placet, si bona fide, et non in fraudem eorum, qui inuicem agere vellent, gestum sit negotium, non oportere eum inuicem defendere. L. 34. b.

Cai. L. 1. ad Ed. pr. L. 34.

ANNOTATIO.

96. Si in fraudem litigantium quis procurator in rem suam effectus est, voluntate et conuentione sua mandatum suscepit, cessat necessitas iuris et obtinet iuris ordinarii dispositio. (§. 91.)

ARGVMENTVM.

97. Quoniam affectata necessitas non est necessitas, (L. 3. tit. 1. §. 47.) ideo, qui fraudulenter emit haereditatem, vt iudicium forte mutaret, beneficio necessariae procurationis sese excusare non poterit, a defendendo.

ARGVMENTVM.

98. Qui sine mandato sub cautione rati ad agendum admittuntur, pro procuratoribus habentur, ob mandatum praesumptum, (L. 2. tit. 13. §. 61.) Quare non solum personae procuratorum mandato expresso instructae, sed et hae personae procuratorum debebunt defendere, quibus siue mandatu agere licet, vt puta liberi, licet sint in potestate: item parentes et fratres et adfines et liberti. L. 35. pr. b. (§. 93.) Quae coniectura circa lectionem huius textus fit G. Noodti, videre est in *Obseruati.* L. 2. c. 16. sed et sine illa textus intellectionem dat. Omissus videtur patronus, de quo tamen sigillatim in sequentibus agitur.

Vlp. L. 9. ad Ed. L. 35. pr.

ANNOTATIO.

99. Ideo autem mandatum praesumitur, quia procuratio officium et officiositas est, (§. 31.) quae in coniunctis personis regulariter praesumitur.

ARGVMENTVM.

100. Quatenus de ingratitude liberti agitur, lis priuata est, quamuis ingratitude demonstrata praecudicium fiat libertati, quae causa publica est. Proinde patronus libertum et per procuratorem, vt ingratum accusare potest, et libertus per procuratorem respondere. L. 35. §. 1. b. Alias, si ob ingratitudein probatam libertus in seruitutem reuocatur, in hoc publico iudicio

§. 1.

cio opus est, ubi procurator non admittitur, quippe qui iudicatum solui, stipulari nequit, nec in eum sententia reuocationis pronunciarī potest. *L. 13. §. 1. ff. de publ. iudic.*

A R G V M E N T V M.

§. 2.

101. Non solum autem, si actio postuletur a procuratore, sed et praeiudicium vel interdictum, vel si stipulatione legatorum vel damni infecti velit cauere: debet absentem defendere in competenti tribunali, et eadem prouincia. *L. 35. §. 2. b.* Si postuletur a procuratore sponso: nisi cohaeres absenti sum, excipere et defendere debet: ne praeiudicium hereditati fiat. *L. 1. §. 1. ff. Famil. hercisē.* Si praedii litigiosi seruitus petatur, procurator vindicationi datus defendere quoque tenetur exceptione. Quod praeiudicium praedio litigioso non fiat. Ne si meus fundus tibi seruire iudicetur, ipsum praedium litigiosum tuum esse, praeiudicetur. *L. 16. ff. de except.*

A R G V M E N T V M.

102. Officium suum nemini debet esse damnosum (§. 30.) quare in loco procurator defendere tenetur: Caeterum cogi eum etiam in prouinciam de Roma abire, vel e contrario, vel de prouincia in aliam prouinciam et defendere durum est. *L. 35. §. 2. b.*

D E F I N I T I O.

§. 3.

103. Defendere autem est, id facere, quod dominus in litem faceret, et cauere idonee. *L. 35. §. 3. b.*

A R G V M E N T V M.

104. Nec debet durior conditio procuratoris fieri, quam est domini; (Nam vicarius domini est, loco eius constitutus:) praeterquam in satisfaciendo. *L. 35. §. 3. b. (§. 92.)* Nam dominus pro se non satisfacit iudicatum solui, vel rem ratam haberi.

O B S E R V A T I O.

105. Praeter satisfactionem procurator ita defendere videtur, si iudicium accipiat. *L. 35. §. 3. b.*

A R G V M E N T V M.

106. Vnde quaesitum est apud Iulianum, an compellatur, an vero sufficiat ob rem non defensam, stipulationem committi: (et poenam aduersae parti sufficere) et Iulianus scribit Libro tertio Digestorum, compellendum iudicium accipere, nisi et agere cognita causa (iuste) recusaerit, vel ex iusta causa remotus fuerit. *L. 35. §. 3. b. (§. 31.)* quo admissio, procurator non est, proinde nec defensor. (§. 93.)

A R G V M E N T V M.

*Paul. L. 8.
ad Ed.
L. 36.*

107. Cum procurator scire possit, quid dominus facturus sit? defendere autem sit id facere, quod dominus praesens faceret. (§. 103.) Defendere videtur procurator, et si in possessionem venire patiat, cum quis damni infecti satis, vel legatorum desideret. *L. 35. §. 3. b.* Vel in operis noui nunciatione, (dum cauere detrectat) sed et si seruum ex causa noxali patiat, (quamuis noxali iudicio seruum non defendat) defendere videtur.

(Idem)

(Idem enim ipse dominus facere solet.) ita tamen, vt in his omnibus, ratam rem dominum habiturum, caueat. *L. 36. b.* Si cauet, omnino ex voluntate domini probabili videtur defendere, in id quod consultius ipsi videtur.

A R G V M E N T V M.

108. Omnium autem actionum nomine debet defendere, etiam earum, quae in haeredem non dantur. *L. 37. pr. b.* Sufficit enim, quod contra dominum dentur. (§. 103.)

Vlp. L. 9. ad Ed. L. 37. pr.

A R G V M E N T V M.

109. Vnde est quaesitum, si aduersarius plures intendat actiones, et in singulas singuli existant defensores, suscipere parati: videri eum recte defendi, Iulianus ait: Quo iure nos vti Pomponius scribit. *L. 37. §. 1. b.* Nam procurator ex vno aliquo negotio integrali aestimatur (§. 4.) vti etiam vnus litis procuratores plures dari possunt. (§. 82.)

§. 1.

A R G V M E N T V M.

110. Non tamen eo vsque procedendum erit, vt si decem millia petantur, et extant duo defensores, parati in quina defendere, audiuntur. *L. 38. b.* Iam enim amplius non est procuratio, quando vnum negotium diuiditur. (§. 4.)

Id. L. 40. ad Ed. L. 38.

O B S E R V A T I O.

III. Interrogationes in iure fieri solebant, ad euitandas captiones aduersarii. *L. 1. et 2. ff. de Interrogat.* CICERO *pro Caecina p. m. 356.* Formula interrogationis fuit: quando quidem te in iure conspicio, postulo, anne fias autor? anne haeres absit, cuius defensorem te geris? etc. conf. omnino RAEVARDVS *Protribun. cap. 5.* Hinc verosimiliter interrogatoriae actiones Ciceronis aeuo adhuc fuerunt in vsu: sub Imperatoribus in desuetudinem abierunt. *L. 1. §. 1. ff. de interrog. in iure fac.*

A R G V M E N T V M.

112. Non solum autem in actionibus et interdicitis, et in stipulationibus debet dominum defendere, verum in interrogationibus quoque, vt in iure interrogatus ex omnibus causis respondeat, ex quibus dominus. An igitur haeres sit absens, respondere debebit, et si responderit vel tacuerit, tenebitur. *L. 39. pr. b.* Nam constituit sese in ipsius absentis locum, (*L. 2. tit. 8. §. 83. §. 103.*)

Id. L. 9. ad Ed. L. 39. pr.

A N N O T A T I O.

113. Si reus tacebat, in solidum conueniebatur, videbaturque iurisdictionem praetoris contempsisse. *L. 10. ff. de interrog.* Tum ergo sacramento quaerebatur: quando neque ais neque negas, te sacramento quinquagenario prouoco. Quid hoc sibi velit, videre est supra. (*L. 2. tit. 3. §. 1.*)

A R G V M E N T V M.

114. Qui alieno nomine sine mandato (§. 98.) agit, quaecunque actionem, id ratum habiturum eum ad quem ea res pertinebit, cauere debet. *L. 39. §. 1. b.* (*L. 2. tit. 13. §. 61. 62.*) *L. 2. tit. 8. §. 84.*

§. 1.

ARGUMENTVM.

115. Sed interdum licet suo nomine procurator experiatur, tamen de rato debet cauere, vt Pomponius libro 24. scribit. Vt puta reus iusiurandum procuratori (actoris) retulit: iurauit, absenti dari oportere: agit (procurator) hoc iudicio (ex iureiurando) suo nomine, propter suum iusiurandum (L. 2. tit. 4. §. 29.) neque enim haec actio domino competere potuit, sed debet de rato cauere, (dominum ratum habiturum, quod ex suo iuramento agat) sed et si procuratori constitutum est (a debitore) vt ex ea causa (constituti) agat, (L. 2. tit. 13. §. 53.) dubitandum non est, quin locus sit de rato cautioni, idque Pomponius scribit. L. 39. §. 1. b. Nam licet suo nomine actionem instituat, cum nihilominus sine mandato pro alio petat, cautione opus est. (L. 2. tit. 13. §. 61.) L. 2. tit. 8. §. 84.)

ANNOTATIO.

116. Datus est procurator ad agendum contra debitorem, hic constituit Causam, qui pro se satisfaciatur, agit procurator: quando ex constituto suo agit, cauere tenetur de rato, cum sine mandato constituerit. (L. 2. tit. 8. §. 83.) Idem de iureiurando tenendum.

ARGUMENTVM.

§. 2. 117. Quaeritur apud Iulianum, vtrum dominum solum ratam rem habere, debet satisfacere, an etiam caeteros creditores? Et ait, duntaxat de domino cauendum: (huius enim rem curat non creditorum) nec illis verbis: Ad quem ea res pertinet: creditores contineri; nam nec ipsi domino haec incumbere cautio. L. 39. §. 2. b. (§. 103.)

ANNOTATIO.

118. Formula: Ad quos ea res pertinet: eos comprehendit, quorum eadem actio esset ex eadem causa: vt, correorum credendi. Non comprehenduntur creditores domini, vtut amissa causa debitor soluendo non fuerit, etenim in illa actione aut defensione ipsis ius nullum est.

ARGUMENTVM.

§. 3. 119. Quia dotis actio filiae est, (L. 2. tit. 14. §. 130.) si de dote agat pater, cauere debet: ratam rem filiam habituram: sed et defendere eam debet (exceptionibus: puta: Ne praedictum doti fiat; §. 101.) vt et Marcellus scribit. L. 39. §. 3. b.

ARGUMENTVM.

§. 4. 120. Filii dignitas a patre est (L. 1. tit. 5. §. 50.) inde, si pater filii nomine (ex iniuria filio illata, quae patrem non minus afficit) iniuriarum agat, (proprio nomine) cum duae sint actiones, vna patris, altera filii, cessat de rato cautio. L. 39. §. 4. b.

ARGUMENTVM.

§. 5. 121. Si status controuersiam cui faciat procurator, (generali mandato instructus) siue ex seruitute in libertatem aduersus eum quis litiget, siue ipse ex libertate in seruitutem petat; debet cauere, ratam rem dominum habiturum. Et ita Edicto scriptum est, vt ex vtroque latere quasi

quasi actor habeatur. *L. 39. §. 5. b.* (L. 2. tit. 13. §. 61.) quia de tali tanquam insolenti, non cogitatum, adeoque nec mandatum praesumitur. (L. I. tit. I. §. 198.)

ANNOTATIO.

122. Siue hic procurator seruo contradicat, qui ad libertatem proclamat, siue quem in seruitutem vindicet, utroque modo quasi actor habetur: Nam omnes homines magis liberos praesumi quam seruos, tum natura effecit, (L. I. tit. I. §. 320.) tum fauor libertatis suafit. Propterea is, qui vindicias secundum libertatem postulat, in naturali statu libertatis se fundat, qui eundem in seruitute retinere contendit, in facto ius ponit, et prouocantem ex ordinario hominum statu in extraordinarium adscititumque petit: exinde et tum actoris vice, non defensoris fungi visus est.

ARGUMENTVM.

123. Est et casus, quo quis eiusdem actionis nomine, et de rato §. 6. caueat, et iudicatum solui. Ut puta, postulata est cognitio de in integrum restitutione, cum minor circumscriptus in venditione diceretur: alterius (litigatoris) procurator existit. Debet cauere hic procurator (restitutioni contradicens) et ratam rem dominum habiturum; ne forte dominus reuersus velit quid petere: (ex contractu, quo circumscriptus est minor) idem iudicatum solui, vt, si quid forte propter hanc restitutionem in integrum praestari adolescenti debeat, (indemnitate causa) hoc praestetur. Et haec ita Pomponius Libro 25. ad Edictum scribit. *L. 39. §. 6. b.* (L. 2. tit. 13. §. 62.) Nam et restitutio casus est extraordinarius, de quo, in mandato cogitatum esse non praesumitur; ergo nec mandatum (L. I. tit. I. §. 198.) Idem in iudiciis duplicibus. (§. 43. 44.)

ANNOTATIO.

124. Item ait, si suspectus tutor postuletur, defensorem eius oportere etiam de rato cauere: ne reuersus ille velit retractare, quod actum est. *L. 39. §. 7. b.* (L. 2. tit. 8. §. 82. 84.) §. 7.

ARGUMENTVM.

125. Accusatio suspecti est causa famae ob calumniae condemnationem. (L. 3. tit. 2. §. 2.)

OBSERVATIO.

126. Causa famae paene capitis est. CICERO *pro Roscio p. 229.* (L. 3. tit. 2. §. 64.)

HYPOTHESIS.

127. Capitis causa omnisque res magni praeiudicii procuratori difficulter committitur, et mandata esse non praesumitur. (L. I. tit. I. §. 224.)

POSITIO.

128. Suspectus non facile per procuratorem accusatur.

PROBATIO.

Capitis et adeo famae causa non praesumitur mandata esse procuratori (§. 127.) Est autem accusatio suspecti causa famae (§. 126.) quare non facile accusatio haec per procuratorem agitur.

ANNOTATIO.

129. Hoc habet textus: sed non facile per procuratorem quis suspectus accusabitur, quoniam famae causa est, nisi constet, ei a tutore mandatum nominatim: aut si etiam absente tutore, quasi non defenderetur, praetor erat cogiturus. *L. 39. §. 7. b.* Textum ita capio: si ex speciali mandato videre est, suspecti contutoris accusationem procuratori commissam esse a tutore absente, tum procurator ad accusandum admittitur: item, si absente tutore, contutor inprobe versari dicatur, praetor autem de suspecto cognoscere instituit, eodem casu iterum procurator tutoris absentis ad auertendum a se periculum neglectae postulationis suspecti ad accusandum prodire potest.

ANNOTATIO.

130. Opus non est correctione exemplarium quorundam contra Florentinum legentium: *excusabitur pro: accusabitur.* Nam commoda satis est haec explicatio.

ANNOTATIO.

Id. L. 9. ad Ed. L. 40. pr. L. 40. pr. b. 131. Ex dictis itemque ex sequentibus consequitur, quod Pomponius scribit: non omnes actiones per procuratores posse quem instituere.

ARGUMENTVM.

132. Procurator difficilior nosse potest liberos quam pater. Vnde iterum Pomponius: Denique ut liberi, qui in potestate absentis dicuntur, ducantur, interdictum (de liberis exhibendis et ducendis) non posse desiderare (Procuratorem) ait: nisi ut Iulianus ait: causa cognita, (L. 1. tit. 7. §. 61.) id est: si et nominatim ei mandatum sit, et pater valetudine vel alia iusta causa impediatur. *L. 40. pr. b.*

ARGUMENTVM.

§. 1. 133. Si stipuletur procurator damni infecti vel legatorum, debet de rato cauere. *L. 40. §. 1. b.* Ne dominus postea magis missionem (L. 2. tit. 1. §. 4.) pati malit. (L. 2. tit. 8. §. 87.)

ARGUMENTVM.

§. 2. 134. Vbi periculum laesionis metuendum venit, ibi cautionis remedium indulgendum. (L. 2. tit. 8. §. 87.) Vnde Vlpianus ait: sed et is, qui quasi defensor in rem actione conuenitur, praeter solitam satisfactionem iudicatum solui, etiam de rato debet cauere. Quid enim, si in hoc iudicio rem meam esse, pronuncietur, reuersus ille, cuius defensor extiterat, velit fundum vindicare: nonne ratum non videbitur habere, quod iudicatum est? *L. 40. §. 2. b.*

ANNOTATIO.

135. Denique si verus procurator extitisset, vel ipse praesens (dominus) causam suam egisset, et victus esset: si a me vindicaret, (aut procurator, si dominus, aut dominus, si procurator egit) exceptione rei iudicatae summoueretur: et ita Iulianus Libro 50. Digest. scribit: Nam cum iudicatur, rem meam esse, simul iudicatur illius non esse. *L. 40. §. 2. b.*

(L. 1.

DE PROCURATORIBVS ET DEFENSORIBVS. TIT. III. 55

(L. 1. tit. 19. §. 5.) Tantum ergo interest in hac specie, dominum ipsum agere causam, et defensorem intercedere.

R E G V L A.

136. Procurator, cui remissa est cautio de rato, non debet cogi cauere de rato. (L. 1. tit. 7. §. 92.)

O B S E R V A T I O.

137. Quando cautio de rato ante litem contestatam non est postulata, sed demum post litem contestationem, tum postulata non est, ante istum actum, cuius causa postulari solet et debet.

P O S I T I O.

138. Post litem contestationem procurator non debet cauere de rato.

P R O B A T I O.

Cautio de rato post eum actum postulatur, ob quem postulari debebat, antequam fieret, si post litem contestatam petitur. (§. 137.) atque adeo censetur tacite remissa. (L. 1. tit. 1. §. 199.) ideo procurator ad cautionem de rato praestandam non compellitur, post litem contestationem.

A N N O T A T I O.

139. Huc pertinet textus: Ratihabitionis autem satisfactio ante litem contestationem a procuratore exigitur: caeterum semel lite contestata non compelletur ad cautionem. L. 40. §. 3. b. §. 3.

A R G V M E N T V M.

140. In his autem personis, in quibus mandatum non exigimus, (§. 98. 99.) dicendum est, si forte evidens sit, contra voluntatem eos experiri eorum, pro quibus interueniunt, debere eos repelli: ergo non exigimus, vt habeant voluntatem vel mandatum, sed ne contraria voluntas probetur, quamuis de rato offerant cautionem. L. 40. §. 4. b. Nam praesumptio (L. 2. tit. 8. §. 85.) nil valet contra veritatem. (L. 1. tit. 1. §. 224.) §. 4.

A R G V M E N T V M.

141. Foeminis regulariter non licet, esse procuratores pro aliis. L. 2. pr. ff. de R. I. (L. 3. tit. 1. §. 8.)

A R G V M E N T V M.

142. Foeminas pro parentibus agere interdum permittetur causa cognita: si forte parentes, morbus aut aetas impediatur, nec quenquam, qui agat, habeant. L. 41. b. quoniam ex pietate non procacia accedunt. (§. 141.) L. 3. tit. 1. §. 9. 10.) Paul. L. 9. ad Ed. L. 41.

O B S E R V A T I O.

143. Interdum Ius totius populi ita laeditur, vt alicuius priuatum quoque, et prae caeteris intersit.

A R G V M E N T V M.

144. Licet in popularibus (L. 2. tit. 1. §. 15.) actionibus procurator dari non possit, (quia priuati tantum iuris vicarius est. (L. 1. tit. 19. §. 6.) neque quod populi est, alii ex populo mandare potest, cum non minus mandatarii proprium Id. L. 8. ad Ed. L. 42. pr.

prium fuerit.) tamen dictum est, merito eum, qui de via publica agit, et priuato damno ex prohibitione afficitur, quasi priuatae actionis dare posse procuratorem. Multo magis dabit ad sepulchri violati actionem is, ad quem ea res pertinet. *L. 42. pr. b.* quia res religiosa cum ipso sepulchro diis manibus relicta, priuato iure exenta videbatur, cum tamen ius inferendi mortuum, esset alicuius priuati. (L. I. tit. 8. §. 6.) Iung. (§. 173. sequ.)

OBSERVATIO.

145. Interest reipublicae, ciues esse integrae famae et existimationis.

ARGUMENTVM.

§. 1. 146. Ad actionem iniuriarum ex lege Cornelia procurator dari potest: nam etsi pro publica vtilitate exercetur, (§. 145.) priuata tamen est. *L. 42. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

§. 2. 147. Ea obligatio, quae inter dominum et procuratorem consistere solet, mandati actionem parit. *L. 42. §. 2. b.*

POSITIO.

148. Inter procuratorem in rem suam et mandantem ex necessitate non contrahitur obligatio mandati.

ANNOTATIO.

149. Hic ait textus: Aliquando tamen non contrahitur obligatio mandati, sicut euenit, cum in rem suam procuratorem praestamus, eoque nomine iudicatum solui, promittimus. *L. 42. §. 2. b.*

PROBATIO.

Domino negotium suum mandari nequit (L. I. tit. 8. §. 61.) et procurator in rem suam fere dominus est, (§. 76.) qua de causa mandati obligatio contrahi non potest inter dominum et procuratorem in rem suam, cum obligatio haut aliter consistere possit, quam mancipatione voluntatis, vel rei vnius, alteri facta. (L. I. tit. I. §. 194. 202.)

ANNOTATIO.

150. Nam si ex ea promissione aliquid praestiterimus, non mandati, sed ex vendito, si haereditatem vendidimus, vel ex pristina causa mandati agere debemus: vt fit, cum fideiussor reum procuratorem dedit. *L. 42. §. 2. b.*

DEFINITIO.

151. Actio venditi est postulatio venditoris contra emptorem, vt pretium soluat, et quod bona fides contractus poscit, praestet.

DEFINITIO.

152. Actio empti est postulatio emptoris contra venditorem, vt mercem tradat, et omnia, quae bona fides poscit, praestet.

DEFINITIO.

153. Sctum Trebellianum est iuris dispositio, qua cauetur, vt si haereditas ex fideicommissi causa restituta sit, omnes actiones, quae iure ciuili haereditas

et

et in haeredem competent, ei et in eum darentur, cui ex fideicommissio restituta esset haereditas. §. 4. *I. de fideicomm. haered.*

ARGVMENTVM.

154. Ob separata fideicommissarii et fiduciarii haeredem iura, is, cui haereditas ex Trebelliano Senatusconsulto restituta est, haeredem iure dabit procuratorem. *L. 42. §. 3. b.* Est enim alieni iuris vicarius (*L. 1. tit. 19. §. 6.*) et contrahitur inter eos obligatio mandati. (*L. 1. tit. 8. §. 61.*) §. 120.) §. 3.

DEFINITIO.

155. Pignus est res creditori tradita, ea qualitate affecta, vt securitatem crediti praestet.

POSITIO.

156. Sed et dominum pignoris creditor recte dabit procuratorem ad Seruianam. *L. 42. §. 4. b.* §. 4.

PROBATIO.

Actio Seruiana est iuris et facultatis creditoris (*L. 2. tit. 14. §. 103. 104.*) non autem simul iuris et facultatis domini pignoris (§. 155.) quando autem caeteris paribus, quis procuratorem in re suae facultatis dat, quae in facultate procuratoris pari iure non sit, tum is eum procuratorem recte dat: hoc est, obligatio ex mandato inter eos subsistit (*L. 1. tit. 8. §. 61.*) *L. 1. tit. 19. §. 6.*) ergo creditor dominum pignoris ad actionem Seruianam ad consequendam pignoris possessionem recte, et cum effectu obligationis mandati dabit.

ARGVMENTVM.

157. Correorum credendi et debendi alter debitum accipiendo, aut alter soluendo, perimit caeterorum obligationem. §. 1. *I. de duob. reis stipul.* (*L. 2. tit. 11. §. 45. 46.*)

ARGVMENTVM.

158. Porro, si vni ex reis credendi constitutum sit, isque alium (reum credendi) in constitutam pecuniam (procuratorem) det: non negabimus posse dare (vt mandati obligatio inter eos sit); sed et ex duobus reis promittendi, alter alterum ad defendendum procuratorem dabit. *L. 42. §. 5. b.* Constitutum est sic, vt in quod omnes conueniri poterant, iam vnus constituens conueniri tantum possit. (*L. 2. tit. 13. §. 53.*) Per hoc disparatum est ius correorum tam credendi quam debendi, vt alter alterius procurator esse possit. (§. 154. 156.) §. 5.

REGVLA.

159. Nemo potest simul actoris et rei loco stare ad idem subiectum.

ANNOTATIO.

160. In iudiciis duplicibus, quilibet actor et reus est, sed non ad idem subiectum; quilibet enim partem diuersam petit, diuersam negat.

ARGVMENTVM.

161. Si plures haeredes sint, et familiae herciscundae aut communis diuidundo agatur, pluribus eundem procuratorem non est permitendum dare, quoniam res (diuisio rerum) expediri non potest circa ad-

iudicationes et condemnationes. *L. 42. §. 6. b.* Id est, confusio oriretur, cui dominorum quid adiudicaretur vel denegetur, dum sententia in eundem procuratorem conciperetur.

ARGUMENTVM.

162. Plane permittendum dare, si vni cohaeredi plures haeredes existant. *L. 42. §. 6. b.* omnes enim simul et singuli quoque sunt loco vnius defuncti. (*L. 1. tit. 7. §. 75.*)

ARGUMENTVM.

§. 7. 163. Reo latitante post litem contestatam, ita demum fideiussores (iudicio sistendi causa dati) eum defendere videbuntur, si vel vnus ex his eum pro solido defendat, vel omnes, vel qui ex his vnum (procuratorem) dederint, in quem iudicium transferatur. *L. 42. §. 7. b.* Est enim mandati obligatio inter debitorem et fideiussores (*L. 2. tit. 2. §. 21.*) fideiussores sunt eius procuratores, ergo defendere tenentur, (§. 93.) At ne defensio per plures distracta turbetur, omnes vnum procuratorem constituere tenentur.

ARGUMENTVM.

Id. L. 9. ad Ed. L. 43. 164. Mutus et surdus per eum modum, qui procedere potest, procuratorem dare non prohibetur. Forsitan et ipsi dantur, non quidem ad agendum (*L. 3. tit. 1. §. 5.*) sed ad administrandum. *L. 43. pr. b.* Ergo per signa vel scripturam procuratorem dabit. (*L. 1. tit. 1. §. 213.*)

ANNOTATIO.

§. 1. 165. Cum quaeretur, an alicui procuratorem habere liceat, inspiciendum erit, an non prohibeatur procuratorem dare? quia hoc edictum prohibitorium est. *L. 43. §. 1.* non enim ideo, quod quis non habeat procuratorem, dicendum est, ei non licere habere.

ARGUMENTVM.

§. 2. 166. In popularibus actionibus, vbi quis quasi vnus ex populo agit, defensionem (populi) vt procurator (§. 93.) praestare cogendus non est. *L. 43. §. 2. b.* Nam procurator non est, qui suo iure agit. (*L. 1. tit. 19. §. 6.*) (§. 144.) *L. 2. tit. 1. §. 16.*)

DEFINITIO.

167. Curator est persona, muneris publici ratione negotia et bona eius administratione, consilio et consensu regens, qui his ipse praesse aequit.

ARGUMENTVM.

168. Furiosus, prodigus, infirmus, curatore opus habent. *Caius Instit. L. 1. tit. 3.* Adulto ergo praesenti curator non datur, nisi ob infirmitatem vel aliam causam consentiat, reliquis inuitis quoque curator datur; et sequens textus nihil habet, cur adolescenti nolenti non detur, vt vulgo docetur.

ARGUMENTVM.

§. 3. 169. Is, qui curatorem alicui praesenti petat, non aliter audietur, nisi adulto consentiente. *L. 43. §. 3. b.* (§. 167.) *Conf.* (*L. 4. tit. 4. §. 5.*) Adulto etiam nolenti curator datur: sed vt audiat is qui petit, consensu eius opus est.

ARGVMENTVM.

170. Quodsi absenti, ratam rem eum habiturum, necesse habet §. 4.
dare. *L. 43. §. 3. b.* Etenim defensorem agit. (*L. 2. tit. 8. §. 84.*)

ANNOTATIO.

171. Poena non defendentis procuratoris haec est, vt denegetur ei
actio. *L. 45. §. 4. b.* Nempe mandati, contra dominum ex actione vel gestione
competens, ad quam datus erat. (*L. 2. tit. 2. §. 21.*)

REGVLA.

172. Remedium subsidiarium cessat, dum sufficit ordinarium.

ARGVMENTVM.

173. Si procurator agat, et praesens sit (actoris) absentis seruus: A- §. 5.
tolicinus ait: seruo cauendum, non procuratori. *L. 43. §. 5. b.* Siquidem
ipfi dominus directe per seruum acquiritur cautio. (*L. 1. tit. 6. §. 4.*)

ARGVMENTVM.

174. Qui non cogitur defendere absentem, (e. gr. procurator in rem §. 6.
suam iuris necessitate factus. (§. 149.) tamen, si iudicatum solui satisdedit
defendendi absentis gratia, cogendum procuratorem iudicium accipe-
re; ne decipiatur is, qui satis accepit: Nam eos, qui non coguntur
rem defendere, post satisfactionem cogi. (cauendo partes defensoris ipso
facto quis suscipit. Quandoquidem cautio defensionem tanquam consequentiae prae-
iudicat. (*L. 1. tit. 1. §. 241.*) Labeo, causa cognita temperandum, et si ca-
ptio actoris sit propter temporis tractum, iudicium eum accipere co-
gendum. (Si actio tempore sit peritura.) Quodsi aut affinitas dirempta sit, *Vlp. L. 7.*
(*L. 3. tit. 1. §. 43. 44.*) aut inimicitiae intercesserint, aut bona absentis *Dispur.*
possideri coeperint: *L. 43. §. 6. b.* vel si longinquo sit abfuturus, vel *L. 44.*
alia iusta causa interuenerit *L. 44. b.* Non cogendum. *L. 45. pr. b.*
Nam officium nemini debet esse damnosum. (§. 30. 31.) *Paul. L. 9.*
ad Ed.
L. 45. pr.

ANNOTATIO.

175. Sabinus autem nullas Praetoris partes esse ad compellendum
defendere, sed ex stipulatu ob rem non defensam agi posse: ac si iu-
stas causas habeat, cur iudicium accipere nolit, fideiussores (quos de-
dit, iudicatum solui) non teneri, quia vir bonus arbitraturus non fuerit,
vt qui iustam excusationem adferret, defendere cogeretur. Sed et si
satis non dedit, sed promittenti ei creditum est, idem statuendum est.
L. 45. pr. b. Paulus, pro more suo, strictam iuris consequentiam sequitur, et
quia stipulatio praetoria est, praetoris imperio locum concedit. Labeo de stricto
stipulationis iure nihil quidem remittit, at praetorem demum in casum damni ir-
reparabilis admittit, vt defensorem actionem suscipere cogat. Sabinus inter prae-
toriam et communem stipulationem non distinguit: praetorem iurisdictionem su-
am tueri vetat. (§. 106.)

ARGVMENTVM.

176. Qui ita de publico agunt, vt et priuatum commodum de- §. 1.
fendant,

sendant, (vt supra (§. 144.) causa cognita permittuntur procuratorem dare: et postea alius agens exceptione repellitur. *L. 45. §. 1. b.*

ARGUMENTVM.

- §. 2. 177. Procuratori media et annexa mandata sunt, cui fias mandatus est. (L. 1. tit. 1. §. 172.) Vnde, si procuratori (ad aedificandum constituto) opus nouum nunciatum sit, isque interdicto vtatur, ne ei vis fiat aedificanti, defensoris partes eum sustinere, nec compelli cauere, ratam rem dominum habiturum, Iulianus ait: quia interdicti vsus mandato comprehenditur. (L. 2. tit. 1. §. 5.) L. 1. tit. 1. §. 172.) Et si satisdederit, non animaduerto, inquit Iulianus, quo casu stipulatio committatur. *L. 45. §. 2. b.* Nam domini mandantis rati habitio expectari non debet. (L. 1. tit. 8. §. 63.)

ANNOTATIO.

- Cai. L. 3. ad Ed. pr. L. 46. pr.* 178. Qui proprio nomine iudicium accepisset, si vellet procuratorem dare, in quem actor transferat iudicium, audiri debet: solenniterque pro eo iudicatum solui, satisfactione cauere. *L. 46. pr. b. (§. 62.)*

ARGUMENTVM.

- §. 1. 179. Ei, qui defendit eum, cuius nomine ipse non agat, (ad actiones procurator constitutus non sit,) liberum est, vel in vnam rem defendere. *L. 46. §. 1. b. (§. 108.)* secus, si procurator esset integrae alicuius litis, cuius etiam omnes defensiones suscipere teneretur, praeiudicii, interdicti. etc. (§. 101.)

ARGUMENTVM.

- §. 2. 180. Qui alium defendit, satisfacere cogitur. Nemo enim alienae litis idoneus defensor sine satisfactione intelligitur. *L. 46. §. 2. b. (L. 2. tit. 8. §. 84.)*

ARGUMENTVM.

181. Qui mandat negotium suum, non alienat, sed manet dominus negotii: procurator officium exhibet, nihil tamen de bonis suis per hoc donat. Quapropter mandatum est contractus bonae fidei, vi cuius neuter contrahentium detrimentum bonorum pati debet, ita enim conuenit. (§. 28.)

DEFINITIO.

182. Actio b. f. est, quae ex negotio b. f. oritur, vel ex aequitate datur. Defensor absolutus est, actor vult restitui, defensor est, si restitutioni contradicat.

DEFINITIO.

183. Iudicium b. f. est, in quod actio b. f. deducta est.

ARGUMENTVM.

- §. 3. 184. Item quaeritur: si iudicium acceperat defensor, (rei) et actor in integrum restitutus sit, an cogendus sit, restitutorium iudicium accipere? et magis placet cogendum. *L. 46. §. 3. b.* Nam si restitui patitur, actio ipsi eripitur, et non defendit.

ARGUMENTVM.

- §. 4. 185. Procurator, vt in caeteris quoque negotiis gerendis, ita et in litibus, ex bona fide rationem reddere debet. (§. 181.) Itaque quod ex lite consecutus erit, siue principaliter ipsius rei nomine, siue extrin-

trinfecus ob eam rem, debet mandati iudicio restituere, vsque adeo, vt etfi per errorem aut iniuriam iudicis non debitum consecutus fuerit, id quoque reddere debeat. *L. 46. §. 4. b. (§. 181.)*

ARGUMENTVM.

186. Item contra, quod ob rem iudicatam procurator soluerit, contrario mandati iudicio (*L. 2. tit. 2. §. 20.*) recipere debet *L. 46. §. 5. b. (§. 181.)* §. 5.

ARGUMENTVM.

187. Poenam autem, quam ex suo delicto praestitit, recipere non debet. *L. 46. §. 5. b.* haec extra mandatum est. (*L. 2. tit. 2. §. 20.*) Nam culpa sua cuique nocet. (*L. 1. tit. 1. §. 85.*)

ARGUMENTVM.

188. Litis impendia, bona fide facta, vel ab actoris procuratore vel a rei, debere ei restitui, aequitas suadet. *L. 46. §. 6. b.* Aequitas suadet, id est, consequentia immediata, e natura contractus sese sponte praebens. (*§. 181.*) (*L. 1. tit. 1. §. 260.*) *L. 2. tit. 2. §. 1.* §. 6.

ARGUMENTVM.

189. Si duobus mandata sit administratio negotiorum (non omnium, sed diuersorum inter ambos diuisorum) quorum alter debitor sit mandatoris: an alter cum eo recte acturus sit? et utique recte. Non enim ob id minus procurator intelligitur, quod is quoque, (debitor scilicet) cum quo agitur, procurator sit. *L. 46. §. 7. b.* Nam et hic debitoris causa a procuratoris officio diuersa est: (*§. 154. sequ.*) siquidem alterius administratio esse videtur, qui debitor non est, exigere a debitore. §. 7.

ARGUMENTVM.

190. Qui duos procuratores omnium rerum suarum (singulos in solidum) relinquit, nisi nominatim praecepit, vt alter ab altero pecuniam petat, non videtur mandatum vtrilibet eorum dedisse. *L. 47. b.* Eiusdem exactionis ipse debitor procurator est, qui exigenti respondere potest, sibi mandatum esse, quod exequi incipit, et se a se ipso exacturum debitum. Hoc e sequentis §. exceptionibus dilucide apparet: nec non, quod separata procuratio in §. 189. intelligi debeat. *Vlp. L. 4. ad Vrf. Fer. L. 47.*

ARGUMENTVM.

191. Itaque, si hoc specialiter mandatum est, tunc excipiente eo, cum quo agitur: si non mihi mandatum sit, vt a debitoribus peterem: actorem ita debere replicare: aut si mihi (specialiter) mandatum est, vt a te peterem. *L. 48. b.* Haec ex antecedentibus manifesta sunt. *Cai. L. 3. ad Ed. pr. L. 48.*

ANNOTATIO.

192. Apparet inde exceptiones et replicationes per interrogationes spondionesque fundatas fuisse. (*L. 2. tit. 3. §. 1. 9.*) Si non mihi mandatum sit, dare spondes, aut nisi mihi mandatum est, dare spondes.

ARGUMENTVM.

193. Ignorantis domini conditio deterior per procuratorem fieri *Paul. L. 54. ad Ed. non L. 49.*

non debet. *L. 49. b.* Nam officium administrantis est, rem saluam praestare. (L. 2. tit. 14. §. 180. 181.) Quando conditionem domini deteriore facit, contra procurationis legem et voluntatem domini agit, et ex huiusmodi eius facto dominus non obligatur, quia extra mandatum est. (L. 1. tit. 19. §. 6.) Ad haec ergo speciale mandatum requiritur, ne dominus ignoret.

ARGUMENTVM.

Cai. L. 22. ad Ed. pron. L. 50. 194. Quaecunque ratione procurator tuus a me liberatus est, id tibi prodesse debet. *L. 50. b.* quia quaelibet liberatio debitum vel obligationem extinguit. (L. 2. tit. 7. §. 30.)

DEFINITIO.

195. Idoneum in quocunque genere dicitur, quod cum effectu quid est.

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 60. ad Ed. L. 51. pr. 196. Minor 15. annis, si defensor existat, ex quibus causis in integrum restitui possit, defensor idoneus non est: quia et ipsi (contra cautionem de rato vel iudicatum solui, §. 180.) et fideiussoribus eius per in integrum restitutionem succurritur. *L. 51. pr. b.*

DEFINITIO.

197. Beneficium competentiae est fauor debitori competens, qui citra factum suum in debitum incidit, ut non amplius soluat, quam facere potest. Id est, ut ipsi reliqua sint, sine quibus se exhibere nequit.

ANNOTATIO.

198. Sic maritus, dominus dotis civilis, soluto matrimonio dotem soluere compellitur: sed aequitati conuenit, eum non amplius, quam facere potest, teneri. (§. 197.)

ARGUMENTVM.

§. 1. 199. Quoniam tamen defendere est eandem vicem, quam reus, subire (§. 103.) defensor mariti (in) amplius, quam maritus facere possit, non est condemnandus. *L. 51. §. 1. b.* (§. 104. 198.)

§. 2.

Paul. L. 57. ad Ed.

L. 52.

Vlp. L. 60. ad Ed.

L. 53.

Paul. L. 50. ad Ed.

L. 54. pr.

200. Is, qui suscepit defensionem, etsi locupletissimus est, *L. 51. §. 2. b.* Etsi consularis sit, *L. 52. b.* Non videtur defendere, nisi satisfacere fuerit paratus. *L. 53. b.* (§. 180.)

ARGUMENTVM.

201. Neque foemina (L. 2. tit. 13. §. 108. (L. 3. tit. 1. §. 9.) neque miles (§. 25.) neque qui reipublicae causa abfuturus est, (§. 31.) aut morbo perpetuo tenetur, aut magistratum initurus est (§. 31.) aut inuitus iudicium pati non potest (§. 196.) idoneus defensor intelligitur. *L. 54. pr. b.*

DEFINITIO.

202. Forum contractus est, quoties quis iure certi alicuius fori contraxisse reputatur, ut secundum istius loci ius iudicetur.

ARGUMENTVM.

§. 1. 203. Tutores, qui in aliquo loco administrauerunt, eodem loco
et

et defendi debent. *L. 54. §. 1. b.* Ne officii sui onerosior et difficilior defensio euadat. (*§. 30.*)

ARGUMENTVM.

204. Do procuratorem in rem suam, sed ago ad idem, ad quod in rem suam procurator agit. Hic mihi praefertur, quia ipse litem vel negotium istius feci, (*§. 55.*) Sic ergo ait textus: Procuratore in rem suam dato, praefertendus non est dominus procuratoris in litem mouendam vel pecuniam suscipiendam, qui enim suo nomine vtiles actiones habet, rite eas intendit. *L. 55. b.*

Vlp. L. 65. ad Ed. L. 5.

DEFINITIO.

205. Adminiculum est, sine quo finis et vsus rei non est.

REGVLA.

206. Adminiculum rei de ipsa re est.

ARGUMENTVM.

207. Ad rem mobilem petendam datus procurator ad exhibendum recte agat. *L. 56. b.* Ad exhibendum actio instruit petitionem. (*L. 2. tit. 7. §. 12.*) et est de negotio mandato. (*§. 206.*)

Id. L. 66. ad Ed. L. 56.

ARGUMENTVM.

208. Qui procuratorem dat, vt confestim agat, is intelligendus est permittere procuratori, et postea litem peragere. *L. 57. pr. b.* Nam qui mandat, vt confestim agatur, omnino mandat, vt agatur. (*L. 1. tit. 1. §. 237.*)

Id. L. 74. ad Ed. L. 57. pr.

ARGUMENTVM.

209. Si quis remittit exceptionem procuratoriam (deficientis mandati) non poterit ex poenitentia eam opponere. *L. 57. §. 1. b.* (*L. 1. tit. 7. §. 92.*)

§. 1.

REGVLA.

210. Procurator, cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest exigere, aliud pro alio permutare, (quod de fungibilibus capiendum est. *L. 63. b.*) *L. 58. b.* Sed et id quoque ei mandari videtur, vt soluat creditoribus. *L. 59. b.* Nam haec sub administrationis voce veniunt. (*L. 2. tit. 14. §. 180.*)

Paul. L. 71. ad Ed. L. 58. Id. L. 10. ad Plaus. L. 59.

POSITIO.

211. Mandato generali non contineri etiam transactionem decidendi causa interpositam. *L. 60. b.*

Id. L. 4. Resp. L. 60.

PROBATIO.

Qui transigit rem vel ius pro parte, ad minimum gratis dimittit. (*L. 1. tit. 19. §. 9.*) At donare et rem vel ius administrationis suae remittere non potest administrator. (*L. 2. tit. 14. §. 181.*) ergo procurator, qui generale mandatum liberae administrationis habet, non transigit decidendi causa.

ANNOTATIO.

212. Haec lex non tantum de procuratore ad litem dato, sed de eo quoque, qui negotiis datus est, accipi debet. Nam transigens semper actionem remittit. Quanquam autem aliquid ex transactione recipiat, vtrum satis an minus recipiat, dubium

dubium

dubium est. Vnde ad minimum licentiam donandi sibi sumit. Quod non donauerit, nunquam probare potest: non ergo potest haberi pro eo, qui non donarit. CUIACII emendationem *decidendi in deminuendi* recte superuacaneam iudicat G. NOODT *de Pact. et Transact. c. 17.*

ARGUMENTVM.

213. Et ideo, si postea is, qui mandauit, transactionem ratam non habuit, non posse eum repelli ab actionibus exercendis. *L. 60. b.* quia factio alieno iure suo exui nequit. (*L. 3. tit. 1. §. 66.*),

REGVLA.

*Id. L. 1. ad
Plaut.
L. 61.*

214. Plautius ait: procuratorem damnatum non debere conueniri (actione iudicati) nisi aut in rem suam datus esset: (Nam hic prorsus est auctor litis. (*L. 2. tit. 2. §. 12.*) aut obtulisset se, cum sciret (a domino litis) cautum non esse, (iudicatum solui) omnibus placuit. (Tum enim ipse auctor factus est, qui iudicatum solui satisdedit.) (*L. 2. tit. 2. §. 12.*) Idem erit obseruandum, et si defensoris loco cum satisfactione se liti obtulerit. *L. 61. b.* CUIACIUS *L. 14. obs. 30.*

DEFINITIO.

215. Interdictum praetoris est edictum, quo ius cuiusque contra factio turbantem praetor tuetur.

DEFINITIO.

216. Interdictum de tabulis exhibendis est postulatio ex edicto praetorio, qua is cuius interest tabulas exhiberi, contra negantem factique lucrum facientem, ad exhibitionem, vel eius quod interest, praestationem agit.

ANNOTATIO.

217. Interdictum, quasi interim dictum, donec de pleniori iure constet, deriuatum coniiicit ALCIATVS *Parergon. L. 3. c. 15.* at interdictum de mortuo inferendo; de glande legenda, ius quoddam plenius non expectant.

ARGUMENTVM.

*Pomp. L. 2.
ex Plaut.
L. 62.*

218. Ad legatum petendum procurator datus, si interdicto vtatur aduersus haereditem: de tabulis exhibendis: procuratoria exceptio: quasi non et hoc esset mandatum, non obstat. *L. 62. b.* Est enim medium ad fundandam actionem ex testamento, quae mandata est. (*§. 205. 206.*)

ARGUMENTVM.

*Modest. L. 6.
Diff.
L. 63.*

219. Procurator totorum bonorum, cui res administrandae mandatae sunt, res domini neque mobiles vel immobiles, neque seruos (seruos) sine speciali domini mandatu alienare potest: (Etenim per hos actus non administrat. (*L. 2. tit. 14. §. 181.*) nisi fructus aut alias res, quae facile corrumpi possunt. *L. 63. b.* videlicet haec administratio est, quae massam bonorum indemnem efficit. (*L. 2. tit. 14. §. 180.*)

POSITIO.

*Id. L. 3. Reg.
L. 64.*

220. Is, cuius nomine defensor extitit, si ante litem contestatam in praesentia fuerit, et postulet suo nomine litem suscipere, causa cognita audiendus est. *L. 64. b.*

PROBATIO.

Satis apertum est, quod dubitetur: an bene et sine praeiudicio defensoris petatur defensio, quando ipse reus litem suscipere postulauit, quandoquidem ob existimationem vel cautiones (§. 180.) defensoris inultum interesse potest. (§. 54.) opus autem est causae cognitione, quando dubitatur: an bene aliquid petatur. (L. I. tit. 7. §. 61.) ergo causae cognitione opus est, quando is praefens litem suscipere postulauit, cuius nomine defensor extitit. Quodsi nullum praeiudicium defensori creetur, audiendum esse dominum, demonstratione non indiget. (§. 45.)

ARGUMENTVM.

221. Mutare licet procuratorem propter eius absentiam (§. 48.) sed si procuratorem absentem dominus satisfactione releuare velit, litteras suas ad aduersarium dirigere debet, quibus significet, quem aduersus eum procuratorem, et in qua causa fecerit, ratumque se habiturum, quod cum eo actum sit. Hoc enim casu litteris eius approbatis, velut praesentis (domini, non absentis procuratoris) procuratorem interuenire, intelligendum est. *L. 65. b.* Alias contra naturam obligationis et aequitatem facto alieno oneraretur aduersarius. (L. 3. tit. 1. §. 66.)

Id. L. sing. de Eurem. L. 65.

ANNOTATIO.

222. CUIACIVS vult abundare verba: causa cognita. *L. 22. Obs. 11.* Cautio, iudicatum solui, etiam sine denunciatione in dominum committitur iuris dispositione, quia in rem concepta est. (§. 64. sequ.)

ARGUMENTVM.

223. Itaque et si postea (quam denunciauit aduersario) mutata voluntate procuratorem esse noluerit, tamen iudicium, quo quasi procurator expertus est, ratum esse debet. *L. 65. b.* Non irritum est iudicium, quia procuratore designato usus non est, sed ipse dominus quasi procurator procuratoris nominati loco interuenisse videbitur. (§. 221.) ne decipiatur aduersarius.

ARGUMENTVM.

224. Si is, qui Stichum vel Damam, vtrum eorum ipse vellet, stipulatus est, et ratum habeat, (ex postfacto) quod alterum procuratorio nomine Titius petit: facit, vt res in iudicium deducta videatur quasi mandasset petere electum, et rem (electionem) in procuratorem translisset, (L. I. tit. 8. §. 63.) cum rati habitio aequipolleat mandato et stipulationem (electionis: vtrum vellet,) consumat. *L. 66. b.* Nam elegit, qui electionem rati habet.

Papin. L. 9. Qu. L. 66.

DEFINITIO.

225. Euictio est rei possessae ad petitionem fortiori iure muniti per iudicem facta ablatio.

ANNOTATIO.

226. Qui mancipio emebat rem Mancipi, de euictione cautum habebat. Res Mancipi erant, praedia in Italico solo rustica et urbana, eorumque iura, ferui, quadrupedes, quae collo dorsoue domantur, et bestiae non sunt. *VLPIANVS tit. 19.* Mancipatio permessa erat ciuibus Romanis, latinis colonariis, et latinis

Iunianis, et peregrinis quoque, quibus commerciorum ius datum erat. Fuit species venditionis vel alienationis Romanis propria, qua res mancipi, praesentes, mobiles, et immobiles etiam non praesentes, verbis solennibus coram libripende et 5. testibus, ciuibus Romanis puberibus, Quiritium iure fiebat. Haec per nexum fieri dicebatur. *FESTVS de Verbor. Signif. Nexum est, ut ait Gallus Aelius, quodcumque per aes et libram geritur: idque nexi dicitur. Quo in genere sunt haec: testamenti factio, nexi danto, nexi liberanto.* Cessione in iure res mancipi etiam alienari potuerunt. *CICERO Topic. c. 5. Abalienatio est, eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, inter quos ea iure ciuili fieri possunt.* Rei mancipio emtae periculum euictionis venditoris erat. *PLAVTVS in Persa; Actu 4. sc. 3.*

*Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur:
Mancipio neque promittet, neque quisquam dabit.*

Venditor rei auctoritatis, id est, iuris sui ab euictione liberrimi, venditor appellatur. *IUL. PAVLVS Sentent. L. 2. tit. 17. Res emta mancipatione et traditione perfecta, si euincatur, auctoritatis venditor duplo tenus obligatur.* Hinc duplae stipulatio in rebus aliis, nec mancipi, dictis: vel his quidem mancipi, sed simpliciter traditis: de quibus intelligo *PAVLVM* loco citato. *Si res simpliciter traditae euincantur, tanto venditor emptori condemnandus est, quanto, si stipulatione pro euictione cauisset.* Nam pro consuetudine regionis vel quanti emptoris intererat. *l. 74. ff. de euiction. vel simplae vel duplae stipulatio fieri solebat. L. 6. et 60. ff. cod. L. 31. §. 20. ff. de Aedilit. Edicto.* *BRISSENIUS Antiqu. L. 1. c. 7. et de Formul. L. 6. art. 63. RAEVARDVS Comm. ad LL. XII. Tab. cap. 8. et 16. (L. 1. tit. 6. §. 34.)* Qui mancipio vendebant auctores fiebant, quorum periculo res apud emptorem erat. *PLAVTVS in Curul. Actu 4. Sc. 2.*

*Egon' vt ab lenone quicquam
Mancipio accipiam?
Nec vobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli.*

ARGVMENTVM.

Id L. 2. Resp. L. 67. 227. Procurator, qui pro euictione praediorum, quae vendidit fidem suam adstrinxit, et si negotia agere desierit, obligationis tamen onere Praetoris auxilio non leuabitur. Nam procurator, qui pro domino vinculum obligationis suscepit, onus eius frustra recusat. *L. 67. b.*

ANNOTATIO.

228. *CVIACIVS L. 20. obs. 39.* hanc legem valde obstare ait *legi 3. §. 2. ff. de admin. rer. ad ciuit. pertin.* quae actionem dat in eum, qui administrationis tempore cum creditoribus reipublicae nouationem fecerat, pecuniam autem, quam res publica debebat, cauerat. Nouatio prioris debiti remissionem continet, (*L. 2. tit. 14. §. 143.*) ergo alienationem, quae administratoris non est, qui rem saluam praestare tenetur. (*L. 2. tit. 14. §. 180.*) Eapropter creditores cauere sibi curarunt de pecunia, et hoc administrator extra officium et priuatus egit. Mirum non est,

cauer

eum extra officium teneri, qui non officii ratione cauit. Nec minus procurator in textu praesenti, lege 67. administrator est: (L. 1. tit. 19. §. 6.) §. 1.) et idem de euictione cauit personaliter, et extra officium; nam emtores iuste dubitarunt, vtrum in potestate eius sit vendere (§. 219.) Adparet, tantum abesse, vt vtrique textui pugna sit, vt potius sese mutuo confirmant. Praetoris autem auxilio non iuuatur, nec restituitur, qui necessitate officii nulla cogente se obligauit, neque in debitum innocenter quasi incidit. Ignoscendum solum ei, qui non penitus libere agit. (L. 1. tit. 1. §. 53. 63.)

ARGVMENTVM.

229. Quod procurator ex re domini, mandato non refragante, stipulatur, inuito procuratore dominus petere potest. *L. 68. b.* cum ex re sua quaesitum sit. (L. 3. tit. 1. §. 67.) *Id. L. 3. Resp. L. 68.*

ANNOTATIO.

230. Paulus respondit, etiam eum, qui ad litem suscipiendam procuratorem dedit, causae suae adesse non prohiberi. *L. 69. b.* (L. 2. tit. 1. §. 60.) *Paul. L. 3. Resp. L. 69.*

ANNOTATIO.

231. Potuit dominus adesse procuratori, vt praesentia sua gratiam conciliaret, vel vt admoneret. De monitoribus CICERO in *Diuinat. Video, mihi non te, sed hunc librum responsurum esse, quem monitor tuus hic tenet.* Add. PAVLI *Recept. sentent. L. 1. tit. 2.*

ARGVMENTVM.

232. Pater filio suo pupillo tutorem dedit Sempronium, creditorem suum. Is administrata tutela reliquit fratrem suum haeredem, qui et ipse deceffit, et per fideicommissum nomen debitoris Titio reliquit, eique mandatae sunt actiones ab haeredibus. Quaero, cum tam tutelae actio quam pecuniae creditae ex haereditate Sempronii descendant, annon aliter mandata actio ei detur, quam si defendat haeredes, (in tutelae iudicio) a quibus ei actiones mandatae sunt? Respondi: debere defendere. *L. 70. b.* Quandoquidem omnes actiones haereditariae Titio mandatae sunt, procuratio et mandatum ex contractu ortum est, etiam defensio ipsi incumbit. (§. 92.) et 171.) Licet autem intuitu actionis pecuniae creditae sit procurator in rem suam, qui mandati regulariter non obligatur (§. 149. sequ.) quia tamen voluntate non per iuris necessariam consequentiam procurator factus est, mandatum enim suscepit, defendere tenetur. (§. 94. sequ.)

Scaeu. L. 1. Resp. L. 70.

ARGVMENTVM.

233. Absens reus: causas absentiae (per) procuratorem reddere potest. *L. 71. b.* Nam et haec defensio est, vt defensio admittatur: nam latitantis defensor non admittitur. (L. 2. tit. 8. §. 83.) Dicitur autem de reo capitalis criminis. (§. 90.)

Paul. L. 1. Sens. L. 71.

ANNOTATIO.

234. Vocula (per) in Codice Florentino non extat, vti TAVRELLVS testatur, ideo vi praecedentis textus opinor, sic legi debere: *Absens reus:* (Haec verba

rubrica sunt tractationis, quae apud ICTum sequebatur, vnde Tribonianus textum desumpsit. Idem occurrit infra (L. 3. tit. 5. §. 10.) Id haecenus a nemine obseruatum reperi) *causas absentiae procurator in rem reddere potest.*

DEFINITIO.

235. Interdictum quod vi aut clam est actio extraordinaria, qua is cuius interest, postulat restitui aut destrui opus in re soli vi aut clam factum, cum praestatione eius quod interest.

OBSERVATIO.

Id. L. 1. Manual. L. 72.

236. Per procuratorem non semper acquirimus actiones, sed retinemus: veluti si reum conueniat intra legitimum tempus, quoniam hac ratione efficit, ne actio praescribatur, sed vt perpetuetur, licet procurator litem non prosequatur, et actionem iudicati vtilem domino non quaerat) vel si prohibeat opus nouum fieri, vt interdictum nobis vtile sit: quod vi aut clam: nam et hic pristinum ius nobis conferuet. *L. 72. b.*

ANNOTATIO.

237. Particula: *semper*: interiecta hic est a Triboniano satis incommode. Nam Paulus haec duo, acquirere et retinere, siue conseruare actiones, hic opposuerat: vt et alias ea opponi solent. Sic igitur Paulus dixerat: Per procuratorem actiones non acquiri, sed retineri. Ita sentit HVB. GIPHANIVS, *Lecturis Altorf. de procurator. ad h. legem.* Opinor suspectam vocem: *semper*: admitti debere; nam certi conditio directa mutui per procuratorem domino acquiritur. *L. 2. §. 4. ff. de reb. cred. ibi: si voluntate mea, etc.* Loquitur ergo lex nostra de actione directa, quae non semper, sed interdum, vti actio condicictia, domino per procuratorem acquiritur.

ARGUMENTVM.

Id. L. sing. de Off. Adfess. L. 73.

238. Si reus paratus sit ante litem contestatam pecuniam soluere, procuratore agente, quid fieri oportet? (Ratio dubitandi est, quia procuratori tantum ad actionem dato, solui non potest. (L. 2. tit. 14. §. 92.) Nam iniquum est, cogi eum (debitorem) iudicium accipere, propter quod suspectus videri potest, qui praesente domino non obtulit pecuniam, (quae vexatio calumniam argueret. (L. 2. tit. 7. §. 17.) Quodsi tunc facultatem pecuniae non habuit? nunquid cogi debeat iudicium accipere? Quid enim, si et famosa sit actio? (si forte depositam pecuniam restituere debeat) sed hoc constat, vt ante litem contestatam Praeses iubeat in aede sacra pecuniam deponi. Hoc enim fit et in pupillaribus pecuniis. (Nam via mitior eligenda, (L. 1. tit. 1. §. 249.) quodsi lis contestata est, hoc omne officio iudicis dirimendum est *L. 73. b.* (L. 2. tit. 8. §. 79.) Olim mora non ex re, sed ex persona fiebat, et mora, vti oportebat, in culpa reputabatur. *L. 32. pr. ff. de usuris.* (L. 1. tit. 1. §. 75.) At Seuerus Imp. constitutione effecit, vt mora ex re esset: *L. 26. §. 1. ff. de fideicommiss. libertat.* ex quo tempore, quod Pauli ICTi fuit, depositio in aede sacra, purgandae morae necessaria fuit.

ARGVMENTVM.

239. Nec ciuitatis actor negotium publicum per procuratorem agere potest. *L. 74. b.* quia negotium actoris proprium non est. (L. 1. tit. 19. §. 4.) (L. 2. tit. 4. §. 56.) *Vlp. L. 4. Opin. L. 74.*

ARGVMENTVM.

240. Qui absentem emtorem, eundemque possessorem fundi defendebat, (contra vindicantem) et iudicium nomine eius accipiebat, postulabat a venditore fundi, vt (absens) ab eo defenderetur (vi praestandae euictionis) venditor desiderabat caueri sibi: ratam rem emtorem habiturum: (Dubitatum est, cum venditor defenderet, an defensor prior et prouocans, adhuc partibus defensoris fungatur.) Puto eum venditori de rato satisfacere debere: (Maxime enim defensor est, qui adminiculis defensionis utitur,) quia si fundum agenti restituerit, (defensor et venditor vindicatione victus) nihil prohibet dominum (emtorem possessionem fundi ab euincente petentem) rem petere, et cogi venditorem rursus defendere. *L. 75. b.* qui adeo duplici defensione oneraretur. Hinc cautionis remedio opus est. (L. 2. tit. 8. §. 87.) *Iul. L. 3. Dig. L. 75.*

ARGVMENTVM.

241. Titius cum absentem defenderet, satisfacit, (iudicatum solui) et priusquam iudicium acciperet, (id est, antequam litem contestaretur) desinit reus soluendo esse. Quam ob causam defensor recusabat, iudicium in se reddi oportere, (tanquam ex iusta causa (§. 31. 47.) et quasi idem sit, ac si absentis bona possessa sunt (§. 174.) Quaero: an id ei concedi oporteat? Iulianus respondit: Defensor cum satisfacit, domini loco habendus est (§. 174.) Nec multum ei praestiturus est Praetor, si eum non coegerit iudicium accipere, (quasi eius par sit conditio cum eo, cuius bona possessa sunt) cum ad fideiussores eius iri possit, (actor conuenire potest fideiussores, quos iudicatum solui dedit. Committitur enim stipulatio ob clausulam cautionis de re non defensa (§. 37.) et hi, quicquid praestiterint, a defensore consecuturi sint. *L. 76. b.* (L. 2. tit. 2. §. 21.) *Id. L. 5. ad Minic. L. 76.*

ARGVMENTVM.

242. Omnis, qui defenditur, boni viri arbitrato defendendus est. *L. 77. b.* *Paul. L. 57. ad Ed. L. 77.*

ARGVMENTVM.

243. Et ideo non potest videri viri boni arbitrato litem defendere is, qui actorem frustrando efficiat, ne ad exitum controuersia deducatur. *L. 78. pr. b.* *Afric. L. 6. Quaest. L. 78. pr.*

ANNOTATIO.

244. Boni viri arbitrato defendere, est bonam fidem in defendendo agnoscere, et reus defendi recte dicitur: licet defensor calumniatus aut omnibus reorum artibus et superfugiis usus non sit.

ARGVMENTVM.

245. Ad duas res petendas procurator datus, si vnam rem petat, exceptione (aliter mandatum esse) non excluditur, et rem in iudicium deducit. *L. 78. §. 1. b.* Nam duarum rerum separatarum duo mandata sunt. (§. 4.) *§. 1.*

QVOD CVIVSCVNQVE VNIVERSITATIS NOMINE, VEL CONTRA EAM AGATVR.

TIT. IV.

DEFINITIO.

1. Corpus est persona symbolica collectiua, e pluribus eiusdem professionis sodalibus constans.

OBSERVATIO.

2. Congregationum coitionumque populi cura in Republica haberi debet. Inde enim Regnorum euerfio frequentissima. *Tarquinius Superbus sustulit coetus omnes paganorum et curialium et vicinorum, qui ante fieri solebant, vel in vrbe, vel in agris sacrorum, et sacrificiorum causa: et ne omnes simul haec peragerent, edicto vetuit: ne in unum locum coeuntes multi, inter se occulta consilia inirent, de evertenda tyrannide.* DION. HALICARN. L. 4. Idem SCtis, constitutionibusque Principum sancitum. ASCON. PEDIAN. in *Orat. Ciceronis contra Pisonem, ad verba: Quos Qu. Metellus, (facio iniuriam) SVETONIVS in Iul. Caesare c. 42. et in Augusto c. 32.* Claudius Imp. Iudaeos Romae conuenire non est passus, et conciliabula a Caio permessa dissoluit, tabernasque vbi potatum conuenire solebant, destruxit. DIO CASSIVS L. 60. pag. 408. Obseruo, quod Gentiles scriptores Christianos Iudaeorum nomine vocent: Dion hic loci potationem inuidiosa compellatione Eucharistiae vsum compellat. Illicita autem erant omnia Collegia, quibus coeundi ius lege vel SCto permissum non fuerat. Religionis autem causa coire potuit populus, nempe ad templa, aediculas, supplicandi causa temporibus consuetis. L. 1. ff. de Colleg. et Corpor.

ARGVMENTVM.

*Cai. L. 3. ad
Ed. pr.
L. 1. pr.*

3. Neque Societas, neque Collegium, neque huiusmodi corpus passim omnibus haberi conceditur. Nam et legibus et Senatusconsultis et principalibus constitutionibus ea res coeretur. Paucis admodum in causis concessa sunt huiusmodi corpora: vt ecce vectigalium publicorum sociis permissum est corpus habere: vel aurifodinarum et Salinarum. Item Collegia Romae certa sunt, quorum corpus senatus consultis atque constitutionibus principalibus confirmatum est: veluti pistorum, et quorundam aliorum, et nauculariorum, qui et in provinciis sunt. L. 1. pr.

ANNOTATIO.

4. In templo Cathedrali Parisiensi effossae sunt sculpturae Gallicae cum hac inscriptione:

TIB.

TIB. CAESARE.
 AVG. IOVI. OPTVMO.
 MAX. SVMO. ARAM.
 NAVTAE PARISIACI,
 PVBLICE POSIERVNT.

LEIBNITZIVS *Collectan. etymol. P. II. in Celticis.* Corpus Argentariorum fuisse, docet inscriptio arcus Seueri Imp. honori extractus, quam exhibet DESGODETZ. *Edifices antiques de Rome. Chap. 19.* IMP. CAES. SEPTIMIO SEVERO PIO. PERTINACI. AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTH. MAX. FORTISSIMO, FELICISSIMO. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COSS. III. PATRI PATRIAE ET IVLIAE AVG. MATRI. AVG. ET N. CASTRORVM. ET SENATVS ET PATRIAE. ET IMP. CAES. M. AVRELI ANTONINI PII. FELICIS AVG. PARTHICI. MAXIMI. BRITANNICI. MAXIMI. ARGENTARI. ET NEGOTIANTES. BOARI. HVIVS LOCI, QVI INVEHENT, DEVOTI NVMINI EORVM.

OBSERVATIO.

5. Quibus autem permissum est, corpus habere collegii, societatis, siue cuiuscunque alterius eorum nomine, proprium est, ad exemplum reipublicae habere res communes, arcam communem et actorem, siue Syndicum, per quem tanquam in republica, quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat. *L. 1. §. 1. b.* Quodsi nemo eos defendat, quod eorum commune erit, possideri: (*L. 2. tit. 1. §. 4.*) etsi admoniti (per hanc in possessionem inissionem) non excitentur ad sui defensionem venire, se iussurum, (vt veniant) Proconsul ait. *L. 1. §. 2. b.*

REGVLA.

6. Idem est quoad effectum, non esse et non apparere.

ARGVMENTVM.

7. Et quidem non esse actorem vel Syndicum, tunc quoque intelligimus, cum is absit, aut valetudine impediatur, aut inhabilis sit ad agendum. *L. 1. §. 2. b.*

ARGVMENTVM.

8. Quia corpus persona est, (§. 1.) et qui iurisdictionem habet aequitati studet, (*L. 1. tit. 14. §. 1.*) ideo, Etsi extraneus (qui non est membrum corporis) defendere velit in vniuersitatem, permittit Proconsul, sicut in priuatorum defensionibus obseruatur: quia eo modo (non deterior, sed adhuc) melior conditio vniuersitatis fit. *L. 1. §. 3. b.*

ARGVMENTVM.

9. Si municipes vel aliqua vniuersitas ad agendum det actorem, non erit dicendum, quasi a pluribus datum sic haberi: hic enim pro re publica vel vniuersitate interuenit, non pro singulis. *L. 2. b.* Nam corpus et vniuersitas personae vicem gerit. (§. 1.)

Vlp. L. 1. ad Ed. L. 2.

ANNO-

ANNOTATIO.

10. Festus municipem nominat eum, qui in mancipio liber natus erat, item, qui ex alio genere hominum munere functus fuerat; qui in municipio ex seruitute se liberauit a municipe, et qui ex aliis ciuitatibus Romam venerat. His non licebat magistratum capere, munere autem fungi licebat. Municipes fuere e. gr. Cumani, Acerrani, Atellani, qui ciues erant, in legione merebant, sed dignitatem non capiebant, nec suffragia ferebant: *sacris suis, legibus et suo iure utebantur: nullis aliis necessitatibus neque vlla populi Romani lege adstricti, nisi, inquam, populus eorum fundus factus est.* GELLIVS L. 16. c. 13. (L. 2. tit. 14. §. 172.)

OBSERVATIO.

11. Corpora licita fauorabilia sunt.

ARGUMENTVM.

12. Caussae integri municipii magis arduae et fauorabiles sunt, quam vt priuatus idoneus habeatur, qui de rato cauere possit. Ergo nulli permittetur nomine ciuitatis vel curiae experiri, nisi ei, cui lex (municipii) permittit, aut lege cessante ordo (decurionum) (L. 3. tit. 1. §. 61.) dedit, cum duae partes (municipum vel etiam decurionum) adessent, aut amplius quam duae. L. 3. b.

ANNOTATIO.

13. Plane, vt duae partes decurionum adfuerint, is quoque quem decernent, numerari potest. L. 4. b. suffragium sibi impertiri potest, quod acceptationis loco est.

ARGUMENTVM.

14. Illud notandum Pomponius ait, quod et patris suffragium, filio proderit, et filii patri. L. 5. b. (L. 1. tit. 6. §. 25.) Nec suspicio impedit ob coniunctionem, vt in testimonio, nam hic de opinione non de veritate agitur. Item eorum, qui in eiusdem (patrisfamilias) potestate sunt: quasi decurio enim hoc dedit, non quasi domestica persona. Quod et in honorum petitione erit seruandum, nisi lex municipii vel perpetua consuetudo prohibeat. L. 6. pr. b.

ANNOTATIO.

15. Ne ex potestate quis commodum, imo imperium captaret, Lege Licinia atque Aebutia cautum fuit, ne qui legem tulerit de aliqua curatione vel potestate, eam potestatem acciperet, nec cognati eius, nec alia ratione coniuncti. CICERO de L. Agraria contra Rullum. p. 399.

ARGUMENTVM.

16. Si decuriones decreuerunt actionem per eum (Syndicum) mouendam, quem duumviri elegerint, is videtur ab ordine electus, et (ideo) experiri potest. Parui enim refert, ipse ordo elegerit, an is, cui ordo negotium dedit. L. 6. §. 1. (L. 1. tit. 1. §. 40.)

ANNOTATIO.

17. Qui colonias deducebant, duumviri appellabantur. Habebant lictores suos, non cum fascibus, sed solis bacillis. Fuit officium eorum idem in municipiis, quod consulum in vrbe. CICERO de L. Agrar. p. 402.

ARGV-

ARGVMENTVM.

18. Negotii, quod nondum est, nemo potestatem habet, quia non-entis nullae sunt affectiones, (L. 1. tit. 1. §. 216.) et actor constitui quidem potest ab eo, qui potestatem negotii habet, (L. 2. tit. 4. §. 56.) sed si ita decreuerint, (duumviri) vt quaecunque incidisset controuersia, eius petendae negotium Titius haberet: ipso iure id decretum nullius momenti esse: (L. 1. tit. 7. §. 35.) quia non possit videri de ea re, quae adhuc in controuersia non sit, decreto datam persecutionem. L. 6. §. 1. b. Aliud in procuratore (L. 3. tit. 3. §. 9.) nam municipium nunquam abest.

ANNOTATIO.

19. Differt Syndicus ab Actore, (L. 2. tit. 4. §. 56. 57.) si omnia corporis membra ipsum constituerunt: non differt, si a duumviris vel similibus constitutus est.

ANNOTATIO.

20. Sed hodie haec omnia per Syndicos solent secundum locorum consuetudinem explicari. L. 6. §. 1. b.

ARGVMENTVM.

21. Quodsi actor (a duumviris vel decurionibus) datus, postea decreto decurionum prohibitus sit: an exceptio (deficientis mandati) ei noceat? §. 2.
Et puto, sic hoc accipiendum, vt ei permessa videatur (actio) cui et permessa durat. L. 6. §. 2. b. Si incepta peragere non est prohibitus. (L. 2. tit. 1. §. 14.) reliqua recte perficiet.

ANNOTATIO.

22. Durat actio mandata in procuratore, quoties res non est integra, quando iudicatum solui pro actore cautum est: si actio tempore peritura, vel si in rem suam acturus est. In Syndico et actore aliud seruabitur, nisi in rem suam datus fuerit. (§. 23.)

ARGVMENTVM.

23. Actor vniuersitatis, si agat, compellitur etiam defendere, non §. 3.
autem compellitur cauere de rato. L. 6. §. 3. Nam de potestate eius semper constat, (§. 11.) et defensio officii eius comprehenditur. (L. 2. tit. 4. §. 57.)

ARGVMENTVM.

24. Sed interdum, si de decreto dubitetur, puto interponendam et de rato cautionem. (L. 2. tit. 13. §. 61.) Actor itaque iste procuratoris partibus fungitur: et iudicati actio ei ex edicto non datur, (quia procurator proprie non est, (L. 3. tit. 3. §. 107.) L. 1. tit. 19. §. 6.) nisi in rem suam datus sit: (est enim dominus litis (L. 3. tit. 3. §. 27.) et constitui ei potest, (nam potestatem habet alienandi, dum res periculo suo est. (L. 2. tit. 2. §. 12.) multo magis pro arbitrio modum satisfactionis mutabit. (L. 2. tit. 13. §. 53.) Ex iisdem causis mutandi actoris potestas erit, ex quibus etiam procuratoris. (Nam ex eadem causa, fiducia scilicet, assumitur.) Actor etiam filius-familias dari potest. L. 6. §. 3. b. (L. 1. tit. 6. §. 25.)

ARGUMENTVM.

*Vlp. L. 10. ad
Ed.
L. 7. pr.*

25. Sicut municipum nomine actionem Praetor dedit, ita et aduersus eos iustissime edicendum putauit. Sed et legato, qui in negotium publicum sumtum fecit, puto dandam actionem in municipes. *L. 7. pr. b. (L. 2. tit. 2. §. 20.)*

ANNOTATIO.

26. Ratio dubitandi est, cum Duumviri vel Decuriones legatum constituerint, cur in ipsos municipes actio detur? Legatus autem mandatarius reipublicae vel municipii est (§. 16.) vnde ex bona fide a republica repetit, quod in rem ipsius erogauit.

REGVLA.

§. 1. 27. Si quid vniuersitati debetur, singulis non debetur: nec, quod debet vniuersitas, singuli debent. *L. 7. §. 1. b. (§. 1.)*

ARGUMENTVM.

§. 2. 28. In decurionibus vel aliis vniuersitatibus nihil refert, vtrum omnes idem maneant, an pars maneat, vel omnes immutati sint. Sed si vniuersitas ad vnum redit, magis admittitur, posse eum conuenire, et conueniri: cum ius omnium in eum reciderit, et stet nomen vniuersitatis. *L. 7. §. 2. b.* Nam stante municipio vel vniuersitate curia et arca communi, (§. 5.) vnus vicem eius gerere potest. (*L. 3. tit. 1. §. 61.*)

ANNOTATIO.

29. Alias nomen collectiuum non retinetur, si ad vnum membrum corpus redactum sit. *l. 40. §. 3. ff. de V. S.* Perit adeo collegium decurionum, redacto numero ad vnum, veruntamen municipium non perit.

OBSERVATIO.

30. In pignorum captione et venditione primo quidem res mobiles, animales, pignori capi iubent, si non suffecerint, etiam soli pignora: quodsi nec quae soli sunt sufficiunt, vel nulla sint soli pignora, tunc peruenitur etiam ad iura. *L. 15. §. 2. ff. de re iudic.*

ARGUMENTVM.

*Paul. L. 13.
ex Cass.
L. 8.*

31. (An) Ciuitates, si per eos, qui res earum administrant, non defenduntur, nec quicquam est reipublicae quod possidetur, per actiones debitorum ciuitatis agentibus satisfieri oportet. *L. 8. b.*

ARGUMENTVM.

*Pomp. L. 13.
ad Sib.
L. 9.*

32. Si tibi cum municipio haereditas communis erit, familiae heriscundae iudicium (quo haereditas inter cohaeredes diuiditur) inter vos reditur. Idemque dicendum est in finium regundorum, et aquae pluuiae arcendae iudicio. *L. 9. b. (L. 3. tit. 3. §. 42.)*

ARGUMENTVM.

*Paul. L. 1.
Man.
L. 10.*

33. Constitui potest actor etiam ad operis noui nunciationem (*L. 2. tit. 14. §. 64.*) et ad stipulationes interponendas, veluti legatorum, damni infecti, (*L. 3. tit. 5. infra*) iudicatum solui (*L. 3. tit. 3. §. 37.*) quamuis seruo potius

potius ciuitatis caueri debeat, (vt ita ciuitati ius et actio directe quaeratur. (L. 3. tit. 3. §. 173.) Sed et si actori cautum fuerit, utilis actio administratori rerum ciuitatis dabitur. L. 10. b.

DE NEGOTIIS GESTIS

TITVLVS V.

DEFINITIO.

1. Gestio est actus ciuiliſ, priuati iuris effectum, nexum vel facultatem poſſe relinquens, ſine verbis perfectus.

OBSERVATIO.

2. Hoc edictum neceſſarium eſt: quoniam magna vtilitas abſentium verſatur, ne indefenſi rerum poſſeſſionem aut venditionem patiantur, vel pignoris diſtractionem, vel poenae committendae actionem, vel iniuria rem ſuam amittant. L. 1. b.

Vlp. L. 10
ad Ed.
L. 1.

ANNOTATIO.

3. Dubitant quidam nouaturientes de quaſi-contractibus. Rident Romanorum in his comminiſcendis quaſi inſomnium: quoniam artem iuris ignorant, ſimplicitatem Germanicam laudant, et aequitatem vbique commendant, quo ipſo ruditati et iuri cerebrino fores pandunt. Nefcio, qua ratione nihilominus diſtinctionem iuris ſtricti et aequitatis retineant, nec quomodo differentiam inter bonae fidei contractus et ſtricti iuris admittant, comprehendendo, dum omnia et conuentiones omnes ad aequitatem reuocant. Ad minimum Ictorum Romanorum rationes prius perſpectae eſſe debebant, antequam reiicerentur. At factus quorundam tantus eſt, vt quod ipſi non intelligunt, intelligi poſſe negent. Veteres ita docuerunt: Quando contrahentes expreſſum conſenſum conuentioni praefiterunt, *contractum verum* dixerunt. Eſſe autem aliquam vniuerſalem omnium hominum voluntatem, nempe, commodum ſuum promoueri, et damnum amoueri debere, et poſſe coincidere multorum conſenſum in idem ſine conuentione expreſſa. (L. 1. tit. 1. §. 250. ſequ.) Ita in *tutelaſ adminiſtratione* tutor adminiſtrando generaliter conſentit, ſed pupillus, qui iure non cenſetur habere auctoritatem conſentiendi, imo nec recte intelligendi facultatem, per communem hominis naturam praefumitur conſentire, quia commodum eius promouetur, et damnum auertitur. Qui *haereditatem adit*, in genere conſentit in omnem defuncti voluntatem. Haec aperte lucroſa eſt legatariis et fideicommiſſariis atque creditoribus defuncti, quare legatarii ob vniuerſalem commodi cupidinem conſentiunt, et conſentire praefumuntur, ita, quaſi contraxiſſent cum haerede. Quando cohaeredes adeunt haereditatem, adoptant iterum omnes eandem defuncti voluntatem, quae eſt, vt quilibet partem aliquotam rerum et iuris capiat; ergo, in idem vnito et concurrente conſenſu, quia inter ipſos expreſſe non conuenit, conſenſum tamen factus eſt, quaſi

contraxisse dicuntur. Idem est in *communione* rerum legatarum vel fideicom-
missio relictarum, aliarumque, quoties in socium incidimus. *Indebiti solutio* iure
Pandectarum non est quasi-contractus, et Tribonianus deceptus fuit spuria illa re-
gula, quae nec ex vero contractu, nec ex maleficio nascitur obligatio, quasi-con-
tractus est. Repeti potest res ex causa data, causa non secuta, item, quae sine
causa data est: conditio non ex contractu, nec ex maleficio oritur, verumtamen
ex quasi-contractu ideo non est.

A R G V M E N T V M.

Cai. L. 3. ad
Ed. pr.
L. 2.

4. Si quis absentis negotia gesserit, licet ignorantis, tamen quic-
quid vtiliter in rem eius impenderit, vel etiam ipse se in rem absentis
alicui obligauerit, habeat eo nomine actionem. L. 2. h. (L. 2. tit. 14. §. 239.)

A R G V M E N T V M.

5. Negotiorum gestor in vtilitatem absentis gerens, negotia sibi habere non
vult, nec absens expensas lucrifacere poterit, quia negotiorum gestio indemnita-
tem poscit, (L. 2. tit. 14. §. 242.) Itaque eo casu vltro citroque nascitur
actio, quae appellatur negotiorum gestorum. Et sane, sicut aequum
est, ipsum actus sui rationem reddere, et eo nomine condemnari,
quicquid vel non, vt oportuit, gessit, vel ex his negotiis retinet: ita
ex diuerso iustum est, si vtiliter gessit, praestari ei, quicquid eo no-
mine vel abest ei, vel abfuturum est. L. 2. h.

A N N O T A T I O.

Ulp. L. 10.
ad Ed.
L. 3. pr.

§. 1.

§. 2.

§. 3.

6. Ait Praetor: Si quis negotia alterius, siue quae negotia, quae
cuiusque, cum is moritur, fuerint, gesserit: (de mortuo non ait praetor,
propter actionem funerariam, de qua specialiter edixit. (L. 2. tit. 7.) iudicium
eo nomine dabo. L. 3. pr. h. Haec verba: si quis: sic sunt accipienda:
siue quae: nam et mulieres negotiorum gestorum agere posse et con-
ueniri, non dubitatur. L. 3. §. 1. Negotia sic accipe: siue vnum, siue
plura, L. 3. §. 2. (L. 3. tit. 3. §. 4.) Alterius, inquit, et hoc ad vtrumque
sexum refertur. L. 3. §. 3. h.

D E F I N I T I O.

7. Protutor est gestor negotiorum tutelae.

A R G V M E N T V M.

8. Ideo videtur magis negotium tutoris quam pupilli egisse, interque eum
atque tutorem actiones negotiorum gestorum nasci.

O B S E R V A T I O.

9. Imperator Antoninus Pius vtilis actiones tribuit eis, quibus ex aequitate
debebantur. L. 16. ff. pr. de Pact. L. 1. 2. C. de Obl. et Act. L. 8. C. de haered. vel
Act. vend.

A R G V M E N T V M.

§. 4.

10. Pupillus: sane si (quis eius) negotia gesserit, post rescriptum D.
Pii etiam conueniri potest in id, quod factus est locupletior. Agen-
do autem (protutor) compensationem eius, quod gessit, patitur.
L. 3. §. 4. h.

ANNO-

A N N O T A T I O.

II. CUIACIUS *Obs.* L. 13. cap. 7. mutat *pupillus* in *pupilli*: vt cohaereat textus cum principio edicti: *Si quis etc.* item cum sequentibus: *et si furiosi.* Referatur autem hic sermo ad protutorem gerentem, quod hic pupillum conuenire posset, rescripto D. Pii opus habeat. Directa enim contra ipsum pupillum agere nequit. Etenim non tam pupilli quam veri tutoris gessit negotium, (§. 8.) Tantum etiam potest conueniri pupillus in id, quod factus est locupletior, nam ultra rem pupillus sine tutore non obligatur: L. 6. ff. de *Compensat.* Ergo probe legitur: pupillus: et verba: *si quis eius negotia*: ex initio edicti supplenda et huc trahenda sunt. Si autem pupillus ipse agat negotiorum gestorum aduersus protutorem, compensationem eius, quod protutor impendit vel gessit, se nimirum obligando etc. patietur, iterum ideo, quia re obligatur. Verba textus: supplenda esse: *si quis eius*: probat l. 12. §. 4. ff. de *usufr.* vbi eadem phrasis occurrit. Ad datur (L. 3. tit. 3. §. 234.)

A R G V M E N T V M.

12. Et si furiosi negotia gesserim, competit mihi aduersus eum negotiorum gestorum actio. L. 3. §. 5. b. Nam et hic re obligatur, eiusque censetur ea voluntas esse, quae hominis sani est. (L. 1. tit. 1. §. 226.) §. 5

O B S E R V A T I O.

13. Curator consensum praebet, at curandus ipse gerit vel agit. Furiosi tamen ea infelicitas est, vt ipse gerere nequeat, pro eo autem auctor fit ipse curator. (L. 2. tit. 2. §. 10.) Curatori autem furiosi vel furiosae aduersus eum (qui gessit) eamue dandam actionem Labeo ait. L. 3. §. 5. b.

O B S E R V A T I O.

14. Romani omne ius rerum ex occupatione deriuarunt: (L. 1. tit. 1. §. 174.) nam et traditio occupationem comprehendit. Quando paterfamilias moritur, ius eius definit: nam mors omnia soluit. Ipsae res familiae sunt derelictae et nullius: cedunt ergo occupanti. Naturaliter autem, qui longe abest, occupare nequit. Censentur secundum primorum hominum conditionem et habitandi morem praesentes et propinqui, atque ad occupanda bona, quae defuncti fuerunt, prae aliis habiles, qui in eadem spelunca faturnino illo aeuo, id est, qui in familia eius fuerunt. Hinc LEX XII. TABB. ait: *Si intestatus moritur, cui suus haeres nec extabit, agnatus proximus familiam habeto.* Agnatio enim familiae communionem tribuit. (L. 1. tit. 7. §. 21.) Sui haeredis loco etiam filia est. CAIUS *Instit. Libro poster tit. 9.* Item vxor siue materfamilias (L. 1. tit. 6. §. II. 12.) Quinimo et ante leges Decemvirales Romulus legem sanciuit: *Mulierem nuptam, quae ex sacratibus legibus in manum mariti conuenisset, cum eo omnium bonorum et sacrorum participem esse.* Eiusmodi vxor per sacra confarreationis assumpta, in viri defuncti bona, vt filia in patris, haeres succedebat. DIONYSIUS HALICARN. L. 2. c. 4. Materfamilias veniebat in locum Haeredis sui. A. GELLIUS L. 18. c. 6. Materfamilias autem ea erat, quae in patria potestate non fuerat. Proinde qui in familia erant, occupare bona defuncti, id est, succedere poterant: nempe bona eum patrefamilias naturaliter iam possidebant. Secundum haec oportebit, haere-

dis institutionem testamentariam esse voluntatem patrisfamilias, qua haereditatem familiae participem declarat, ex articulo mortis. Hoc in familiam imperio sibi admodum placuerunt Romani, ideoque vltimae voluntates sanctissime sunt seruatae. Sane, quod successione vtriusque ius in occupatione situm sit, inde conuiceres, quod apud antiquos *haeres pro dominus* positus fuerit. *vid. l. 7. §. 1. ff. de haered. petit.* FESTVS *de Verbor. signif. voce Haeres.* Sic in vtroque haerede occupandi habitas apparet, ipsa autem occupatio demum aditione fit. Haereditas interea iacet domino vacua. Videtur possideri ab haerede, tamen de animo non constat, donec eum declarat. *L. 21. §. 1. ff. de A. et O. Haered.* Ne igitur haereditas a quolibet inuaderetur, cuius possessor fere non apparebat, ne etiam cessarent accessiones et obligationes, tam ex contractu quam delicto, ipsa haereditas dominus esse fingebatur. *L. 13. §. 2. ff. ad L. Aquil. L. 55. §. 1. ff. de legatis. 1. L. 13. §. 5. ff. Quod vi aut clam.* et quoniam in haereditate omne ius ciuile defuncti radicatum est, eius personam sustinet. *L. 33. §. 2. ff. L. 34. et 66. pr. ff. de A. R. Dominio. L. 15. pr. ff. de Vsurp. et Vsup. L. 22. ff. de fidei.* Fingitur adeo ipsa haereditas persona esse, vti municipium et peculium omnisque alia vniuersitas. (add. *L. 2. tit. 14. §. 176.*)

DEFINITIO.

15. Haereditas est ciuilis vniuersitas iuris et rerum iure defuncti quaesitarum, ex tempore mortis aestimata.

ANNOTATIO.

16. Quod de haereditate dictum est, de omni vniuersitate tenendum, quod augmenta ex se recipiat, vt peculium, dos, etc. crescat, decrescat, moriatur, ad instar personae symbolicae. (*L. 2. tit. 13. §. 90.*)

ARGUMENTVM.

§. 6. 17. Haec verba: siue quis negotia, quae cuiusque cum is moritur fuerint, gesserit: significant illud tempus, quo quis post mortem alicuius negotia gessit, de quo fuit necessarium edicere; (Nam iure ciuili inter defunctum atque gestorem quasi-contractus supponi nequit: vnde ius ciuile actionem hoc casu nullam dabat.) (*L. 2. tit. 13. §. 79.*) quoniam neque testatoris iam defuncti, neque haeredis, qui nondum adiit, negotium gessisse videtur. *L. 3. §. 6.*

ARGUMENTVM.

18. Sed si quid accessit post mortem, vtputa, partus et foetus et fructus, vel si quid serui adquisierint; et si (ex) his verbis non continentur, pro adiecto tamen debent accipi. *L. 3. §. 6.* Haec enim ipsa haereditas sibi quaesiuisse putatur. (*§. 15.*)

ARGUMENTVM.

§. 7. 19. Haec autem actio, cum ex negotio gesto oriatur, et haeredi et in haereditatem competit. *L. 3. §. 7.* Habet enim causam bonorum et est realis. (*L. 2. tit. 3. §. 26.*)

ARGV-

A R G V M E N T V M.

20. Si executor a praetore in negotio meo datus, dolum mihi fecerit, dabitur mihi aduersus eum actio. L. 3. §. 8. b. 6. 8.

A N N O T A T I O.

21. Necessè est, vt executor hic me infcio datus sit: qua de caussa ille non erit executor litium, de quo THEOPHILVS §. 24. I. de Action. in f. memorat: nec executor sententiae, vti Gothofredus hic notat: sed negotii, quippe alias negotiorum gestorum actio dari non possit. Intellico curatorem quem Praetor absentis debitoris bonis dat: Tit. ff. de curatore bonis dando. quoniam hic negotium meum me infcio agit: Executor forte fuit, qui vni negotio dabatur, curator bonorum, qui omnibus.

D E F I N I T I O.

22. Culpa ciuilis est omiffio debiti impliciti ex negotio ciuili oriundi, qua damnus rei alienae fit. (L. I. tit. I. §. 76.)

R E G V L A.

23. Qui obligatur ad finem, is obligatur ad media.

D E F I N I T I O.

24. Debitum implicitum est, quod conuentione quidem non exprimitur, sed facti natura continetur promissum.

O B S E R V A T I O.

25. Solent periti in arte mercedem operarum accipere; proinde qui mercedem alicuius negotii accipit, peritiam profitetur implicite, et artificium ipso facto promittit, quod mercedi aequipolleat, eamque compenfet. Quando quis negotium alienum sine mandatu domini perficiendum suscipit, is omnino declarat ipso facto, se esse peritum in illo negotio: quare et hic omnem peritiam, quam opus susceptum postulat, omneque artificium huius operis promittit. Non tantum rei publicae, sed et totius generis humani interest, mutua beneficia, adiutoria et officia magis promoueri, quam impediri. Hinc regula: Officium suum nemini debet esse damnosum. (L. 3. tit. 3. §. 30.) Qui ergo ex negotio benefico obligatur, qui officiositatem accipit, omnem diligentiam et prouidentiam implicite intelligitur promittere, ne damnus alter ex beneficio suo accipiat. Hi omnes summam diligentiam debent, cuius omiffio dicitur *culpa leuissima*. Dantur autem alia negotia, quae vel sua natura peritiam artificiumque singulare non poscunt, vel si artificiosa sint, iis forte gerens artificium nec professus est, nec promissit, aut iure suo in his vtitur. Administratio talis negotii ad morem vsitatum plerorumque patrumfamilias exequenda, et requirit solitam diligentiam, cuius neglectus *culpa leuis* nomine venit. Denique omnium hominum generale debitum est bona fides et integritas (L. I. tit. I. §. 127. 128.) quae ab omni debetur, qui nec exactissimam nec mediam diligentiam debet. Ne officia hominibus eueniant molesta vel periculosa, et ideo minus exhibeantur, is qui alteri beneficium exhibet, vel qui necessitate aut affectu permotus, alienum negotium tractat, ad artificiosam aut mediam industriam non obligari debet, fidem tamen rebus alienis adhibere tenetur. Hinc *dolus iuri maxime contrarius est*. At difficile est animum mali-

gnam

gnum et propositum subdolum demonstrare, quod tamen saepe iure meritoque praesumitur; Ergo bona fides laedi creditur, quando negligentiam quis affectasse probatur, ita ut dolus subesse videatur. (L. 1. tit. 1. §. 78.) *culpa* haec dicitur *lata*, et aequiparatur dolo. Quoties ergo quis summam diligentiam vel mediam rebus alienis non debet, eam tamen suis adhibet, in alienis autem similibus negligit, cum eandem praestare posset, ob fidem non adhibitam culpa lata est, quae cum ex persona aestimetur, et aliis regulariter imputari non possit, utpote qui eiusdem diligentiae nec in propriis negotiis sunt, *culpa in concreto* a Doctoribus nominata fuit. *Casum* tandem fortuitum praestat, qui eum *mora* vel aliter informavit, vel *periculum* rei suscepit. (L. 1. tit. 1. §. 84.)

A R G V M E N T V M.

- §. 9. 26. Interdum in negotiorum gestorum actione Labeo scribit, dolum solummodo versari. Nam si affectione coactus, ne bona mea distraherentur, negotiis te meis obtuleris, aequissimum esse, dolum duntaxat te praestare, quae sententia habet aequitatem. L. 3. §. 9. Quando negotia sunt deserta et peritura, is qui ea suscipit, non tam se sponte offert, quam affectione et miserationis necessitate coactus, deficientibus aliis, qui gererent: Ergo peritiam non profitetur, qua commodum accurate promoueret, sed charitatem, ne omne negotium pereat. (§. 25.)

A R G V M E N T V M.

- §. 10. 27. Licet is, qui necessitate urgente gerit, culpam leuissimam non praestat, tamen ex quasi-contractu obligatur. Vnde hac actione tenetur non solum is, qui sponte et nulla necessitate cogente immiscuit se negotiis alienis, et ea gessit: verum et is, qui aliqua necessitate urgente vel necessitatis suspitione gessit. L. 3. §. 10. (L. 2. tit. 14. §. 240.)

D E F I N I T I O.

28. Mandator est, qui alii rei alienae, suo periculo gerendae, auctor fit.

O B S E R V A T I O.

29. Differt a mandante in hoc, quod mandans negotii dominus esse debeat: mandator vero auctor fieri potest in negotium ei, cui mandat, vel auctor fit. Ea propter actio mandati contraria nascitur contra mandatorem. L. 7. C. de fideiuss. et mandator. L. 13. L. 71. §. fin. ff. cod. (L. 2. tit. 2. §. 20.)

A R G V M E N T V M.

- §. 11. 30. Apud Marcellum Libro secundo Digestorum quaeritur: Si cum proposuisssem negotia Titii gerere, tu mihi mandaueris, ut geram: an vtraque actione uti possim? (mandati contraria contra mandatorem et negotiorum gestorum.) Et ego puto, vtramque locum habere: L. 3. §. 11. mandati actione utor, quia mandasti: negotiorum gestorum, quia incio Titio gessi. (L. 2. tit. 2. §. 20.) L. 2. tit. 14. §. 241.)

R E G V L A.

31. Actiones ad idem, ex eadem causa, aduersus eundem tendentes, electiue competunt: reliquae cumulatiue.

A N N O T A T I O.

32. Quanquam ad idem tendit mandati actio et negotiorum gestorum, tamen aduersus eundem non dirigitur, qua de causa cumulatue concurrunt, ut quod mandati actione a te consecutus non fuero, negotiorum gestorum iudicio a Titio recuperem.

A N N O T A T I O.

33. Quemadmodum ipse Marcellus scribit, si fideiussorem accipero negotia gesturus: nam et hic dicit aduersus vtrumque (dominum negotii et fideiussorem) esse actionem. *L. 3. §. II. b.*

A R G V M E N T V M.

34. Sed videamus, an fideiussor hic habere aliquam actionem possit: et verum est, negotiorum gestorum eum agere posse: (cum domino: Nam fideiussor conuentus impenas vltimato facit, et ipse quoque mandauit (§. 28.) adeoque auctor in negotium factus est, sine quo gestum non fuisset) nisi donandi animo fideiussit. *L. 4. b.* Qui enim impendit, ut donator (*L. 1. tit. 19. §. II.*) intentionem indemnitas non habet. *Id. L. 45. ad Sab. L. 4.*

A R G V M E N T V M.

35. Item, si cum putauit a te mihi mandatum, negotia gessi: et hic nascitur negotiorum gestorum actio, (quia ignaro domino gestum est (*L. 2. tit. 14. §. 239.*) cessante mandati actione. Idem est etiam, si pro te fideiussero, dum puto mihi a te mandatum esse. (te ignorante fideiussi: si in rem tuam negotium gessi.) *L. 5. pr. b.* Sed et si, cum putauit Titii negotia esse, cum essent Sempronii ea gessi: solus Sempronius mihi actione negotiorum gestorum tenetur. *L. 5. §. 1. b.* Nam sufficit ignorantia Sempronii negotia esse. (*L. 2. tit. 14. §. 239.*) *Id. L. 10. ad Ed. L. 5. pr. §. 1.*

A R G V M E N T V M.

36. Si pupilli tui negotia gesseris, non mandatu tuo, sed ne tutelae iudicio tenearis: negotiorum gestorum te habeo obligatum. (§. 6. 7.) sed et pupillum, modo si locupletior fuerit factus. *L. 6. pr. b. (§. 10.)* *Id. L. 3. Dig. L. 6. pr.*

A N N O T A T I O.

37. Locupletior quis fieri dicitur, si res eius aucta est. Non autem locupletior factus est, si augmentum verum iterum perit.

A R G V M E N T V M.

38. Item, si procuratori tuo mutuam pecuniam dederis tui contemplatione, (ita ut negotium tuum gesserim) ut creditorem tuum vel pignus tuum liberet: aduersus te negotiorum gestorum habebis actionem, (quia tu dominus negotii es. (*L. 2. tit. 14. §. 241.*) aduersus eum, cum quo contraxi (procuratorem nimirum) nullam. *L. 6. §. 1. b.* Ex ratione contrariorum actio negotiorum gestorum non datur. Cur autem nulla nec adeo ex mutuo in eum datur? Respondeo, quia tui contemplatione dedi, non procuratoris feci pecuniam, sed tuam: ergo nec hic ex mutuo tenetur. Contemplatio autem gerentis hoc casu consideratur ad tollendum dubium, cuius actio sit. (*L. 2. tit. 6. §. 8.*) et ad determinandum gradum culpae; (§. 25.) et quia negotiorum ge-

stio quasi-tractus est, voluntas gerentis illi obligationem acquirit, in cuius rem geritur. (L. 1. tit. 1. §. 250.)

ARGUMENTVM.

39. Quid tamen, si a procuratore tuo stipulatus sum? (dum nihilominus tui contemplatione dedi.) Potest dici, superesse mihi aduersus te negotiorum gestorum actionem. (L. 2. tit. 14. §. 239.) quia ex abundantia hanc stipulationem interposui. L. 6. §. 1. b. dum interim negotiorum gestio principaliter versatur: procurator autem quasi fideiussor accessit. (L. 2. tit. 2. §. 16.)

ARGUMENTVM.

§. 2. 40. Si quis pecuniam vel aliam quandam rem ad me perferendam acceperit, quia meum negotium gessit, (me ignorante) negotiorum gestorum mihi actio aduersus eum competit. L. 6. §. 2. b. (L. 2. tit. 14. §. 240.)

OBSERVATIO.

§. 3. 41. Sed et si quis negotia mea gessit, non mei contemplatione (non in rem meam) sed sui lucri causa: Labeo scripsit: suum eum potius, quam meum negotium gessisse, (nec in rem meam consensisse.) Qui enim depraedandi causa accedit suo lucro non meo commodo studet. L. 6. §. 3. Ergo ex intentione gerentis negotiorum gestio non est, nec obligatio. (L. 1. tit. 1. §. 202.)

POSITIO.

42. Sed nihilominus, imo magis et is tenebitur negotiorum gestorum actione. L. 6. §. 3. b.

PROBATIO.

Qui lucri sui causa negotia mea gessit, non minus me ignorante gessit, et probe gnarus, quod commodum meum promoueri velim. (§. 3.) L. 1. tit. 1. §. 250.) Adeoque tenetur ad restitutionem negotii, et praestationem damni: id est tenetur actione negotiorum gestorum. (L. 2. tit. 14. §. 240.) Sufficere videtur consensus meus tacitus in commodum meum ad id, vt, quasi contraham. (L. 1. tit. 1. §. 250.) ex parte praedonis, quia iura praesumunt ipsum donasse. (§. 44. sequ.)

DEFINITIO.

43. Praedo est, qui rem alienam lucri iniqui causa inuito domino inuadit.

ARGUMENTVM.

44. Quoniam donatio est gratuita collatio rei suae in alium accipientem extra contractum facta (L. 1. tit. 19. §. 11.) ideo praedo negotiorum, qui aliena negotia in lucrum suum gerenda suscipit ignorante domino, donanti similis est. Nam non intendit contractum negotiorum gestorum, et optime nouit, negotia esse aliena, dominumque nolle, vt in lucrum gerentis, sed velle, vt in rem suam gerantur.

REGVLA.

45. Donans regulariter non habet actionem in id, quod donauit.

POSITIO.

46. Praedo negotiorum in id, quod impendit, actionem negotiorum gestorum non habet.

P R O B A T I O.

Nam quasi-contractum negotiorum gestorum noluit, et sciuit negotium esse alienum; adeoque donanti similis est. (§. 44.) cum ergo donans non habeat actionem in id, quod donauit, (§. 45.) ideo praedo negotiorum in id, quod impendit, non habet actionem, neque actionem negotiorum gestorum.

A N N O T A T I O.

47. Sic habet textus: Ipse tamen, si circa res meas aliquid impenderit, non in id, quod ei abest, quia improbe ad negotia mea accessit, actionem habet. *L. 6. §. 3. b.*

A R G V M E N T V M.

48. Sed in quod ego locupletior factus sum, habet contra me actionem. *L. 6. §. 3. b.* Nam habet actionem qui damnum rei suae patitur, cuius lucrum apud alium est. (L. I. tit. I. §. 318.) et ego habeor hic pro eo, qui lucrum iniquum tenet.

A N N O T A T I O.

49. Quantum locupletior factus sum, iterum cum effectu accipi debet, ut in pupillo. (§. 10. II.) Si impenſa praedonis res mea mihi non euasit auctior, si id iterum perit, ex quo amplior erat, praedo nullam habet actionem, si accessio extat, datur ipsi, non contraria negotiorum gestorum actio, quoniam in commodum meum nec consensit, nec donare voluit. Veruntamen in factum actionem hic intelligi puto. (L. 2. tit. 7. §. 23.) Mouet ratio, quia docente §. 47. non ex culpa gestio tenetur, verum, quia ego actione negotiorum gestorum contra praedonem expertus, (§. 42.) cum bonae fidei sit, mihi ipsi bonam fidem legem praestituerim: haec lucro iniquo renunciat. (L. I. tit. I. §. 260.) quare nec vi praesumptae iure donationis lucrum retinere possum, quod ergo actione in factum auocare potest impendens. GERARDI NOODT emendatio violentior videtur, qua praedonem loco actionis contra me exceptionem habere vult. *Probabil. Iur. L. 3. c. 9.* Exceptionem praedoni omnino denego, alias deduceret: At deducere praedo non debet. ait *lex 31. §. 1. ff. de haeredit. petit.* nec quidquam contractus hic versatur.

A R G V M E N T V M.

50. Si quis ita simpliciter (stupidè) versatus est, ut suum negotium in suis bonis quasi meum gesserit, nulla ex utroque latere nascitur actio, quia nec fides bona hoc patitur. *L. 6. §. 4. b.* Prorsus enim non est negotiorum gestio, (L. 2. tit. 14. §. 239.) nec subest conuentio, quia nemo se ipsum sibi obligare potest. (L. I. tit. I. §. 202.) §. 4.

A N N O T A T I O.

51. Bona fides non patitur ut negotiorum gestorum actio vel directa vel contraria, vel alia prorsus nascatur. Excludit enim bona fides lucrum et damnum. Si vero petat is cuius negotium putatum gestum esse dicitur, lucrum iniquum sibi peteret, quod contra bonam fidem ipsius actionis adeo fieret. (L. 2. tit. 14. §. 242.)

ARGUMENTVM.

52. Quodsi et suum et meum, quasi meum gesserit, in meum tenebitur, quia haecenus in rem domini ignorantis gestum fuit) Nam et si cui mandauero ut meum negotium gerat, quod mihi tecum erat commune, dicendum esse Labeo ait: si et tuum gessit sciens, negotiorum gestorum eum tibi teneri. *L. 6. §. 4. b.* Mandatarius sciens tuum negotium cum meo, quod mandaueram, geri, non ex mandato et voluntate, sed necessitate partis tuae aliquotae, non separabilis a mea, utpote incognitae (*L. 2. tit. 9. §. 29.*) gerit: igitur sciens alienum non mandatum negotium se gerere, negotiorum gestorum obligatur. (*L. 2. tit. 14. §. 239.*)

ARGUMENTVM.

§. 5. 53. Si quis quasi seruus meus negotium meum gesserit, cum esset vel libertus vel ingenuus: dabitur negotiorum gestorum actio. *L. 6. §. 5. b.* Quod bona fide seruus putauit se domini negotium gerere, non obstat, quo minus veritate alienum gesserit. (*L. 1. tit. 5. §. 22.*) Exinde autem est negotiorum gestio. (*L. 2. tit. 14. §. 239.*)

ARGUMENTVM.

§. 6. 54. Sed si ego tui filii negotia gesserō, vel serui: videamus, an tecum negotiorum gestorum habeam actionem? Et mihi videtur verum, quod Labeo distinguit et Pomponius libro vicesimo sexto probat, ut siquidem contemplatione tui (ut proprietati peculii profectitii profum, quae tua est, adeoque et negotium) negotia gessi peculiaria, tu mihi teneris: quodsi amicitia filii tui vel serui, vel eorum contemplatione, aduersus patrem vel dominum, de peculio duntaxat dandam actionem. *L. 6. §. 6. b.* Equidem ut scias, cuius negotium geras ad obligationem nihil confert. (*§. 34.*) Quoties autem dubium est, cuius negotium gestum sit, toties voluntas gerentis attenditur. Ut negotiorum gestio sit, contemplatio gerentis nihil operatur: cui in dubio obligatio quaesita sit, contemplatio comunfrat. (*§. 38.*)

ARGUMENTVM.

55. Idemque est, (itidem tenetur pater saltem peculiotenus) et si sui iuris eos (filium vel seruum) esse putauit, (tum certe horum contemplatione gessi non vero patris vel domini.) Nam et si seruum non necessarium, (si necessarium in rem patris verum esset negotium, et oriretur obligatio negotiorum gestorum in solidum, *L. 14. h.*) emero filio tuo, et tu ratum habueris, nihil agitur ratihabitione. *L. 6. §. 6. b.* Quia negotium quod gessi, alterius contemplatione, patris vel domini non est, (*§. 54.*) quod ergo ratihabitione suum efficere nequit, (*L. 1. tit. 8. §. 60.*) ut negotiorum gestio ipsi mecum sit, sed peculiotenus obligatur. (*L. 2. tit. 13. §. 23.*)

ANNOTATIO.

56. Intentio gerentis nihil ad obligationem negotiorum gestorum facit, quae omnino ex re aestimatur, modo aliena res in commodum eius geratur, ad quem pertinet, sed tantum aliquid momenti confert, quando idem negotium plurimum esse

esse potest, et quando dubitatur in quem actio competat: tum enim ius ex intentione mea oritur, cui me gestione, et quem mihi obligare voluerim. (§. 38-54)

P O S I T I O.

57. Quando filii negotium gessi, cuius peculium periit, datur contra patrem actio, in quantum locupletior factus est, id est, in factum.

P R O B A T I O.

Per se clarum est, quod quando filii negotium gessi, cuius peculium interiit, pater autem ex gestione mea locupletior factus est, lucrum rei habeat, cuius damnum me ferit. Quia vero tum actio in factum datur in eum, qui lucrum hoc habet. (L. 2. tit. 7. §. 23.) Propterea datur actio facti, in patrem in id, quod locupletior factus est, quando filii negotium gessi, dum peculium eius interiit. Nec alia suppetit actio magis propria: non actio de peculio, quod modo non fuit, quia non entis non dantur effectus (L. 1. tit. 1. §. 216.) nec actio negotiorum gestororum, quia patris negotium non fuit: nec actio de in rem verso, quia ego creditor peculiaris non sum peculio dudum desinente. (L. 2. tit. 13. §. 27.)

A N N O T A T I O.

58. Id ait textus: Eodem loco Pomponius scribit, hoc adiecto, quod putat, et si nihil sit in peculio, quoniam plus patri dominoue debetur, (potest enim deberi peculiotenus. L. 20. pr. ff. de dolo malo) et in patrem dandam actionem, in quantum locupletior ex mea administratione factus sit. L. 6. §. 6. b.

A R G V M E N T V M.

59. Sed si hominis liberi, qui tibi bona fide seruiebat, negotia gessero: si quidem putans tuum esse seruum, gessi, Pomponius scribit, earum rerum (peculiarium) causa, quae te sequi debent, tecum mihi fore negotiorum gestororum actionem: (Tuum enim negotium gessi, (L. 2. tit. 14. §. 240.) nec officit error extra obiectum (§. 53.) L. 1. tit. 1. §. 209.) earum vero rerum, quae ipsum sequuntur, non tecum, sed cum ipso. (L. 3. tit. 1. §. 67.) Sed si liberum sciui, earum quidem rerum, quae eum sequuntur, habeo aduersus eum actionem, earum vero, quae te sequuntur, aduersus te. L. 6. §. 7. b. (cit. §. 67.)

A R G V M E N T V M.

60. Si Titii Seruum putans, qui erat Sempronii, dederam pecuniam, ne occideretur, vt Pomponius ait, habeo negotiorum gestororum aduersus Sempronium actionem. L. 6. §. 8. b. Dubium hic nullum est, cuius negotium gesserim, capropter contemplationis nullae partes sunt. (§. 56.)

A R G V M E N T V M.

61. Item, quaeritur apud Pedium libro septimo, si Titium quasi debitorem tuum extra iudicium admonuero, (nam actionem in iudicio intendere regulariter non possum. L. 6. §. 12. b. t.) et is mihi soluerit, cum debitor non esset, tuque postea cognoueris et ratum habueris: an negotiorum gestororum actione (directa (L. 2. tit. 14. §. 240.) me possis conuenire? Et ait, dubitari posse, quia nullum negotium tuum gestum est.

(§. 55.) cum debitor tuus non fuerit. Sed ratihabitio, inquit, fecit tuum negotium *L. 6. §. 9. b.* Iam enim agnitio indebiti tanquam debiti, tuum negotium est per adprobationem. (*L. 1. tit. 1. §. 56.*)

ANNOTATIO.

62. Et sicut ei a quo exactum est, aduersus eum datur repetitio, qui ratum habuit, ita et ipsi debet post ratihabitionem aduersus me competere actio. Sic ratihabitio constituet tuum negotium, quod ab initio tuum non erat, sed tua contemplatione gestum. *L. 6. §. 9. b.* Ratihabitio hic loci adprobatio est cum applicatione ad se, et commodum suum peracta. Caeteroquin ratihabitio ex alieno proprium non facit. (§. 55.)

ANNOTATIO.

63. Verba: tui contemplatione: non accipienda sunt caussaliter, quasi contemplatione alicuius gesta, dispositionem et habilitatem aliquam adferant ad ratihabitionis validitatem. Nam idem negotium respectu ipsius, cuius contemplatione gerebatur, nullum dicitur, quod tamen in se nullum non est, quia indebiti acceptio obligationem naturalem ex re producit ad eius rei restitutionem.

ARGUMENTVM.

§. 10. 64. Idem ait: Si Titii debitorem, cui te haeredem putabam, cum esset Seius (haeres) conuenero similiter, et exegero, mox tu ratum habueris, esse mihi aduersus te et tibi, mutuam negotiorum gestorum actionem. *L. 6. §. 10. b. (§. 61. sequ.)*

ANNOTATIO.

65. Atquin, alienum negotium gestum est? Sed ratihabitio (i. e. adprobatio cum adpropriatione) hoc conciliat: quae res efficit, vt tuum negotium gestum videatur, et a te haereditas peti possit. *L. 6. §. 10. b. (§. 61.)*

ARGUMENTVM.

§. 11. 66. Quid ergo, inquit Pedius, si cum te haeredem putarem, insulam fulsero haereditariam, tuque ratum habueris, an sit mihi aduersus te actio? Sed non fore, ait: cum hoc facto meo alter sit locupletatus, et alterius re ipsa gestum negotium sit: nec possit, quod alii acquisitum est ipso gestu hoc tuum negotium videri. *L. 6. §. 11. b.* Applicare tibi per rerum naturam non vales, id, cuius lucrum re ipsa alterius est: hinc adprobatio inanis est, et intra intentionis nudae terminos subsistit. E contrario supra cum effectu adquisitio facta erat. (§. 61.)

REGVLA.

67. Qui partem negligit, is totum non curat.

OBSERVATIO.

68. Qui negotium aliquod susceptum totum non curat, is debitam negotio diligentiam omittit.

POSITIO.

69. In eum, qui negotia quaedam gessit, sed alia coniuncta neglexit, datur actio negotiorum gestorum.

P R O B A T I O.

Is totum non curat, qui partem siue coniunctum negligit, (§. 67.) idemque debitam diligentiam omittit, (§. 68.) Hac autem omissione culpam committit, (L. 1. tit. 1. §. 75.) Cum ergo in eum detur actio negotiorum gestorum, qui culpa sua nocet (L. 2. tit. 14. §. 240.) ergo in eum, qui negotia quaedam gessit, sed coniuncta neglexit, datur actio negotiorum gestorum.

A N N O T A T I O.

70. Secundum dicta intelligi debet textus: Videamus in persona eius, qui negotia administrat, si quaedam gessit, quaedam non: (quae tamen illis ita coniuncta sunt, ut idem vnumque negotium constituent, ita ut et omne negotium iam videatur occupatum) contemplatione tamen eius alius ad haec non accessit; et si vir diligens, quod ab eo exigimus, etiam ea gesturus fuit, (quia eiusdem negotii partes erant, quas omnes curare viri diligentis est,) an dici debeat, negotiorum gestorum eum teneri (et) propter ea, quae non gessit? quod puto verius. L. 6. §. 12. b. §. 12.

A N N O T A T I O.

71. Quam varia et controuersa sit acceptio vocis: *diligens*: in nostra lege, nimis prolixum, et forte inutile esset recensere. Culpae gradum inde determinare fatagunt, sed verba nimis generalia sunt, nec apparet negotiorum qualitas, nec debiti impliciti gradus, unde de culpae intensione hinc nihil concludendum. Sufficit culpam esse, quae imputari potest, et quae praestari debet.

A R G V M E N T V M.

72. Negotiorum gestor regulariter actiones intendere nequit, quia non est dominus, nec procurator.

A N N O T A T I O.

73. Nisi sit coniuncta persona, quae sub cautione de rato admittitur. (L. 3. tit. 3. §. 98.)

A R G V M E N T V M.

74. Certe si (negotiorum gestor, qui debitor est domini) quid a se exigere debuit, (quod non exegit, et in negotium soluit) procul dubio hoc ei imputabitur, (in omissionem et culpam) quanquam enim hoc ei imputari non possit, cur alios debitores non conuenerit, quoniam conueniendi eos iudicio facultatem non habuit, qui nullam actionem intendere potuit, (§. 72.) tamen a semetipso cur non exegerit, (cum hoc sine actione potuerit) ei imputabitur, et si forte non fuerit vsurarium debitum, incipit esse vsurarium: (ex mora) ut Diuus Pius Flauio Longino rescripsit: nisi forte inquit, vsuras ei remisit. (dominus negotii, cum gestor id ipsi restitueret.) L. 6. §. 12. b.

A N N O T A T I O.

75. Vsurarum vsu inualecente, oportet vsuras in ordinarium sortis emolumentum computatas esse; detrimentum creditoris fuisse, si vsuras non recepisset non remissas: tacite esse remissas, quas ab initio mutui stipulatus non fuerat: non remissas, quae moram insequutae fuerint, (§. 79. sequ.) Hinc vsurae morae in detri-

detrimento creditoris reputatae, ex mora deberi potuerunt, quae ante Imperatorum tempora non nisi pactae debebantur. Hoc ergo ex facto et vsu ortum in constitutionis ius versum fuit. *Add. G. NOODT. de foenore et Vsur. L. 3. c. 6.* contra quem Fr. Connani ratio huic textui reddita, saluari posset.

OBSERVATIO.

76. Secundum definitionem iudicii bonae fidei (L. 3. tit. 3. §. 183.) haec iudicia de natura actionis ipsiusque adeo contractus b. f. participant, et latitudinem recipiunt. Contractus bonae fidei respuit damnum et lucrum omne inter contrahentes: bonis, rebus, patrimoniisque nullum detrimentum hoc contractu inferri debet, nihil horum imminui. (L. 2. tit. 13. §. 75.) Mandatum praeter consensum expressum ingrediuntur requisita voluntatis antecedentis domini, eius in mandatarium fiducia, huius gratuitum officium et negotium alienum, quod tamen non alienatur. (L. 2. tit. 13. §. 75.) Item, in emtione venditione merx et certum pretium atque vtriusque valor aequalis est. Haec negotiis dictis latitudinem praestant, intra quam sese extendere potest officium iudicis, pro administrando iure et iustitia, seruandaque aequitate. Oritur ex his conuentionibus ius ex voluntate et natura conuentionis simul. Verum in stricti iuris conuentionibus deminutio rerum fit: (L. 1. tit. 1. §. 263.) quilibet in dubio suum sibi seruare cupit. (L. 1. tit. 1. §. 225.) hinc vltra verba nulla extensio, nulla ampliatio. Stipulatio fit interrogatione et congrua in continenti facta responsione: Promissor minuit rem vel ius suum: nec apparet, quid vicissim ipse recipiat. Permutatio est rei pro re datio, pretia rerum aequalia non sunt: proinde alterutrius lucrum admittitur. etc. In his omnibus nihil conspicitur, vnde intentionem mutuae aequalitatis bonorum et patrimoniorum integritatem conicias, sed gratuitae dimissioni iuris sui vel rerum locus datur. Proinde si iudici dico: Mandavi Titio: ille ex bona fide negotii, id est, ex natura et amplitudine contractus, iure et vsu gentium ipsi tributa, et quae lucrum et damnum non admittit, praestationes mutuas adiudicare, refusionem dictare potest, vt aequitas inter contrahentes seruetur, et ne quis locupletior euadat cum iactura alterius. E contrario, si dicam iudici: Stipulatus sum centum: dedi decem, vt seruum manumittat: tum natura negotii vsu gentium ad aequitatem non ita laxa est, vt iudex officium suum extendere queat. Vnde apparet: quod in bonae fidei contractibus tantum conuentum sit, quantum latitudo et natura contractus comprehendit: et quod in stricti iuris conuentionibus, praesertim in stipulatione tantum conuentum sit, quantum nominatim expressum, et quantum verba conuentionis demonstrant. (L. 2. tit. 14. §. 39.)

ANNOTATIO.

77. Circa textum praecedentem dubium oriri potest, quo iure iudex vsuras morae adiudicare queat, quae non sunt conuentae: ratio in lege sequenti redditur.

POSITIO.

Paul. L. 9.
ad Ed.
L. 7.

78. Quia tantundem in bonae fidei iudiciis officium iudicis valet, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio.
L. 7. §. 2.

PRO-

P R O B A T I O.

Nam iudex potest adiudicare poenam stipulationi vel contractui stricti iuris nominatim adiectam et conuentam, et potestati suae subiectam causam. (§. 76.) Et in b. f. iudiciis idem potest, ob naturam contractus, quae exaequationem lucri et damni poscit. (§. 76.) Ergo tantundem potest officium iudicis in bonae fidei iudiciis, quantum in stipulatione nominatim facta expressio.

A R G V M E N T V M.

79. Quoniam in negotiorum gestione bonorum deminutio cessat, sequitur quod negotiorum gestio sit contractus bonae fidei. (L. 2. tit. 14. §. 242.)

A R G V M E N T V M.

80. Mora culpam continet, (L. 2. tit. 14. §. 248.) cuius lucrum debitor morosus tenet. (L. 2. tit. 1. §. 33.) hoc vi contractus bonae fidei iudex compensare debet, (§. 78.) proinde vsuras morae in exaequationem lucri, quod ex facto morae percepit debitor a se non exigens, adiudicare valet.

A R G V M E N T V M.

81. Si autem is fuit, qui negotia administravit, a quo mandatum non exigebatur: (L. 3. tit. 3. §. 98.) Addatur L. 35. pr. b. t. L. 24. ff. rer. amor. L. fin. C. de Consort. eiusd. tit.) posse ei imputari, cur oblata de rato cautione eum debitorem (§. 74.) non conuenerit: si modo facile ei fuerit satisdare. L. 8. pr. b. (§. 73.)

Vlp. L. 10. ad Ed.
L. 8. pr.

D E F I N I T I O.

82. Actio perpetua est, quae bonorum causam habet, et ordinario longoque tempore demum expirat.

D E F I N I T I O.

83. Actio temporalis est facti meri persecutoria, vel iuri ciuili detrahens, quae statuto legibus breuiori tempore expirat.

A R G V M E N T V M.

84. Certe in sua persona indubitatum est, (eum teneri negotiorum gestorum, si a seipso non exegit) et ideo si ex causa fuit obligatus, quae certo tempore finiebatur, (ex causa, vnde actio temporalis oriebatur (§. 83.) et tempore liberatus est: (ab actione ex illa causa) nihilominus negotiorum gestorum actione erit obligatus. L. 8. pr. b. (Culpam exactionis neglectae praestabit. (§. 25.)

A N N O T A T I O.

85. Ob damnum datum Titio debitor existo, cuius negotia gero. Legis Aquiliae actio ex primo capite legis in id datur, quo res proximo anno plurimi fuit. Annum praeterlabi sino, nec a me exigo: interemta est actio legis Aquiliae in eam aestimationem: sed actione negotiorum gestorum adhuc teneor ob negotium hoc neglectum.

A N N O T A T I O.

86. Idem erit dicendum et in ea causa, e. g. vsusfructus. L. f. pr. C. de vsufr.) ex qua haeres non tenetur, vt Marcellus scribit. L. 8. pr. b. Nimirum negotia Titii gerens, usumfructum praescribi passus sum non vtendo.

Haeres de fructibus percipiendis mecum agere nequit, nam ususfructus in persona fructuarii tantum substitit. (L. 2. tit. 9. §. 20.) valet autem agere negotiorum gestorum.

ANNOTATIO.

87. BRUNNEMANNVS in *Comment. ad Pand.* hoc loco: notat: Haec, ut acute ab Ulpiano dicta, notanda: possunt enim aliquando in foro utilitatem parere. Casum tamen de actione in haerem non transeunte insigniter peruertit.

ARGUMENTVM.

- §. 1. 88. Item, si fundum tuum (hinc negotium tuum est,) vel ciuitatis (a tertio quodam) per obreptionem petiero, (extraiudicialiter plus petendo tempore) negotium tuum vel ciuitatis gerens, et ampliores, quam oportuit, fructus fuero consecutus: debebo hoc ipsum tibi vel reipublicae praestare, (quia tuum vel reipublicae negotium est, ex quo tibi teneor, quamuis fructuum lucrum iniquum tuum non sit. vid. omnino §. 61.) licet petere non potuerim (gestionis iure et iudicialiter. §. 72.) L. 8. §. 1. b.

DEFINITIO.

89. Exceptio rei iudicatae est postulatio rei priori aliquo iudicio cum effectu absoluti, contra actionem ex eadem re et causa denuo institutam.

POSITIO.

- §. 2. 90. Si quocunque modo ratio compensationis (impensarum) habitata non est (in iudicio negotiorum gestorum directo) potest contrario iudicio agi. L. 8. §. 2. b.

PROBATIO.

Quando iudex rationem non habuit compensationis impensarum, certum est, de impensis non esse iudicatum, nec absolutum actorem iudicii directi negotiorum gestorum: unde actioni contrariae ad impensas consequendas non obstat exceptio rei iudicatae (§. 89.) ergo contrario iudicio adhuc agi potest. (L. 2. tit. 14. §. 241.)

ARGUMENTVM.

91. Quodsi post examinationem (in iudicio negotiorum gestorum directo) reprobatae fuerint pensationes (licet actio negotiorum gestorum contraria instituta non sit) verius est, quasi re iudicata amplius agi contrario iudicio non posse, quia exceptio rei iudicatae opponenda est. L. 8. §. 2. b. Nam per reprobationem compensationum materiae et fundamento iudicii contrarii iam est praeiudicatum. (L. 1. tit. 6. §. 26.)

ARGUMENTVM.

- §. 3. 92. Iulianus libro tertio tractat, si ex duobus sociis (omnium bonorum) alter me prohibuerit administrare, alter non: (quoniam ignorauit me gerere) an aduersus eum, qui non prohibuit, habeam negotiorum gestorum actionem? Mouetur eo, quod si data fuerit aduersus eum actio, necesse erit, et eum pertingi, qui vetuit. (Prohibitio expressa excludit praesumptionem consensus: (L. 1. tit. 1. §. 224.) ergo cessat a parte prohibentis quasi-contractus, (ibid. §. 253.) Tangitur tamen actioe et is qui prohibuit, ob incertitudinem partis suae, quae per totum errat, (L. 2. tit. 9. §. 29.) Sed et illud

(ex

(ex aduerso) esse iniquum, eum, qui non prohibuit, alieno facto (prohibitione alterius socii) liberari: (ita quidem, ut gestor actione et iure suo priuatur. Si intuitu prohibentis contra non prohibentem penitus cessare deberet actio) cum si mutuum pecuniam alteri ex sociis, prohibente socio, dedissem, utique eum obligarem. (Nam ex re vniuersitatis bonorum omnium communium obligatur.) Et puto secundum Iulianum debere dici, superesse contra eum, qui non prohibuit, negotiorum gestorum actionem, (nam huius respectu gestio tenet. (L. 2. tit. 14. §. 239.) ita tamen, ut is, qui prohibuit, ex nulla parte, neque per socium (vi et iure societatis) neque per ipsum (gestorem) aliquid damni sentiat. *L. 8. §. 3. b.*

OBSERVATIO.

93. Negotium vel opus probatur, quando declaratur, istud recte et bene atque sine vitio perfectum esse: Sed ratum habetur negotium, quando dominus consentit in gestionem praeteritam, et eam, quantumuis damnosam, condonat: quamuis nondum laudet, et approbet id, quod gestione effectum est. Sunt autem probatio et rati habitio adeo cognatae ut dubitari saepissime possit, vtra illarum peracta sit.

ARGUMENTVM.

94. Pomponius scribit, si negotium a te, quamuis male gestum probauero, negotiorum tamen gestorum te mihi non teneri (quoniam nullum damnum ex gestione esse, probando confessus sum) Videndum ergo, ne in dubio hoc, an ratum habeam, an vero prorsus approbem: (§. 93.) actio negotiorum gestorum pendeat: nam quomodo, cum semel coeperit, (per ipsam gestionem improbam) nuda voluntate (approbationis) tollitur? Sed superius (per approbationem actionem negotiorum gestorum tolli) ita (verum) se putare, si dolus malus (quo ad probandum negotium inductus fui, vel quo damnum in negotio datum celsasti) a te absit. (Hactenus Pomponius) (Scaeuola:) Immo puto, et si comprobem adhuc negotiorum gestorum actionem esse. Sed (Pomponii dictum) eo dictum, te mihi non teneri, quod reprobare non possim semel probatum, (L. 1. tit. 7. §. 92.) et quemadmodum, quod vtiliter gestum est, necesse est apud iudicem pro rato haberi, ita omne, quod ab ipso probatum est. Caeterum, si, vbi probaui, non est negotiorum actio, quid fiet, si a debitore meo egerit, (quod in rationes non retulit) et probauerim, quemadmodum (qua actione) recipiam? Item, si vendiderit? Ipse denique, si quid impendit, quemadmodum recipiet? Nam utique mandatum non est: licet rati habitio in tractatione imputationis aequipolleat mandato. (L. 1. tit. 8. §. 63.) vnde mandati agere posset;) Erit igitur et post rati habitio negotiorum gestorum actio. *L. 9. b.* Nam negotiorum gestio est bonae fidei, quae damnum et lucrum non fert. (§. 79.)

*Scaeu. L. 1.
Quaest.
L. 9.*

ANNOTATIO.

95. Glossatores ad hanc legem, quam difficilem dicunt, summa iuris permiscunt. Summa legis haec est: Si dubium sit, an comprobauerim gestum, an

vero rati habuerim, te gessisse, num actio negotiorum gestorum pendebit? Sed per rati habitationem actio non tolletur, quia negotiorum gestio nudo verbo in mandatum abire nequit, ad quod sollempni nouatione opus fuisset. Si approbatio facta esse censeatur, sed dolo elicitā, iterum manere integrum negotiorum gestorum actionem, quia dolus eiusmodi consensui et approbationi obstat. Verum, et si dolus abfuerit, secundum Scaeuolam esse actionem negotiorum gestorum, cum hac sublata, nulla alia actione recuperare potero, quod a debitore meo exegisti, vel pretium, quod e re mea vendita redegisti. Nam utique negotiorum gestio est, non mandatum, ut mandati agere queam. Ergo, siue comprobassem, siue ratum habuissem, utroque modo gestorum negotiorum actio ob bonam fidem negotii erit. Tametsi Pomponius ad regulam respicit, quod contra factum meum venire nequeo. (L. 1. tit. 7. §. 92.) potior tamen ratio est: te non debere lucrari, cum meo damno. (L. 1. tit. 7. §. 138.) Aliam solutionem dat A. FABER. *Consuet. L. 4. c. 10.* at verba: *ne in dubio*: intacta reliquit, quae meo iudicio basis omnis disputationis sunt.

ARGUMENTVM.

96. Sed an ultro? (non agente domino actione directa ad negotii restitutionem) mihi tribuitur actio, (contraria) sumtuum quos feci? Et puto competere: (etenim: contraria actio, ordinem non significat) nisi specialiter id actum est, ut neuter aduersus alterum habeat actionem. *L. 10. pr. b.* (L. 2. tit. 6. §. 8.)

ANNOTATIO.

97. Interdum dominus directa non aget, quando scilicet negotium siue culpa gestoris interiit: quod sequentia textus docent.

ARGUMENTVM.

98. Is autem, qui negotiorum gestorum agit, non solum si effectum habuit negotium, quod gessit, actione ista utetur: sed sufficit, si utiliter gessit, et si effectum non habuit negotium. (Ne formidine casus fortuiti humanitas gestorum negotiorum penitus cesset. §. 25.) Et ideo, si insulam fulsit, vel seruum aegrum curauit, etiam si insula exusta est, vel seruus obiit, aget negotiorum gestorum, idque et Labeo probat. Sed (ut Celsus refert,) Proculus apud eum notat, non semper debere dari. Quid enim, si eam insulam fulsit, quam dominus, quasi impar sumtui, dereliquerit, vel quam sibi necessariam non putauit? (quo casu prorsus domini negotium non est, unde et ex gestione obligari non potest, nec actio nasci) oneravit, inquit, dominum, secundum Labeonis sententiam, (etsi utilitas gestionis respectu negotii solum aestimetur) cum unicuique liceat, et damni infecti nomine rem derelinquere. Sed istam sententiam Celsus eleganter deridet, (quia non tantum spectari debet, an negotium in se utiliter gestum sit, sed an omnino domini negotium sit.) Is enim negotiorum gestorum (inquit) habet actionem, qui utiliter negotia gessit. Non autem utiliter negotia gerit, qui rem non necessariam, vel quae oneratura est patremfamilias, aggreditur. Iuxta hoc est, et quod Iulianus scribit, cum,

eum, qui insulam fulsit, vel seruum aegrotum curauit, habere negotiorum gestorum actionem, si vtiliter hoc faceret, (si negotium domino quoque vtile sit, et modo debito geratur,) licet euentus non sit secutus. Ego quaero: quid si putauit se vtiliter facere, sed patrifamilias non expediebat? Dico, hunc non habiturum negotiorum gestorum actionem, (quia dominus eiusmodi negotium pro suo non agniturus est) vt enim euentum non spectamus, debet vtiliter esse coeptum. *L. 10. §. 1. b.* (debet tale esse negotium quod suscipitur, vt ex gestione eius vtilitas domini sequi possit.)

A N N O T A T I O.

99. Proculus notauit, ei qui vtiliter gessit, non semper dari actionem: Exempla affert, si dominus sumtu gestionis oneraretur magis quam inuaretur. Hanc sententiam ideo risit Celsus, quia Proculus in vtiliter gessis ponit, quod domino minime vtile gestum ait. Derisio arguta reprehensio est. Derisus fuit Zeno a Seneca, quod argumentatus ita fuit: Ebrius secretum sermonem nemo committit, viro autem bono committi solet: ergo ebrius non est vir bonus. Reprehensus est per inductionem: Nec dormienti quisquam sermonem committit: sequeretur ergo absurdum: bonum virum non dormire. *SENeca, Epist. 83.*

A R G V M E N T V M.

100. Si negotia absentis et ignorantis geras, et culpam et dolum praestare debes. *L. 11. b.* Quia sponte se negotio offert gestor, peritiam et pro habitu negotii ipsum artificium proficitur et offert: ergo ad summam diligentiam et consequenter ad culpae leuissimae praestationem tenetur (§. 25.) Si quando ex circumstantiis patet, peritiam non esse promissam, culpa leuissima non praestatur, sed dolus tantum. (§. 26.)

*Pomp. L. 21.
ad Qu. Mus.
L. 11.*

A N N O T A T I O.

101. Sed Proculus interdum etiam casum praestare debere: veluti si nouum negotium, quod non sit solitus absens facere, tu nomine eius geras, veluti venales nouitios coemendo, vel aliquam negotiationem ineundo. (Dicerem, negotium domini nullum esse, nec tamen hoc alterius esse; fieri autem posse domini negotium, si ratihabeat (§. 61. sequ.) Ergo, si nouitii coemti mortui sunt: si merces negotiationis incendio perierunt vel naufragio, domino non ratihabente, eius negotium non est, sed tuo periculo res perit: nec contemplatio domini eum negotiorum gestorum obligat (§. 56.) vnde proprie domino casum non praestat, sed negotia saltem restituit, omne quod per sciolam curiositatem abest, sibi habet.) Nam si quod damnum ex ea re secutum fuerit, te sequetur, lucrum vero absentem, (si ratum habuerit (§. 61.) Quodsi in quibusdam lucrum factum fuerit, in quibusdam damnum, absens pensare lucrum cum damno debet. *L. 11. b.* (quia in negotio bonae fidei, quale est gestio negotiorum (*L. 2. tit. 14. §. 242.*) nemo lucrari potest cum alterius, (*L. 1. tit. 1. §. 260. 262.*) ne quidem cum praedonis damno. (§. 49.)

O B S E R V A T I O.

102. Iure gentium stricto seruus nihil habebat. (*L. 1. tit. 6. §. 3.*) et iure quoque

que civili pro nullo erat: (L. 2. tit. 7. §. 10.) qua de causa nec haeres vel successor ipsi esse poterat, (§. 14. Hunc rigorem fictione legis Corneliae mitigarunt Romani.

DEFINITIO.

103. Legis Corneliae fictio est, qua in bello capti et apud hostem mortui eo momento decessisse finguntur, quo capiebantur.

ARGUMENTVM.

104. Ergo hi nunquam in seruitute fuisse accipiuntur, et iura civilia in eorum successione obtinent.

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 10. ad Ed. L. 12. pr. 105. Quoniam haeres in ius bonorum succedit, quod fuit defuncti tempore mortis, (L. 1. tit. 7. §. 75.) Successori eius, cuius fuerunt negotia, qui apud hostes decessit, haec actio danda erit. L. 12. pr. b.

ARGUMENTVM.

§. 1. 106. Quia filiusfamilias peculium castrense iure patrisfamilias tenet (L. 2. tit. 4. §. 23.) non tantum haeredem habere potest: sed si filiusfamilias militis defuncti (negotia) testamento facto gessi, similiter (successori) erit danda actio. L. 12. §. 1. b. (L. 1. tit. 7. §. 75.)

REGVLA.

107. Periculum recipit, qui ausu proprio citra modum debitum facit, et qui sciens rem periculo committit.

ARGUMENTVM.

108. Ergo qui moram restituendae rei facit, periculum recipit.

ARGUMENTVM.

§. 2. 109. Haereditas ipsa pro persona consideratur, et in quibusdam defuncti personam sustinet (§. 14.) Inde concludit textus: sicut autem in negotiis viuorum gestis, sufficit vtiliter negotium gestum, (sine consideratione eius cuius fit) ita et in bonis mortuorum: (non attendendo ad futurum haeredem) licet diuersus exitus sit. L. 12. §. 2. b. licet testamentum sit destitutum, vel alius haeres scriptus reperiatur, quam gerens putabat. Item: licet negotium casu vel vi maiori periiit.

ARGUMENTVM.

Paul. L. 9. ad Ed. L. 13. 110. Debitor meus, qui mihi quinquaginta debebat, decessit: huius haereditatis curationem suscepi, et impendi decem, deinde redacta ex venditione rei haereditariae centum in arca reposui; haec sine culpa mea perierunt. (casu fortuito.) Quaesitum est, an ab haerede, qui quandoque extitisset, vel creditam pecuniam quinquaginta petere possim, vel decem, quae impendi. Iulianus scribit, in eo verti quaestionem, ut animaduertamus, an iustam causam habuerim seponendorum centum. (An casum culpa mea non informauerim.) Nam si debuerim et mihi et caeteris haereditariis creditoribus soluere, periculum non solum sexaginta, sed et reliquorum quadraginta (millium) me praestaturum: Nam ausu proprio contra faciendum, quam debui, periculum meum feci. (§. 107.) decem tamen, quae impenderim, retenturum, (quoniam haec

vtiliter

utiliter impensa sunt, quamvis sine fructu. (§. 98.) (id est, sola nonaginta restituenta:) si vero iusta causa fuerit, propter quam integra centum custodirentur, veluti, si periculum erat, ne praedia in publicum committerentur: (si tributis proxime soluendis pecuniam paratam reponere oportuit:) ne poena traiectionis pecuniae augetur, aut ex compromisso committeretur, (confer. L. 5. ff. de naut. foen.) non solum decem, quae in haereditaria negotia impenderim, sed etiam quinquaginta, quae mihi debita sunt, ab haerede me consequi posse. *L. 13. b.* Nam utiliter coepi, et gessi, licet effectu destituta sit gestio, siue, negotium, quod domini erat, in rem eius, et vti debebat, curavi. (§. 98.)

A N N O T A T I O.

III. Inde probare licet, quod ob tributa non soluta praedia in publicum commissa fuerint. Pecunia traiectionis est, quae trans mare vehitur. Probabile est, exercitores nauium nauticum foenus exercuisse, creditum ita contractum esse, vt exercitor tantum promitteret ei, qui pecuniam trans mare vehi curabat, se loco solutionis destinato soluturum; debitori huic interdum nihil soluebat, interdum merces exercitori transuehendae dabantur, e quibus redactu in loco destinato pecunia solui debebat: interdum ipsa pecunia numerabatur periculo traiectionis durante navigatione. Poenam in debitorem statutam fuisse, e *lege 8. et 9. ff. de nautico foen.* patet. Finge ergo, gestorem expectasse interpellationem ob pecuniam traiectionis, quam momento interpellationis restitui oportebat, nisi poenam conuentam in dies singulos morae augeri voluerit, aut si nihil conuenerat, ex arbitri opinione eam definiri et committi. Huic rei pecuniam paratam et praesentem habere, prouidentiae in negotiorum gestione debitae conueniens erat.

A R G V M E N T V M.

112. Si filiusfamilias negotia gessisse proponatur, aequissimum erit, in patrem quoque actionem dari, siue peculium habet: (id est, siue aliquid in peculio sit, vti casus est in *lege 19. pr. b. t.*) siue in rem patris sui vertit: (L. 2. tit. 13. §. 28.) Et si ancilla, simili modo. *L. 14. b.* (L. 1. tit. 1. §. 246.)

Vlp. L. 10. ad Ed. L. 14.

A R G V M E N T V M.

113. Quoniam aliter pupillus ex negotiis gestis actione tenetur, (§. 10.) aliter seruus et filiusfamilias (§. 112. 54.) et aliter, qui plene sui iuris est: vel potius, quia alius in dictis personis gestiois effectus est, ideo Pomponius libro 26. in negotiis gestis initio cuiusque temporis (quo gestio coepit) conditionem spectandam ait. (L. 2. tit. 1. §. 14.) Quid enim inquit, si pupili negotia coeperim gerere, et inter moras pubes factus sit? vel serui aut filii familias, et interea liber, aut paterfamilias effectus sit? Hoc et ego verius esse didici: nisi ab initio quasi vnum negotium gesturus (e. gr. praedium curaturus) accessero, deinde alio animo ad alterum (tabernam mercatoriam) accessero eo tempore, quo iam pubes, vel liber vel paterfamilias effectus est. Hic enim quasi plura negotia (separatim et successive coepta) gesta sunt: et pro qualitate personarum et actio formatur, et condemnatio moderatur. *L. 15. b.* Nam actio, quae praedium spectat, in id

Paul. L. 9. ad Ed. L. 15.

id saltem erit, quod pupillus locupletior factus est, reliquum a tutore petetur (§. 7. 8. 10.) quae ad tabernam pertinent, in solidum aduersus adolescentem. Peculiotenus vel ob versionem in rem etiam in patrem dabitur vel dominum, actio negotiorum gestorum. Moderatio condemnationis, est directio sententiae pro conditione personarum et coeptae gestionis initio.

OBSERVATIO.

*Id. L. 7. ad
Plant.
L. 16.* 114. Sed et cum aliquis negotia mea, (successiue emergentia) gerit, non multa negotia sunt, sed vnus contractus: nisi ab initio ad vnum negotium (emtionem praedii) accessit, vt finito eo discederet: hoc enim casu, si noua voluntate aliud quoque (praedium iam comparatum, vel quod per haereditatem obtigit) aggredi coeperit, alius contractus est. *L. 16. b.*

ARGUMENTVM.

*Vlp. L. 35. ad
Ed.
L. 17.* 115. Eum actum, (e. gr. dispensationem etc.) quem quis in seruitute egit, manumissus non cogitur reddere. *L. 17. b.* Non cogitur restituere per actionem negotiorum gestorum, quia ab initio ciuili obligatio non fuit cum seruo. (*L. 2. tit. 7. §. 10.*)

ARGUMENTVM.

116. Plane, si quid connexum fuit, vt separari ratio eius, quod in seruitute gestum est, ab eo, quod in libertate gessit, non possit, (e. gr. si aedificium in seruitute coepit, in libertate absoluit) constat venire in iudicium vel mandati vel negotiorum gestorum, quod in seruitute gestum est. *L. 17. b.* Seruus iure ciuili pro nullo habetur (§. 102.) vnde actionem instituere nequit. Ne tamen ipsi libertas damnosa sit, ex benignitate contra disputandi rigorem, et ea in iudicium deducere potest, sine quibus iudicio penitus careret. (*L. 1. tit. 3. §. 26.*) *L. 1. tit. 18. §. 27.*) Agit autem mandati, si domino negotii sciente vel mandante, negotiorum vero gestorum, si eo ignorante coepta perfecit.

ARGUMENTVM.

117. Denique, si tempore seruitutis aream emerit, et in ea insulam aedificauerit, eaque corruerit, deinde manumissus fundum locauerit: sola locatio fundorum in iudicio negotiorum gestorum deducitur, quia ex superioris temporis administratione nihil amplius iudicio deduci potest, quam id, sine quo ratio libertatis tempore administratorum negotiorum expediri non potest. *L. 17. b.* (Locatio et anterior aedificatio sunt actus nullatenus cohaerentes, et iudicium de locatione sine illo de aedificatione peragi potest: Quod autem contra rationem iuris receptum est, extendi nequit, ad alios casus (*L. 1. tit. 3. §. 16.*) ergo locati tantum agetur.

ARGUMENTVM.

*Paul. L. 9.
ad Ed.
L. 18.* 118. Proculus et Pegasus bonam fidem eum, qui in seruitute gerere coepit, praestare debere aiunt: ideoque, quantum si alius eius negotia gessisset, seruare potuisset, (qui a seruo exegisset, quod peculiotenus debebat) tantum eum, qui a semetipso non exegerit, negotiorum gestorum actione praestaturum, si aliquid habuit in peculio, cuius retentione id seruari potest. (Idem Neratius.) *L. 18. b.*

A N N O T A T I O.

119. Seruus Titii debitor est, eiusque negotia gerit. Manumittit seruum hunc dominus, sed demto peculio. Continuat in libertate gestionem in seruitute coeptam, vnde actione negotiorum gestorum conuenitur. (§. 116.) Quoniam debiti nomine ex peculio tantum retinere debebat, tanquam gestor, quantum Titio debebat, id nempe, quod alias Titii gestor ab eo exegisset, adeoque a se exigere; hanc autem diligentiam neglexerat, ob culpam ideo tenetur. Bonam fidem praestare debere, eo sensu dicitur, quod stricto iure se debito culpae subtrahere non debeat, quasi negligentiam tanquam seruus, adeoque extra contractus obligationem commisisset.

D E F I N I T I O.

120. Natura obligari dicitur, qui lucrum rei habet, vel fidem dedit.

A R G V M E N T V M.

121. Omnis homo vel persona, et res quoque, lucratiue locupletatus re ipsa et naturaliter obligatur. (L. 2. tit. 1. §. 33.)

A R G V M E N T V M.

122. At qui natura debitor fuit, etiam si in peculio nihil habuit, (et) sibi postea soluere debet, in eodem actu perseverans. *L. 19. pr. b.* At seruus, qui ex gestione aliquid percepit, si manumissus in eodem actu gestionis perseverauit, quamuis nihil in peculio fuit, postea sibi, vt gestori, e re sua soluere debet, ob naturale debitum, quod ex re et lucro est. (L. 3. tit. 2. §. 34.)

Id. L. 2. ad Ner. L. 19. pr.

A N N O T A T I O.

123. Sicut is, qui temporali actione tenebatur, etiam post tempus exactum negotiorum gestorum actione id praestare cogitur. *L. 19. pr. b.* (§. 84. 85.)

A R G V M E N T V M.

124. Quia seruus re obligatur (§. 120.) minime autem contractu (§. 102.) Scaeuola noster ait: putare se, quod Sabinus scribit, debere: A capite rationem reddendum: sic intelligi, vt appareat, quid reliquum fuerit, (quantum debuerit naturali obligatione ob res ex negotiis perceptas) tunc, cum primum liber esse coeperit: non vt dolum aut culpam in seruitute admissam in obligationem reuocet, (haec enim ex contractu sunt, aut ipsa manumissione et noui hominis productione facta, non imputanda (L. 1. tit. 5. §. 37.)) Itaque, si inueniatur vel malo more pecunia in seruitute erogata, (modo ipse lucrum eius non adhuc teneat) liberabitur. *L. 19. §. 1. b.*

§. 1.

O B S E R V A T I O.

125. Quando bona fide seruienti (L. 2. tit. 14. §. 115.) aliquid mando, hic animo seruientis et obsequentis imperio paret, non autem exequitur negotium eo animo, quasi et hoc nolle potuisset, et adeo non ex voluntate libera. (L. 1. tit. 1. §. 34.)

P O S I T I O.

126. Si libero homini, qui bona fide mihi seruiebat, mandem, vt aliquid agat: non fore cum eo mandati actionem, Labco ait. *L. 19. §. 2. b.*

§. 2.

P R O B A T I O.

Qui bona fide mihi seruiebat, voluntate sua non suscepit, quod mandavi, sed obsequio (§. 125.) vnde mandatum non est, (L. 1. tit. 8. §. 61.) Mandati autem actio non esse potest, quando non est mandatum (L. 2. tit. 13. §. 74.) Igitur, si mandem ei, qui bona fide mihi seruiebat, non erit mandati actio.

A N N O T A T I O.

127. Eadem ratio in ipso textu redditur: quia non libera voluntate exequitur rem sibi mandatam, sed quasi ex necessitate seruili. L. 19. §. 2. b.

A R G V M E N T V M.

128. Erit igitur negotiorum gestorum actio: quia et gerendi negotii mei habuerit affectionem, et is fuit, quem obligare possem. L. 19. §. 2. Nam rei veritate spectata seruus non fuit, sed is, quem obligare potui: vnde negotium meum gestum est, me ignorante: hinc autem obligatio negotiorum gestorum venit. (L. 1. tit. 14. §. 239.)

A R G V M E N T V M.

§. 3. 129. Cum me absente negotia mea gereres, imprudens rem meam emisti, et ignorans (rem meam esse) vsucapisti: mihi negotiorum gestorum, (quasi eam redimendo negotium meum gesseris) vt restituas, obligatus non es. L. 19. §. 3. b. Nam vsucapio est modus acquirendi dominium, (L. 1. tit. 5. §. 66.) et negotiorum gestio non est, quod in rem suam, non alienam quis praestitit. (L. 2. tit. 14. §. 239.) §. 41.)

A N N O T A T I O.

130. Non sequitur inde, quod durante possessione bona fides requiratur: nam hic loci in negotiorum gestore tantum requiritur, ignorantem eum vsucapere, ne sciens, rem esse domini, cuius negotia gerit, negotiorum gestorum obligetur. De his libro 4. titulo 2. dicitur: vbi demonstrabitur e ratione sana et iuris gentium principio, bonam fidem iure ciuili ab initio acquisitionis tantum requiri.

A N N O T A T I O.

131. Sed si antequam vsucapias, cognoscas rem meam esse, subii- cere debes aliquem, qui a te petat (iudicialiter) meo nomine, (rem illam emtam, vt interrumpatur vsucapio, opus autem est, vt mandatum non exigas. Reuera autem hic erit alter et substitutus negotii gestor) vt et mihi rem, (ne vsucapiatur) et tibi stipulationem euictionis committat. L. 19. §. 3. b. (L. 3. tit. 3. §. 225.) Committitur, id est absoluitur domino potestas euincendi (L. 1. tit. 1. §. 206.) gestori autem committitur stipulatio euictionis. Iam euicente domino rem a subiecto illo hic mihi simplam, id est, pretium rei emtae restituet, quod actione negotiorum gestorum contraria a domino recuperabit. Ista autem stipulatio euictionis, vt conicio, nihil aliud est, quam sponso: nisi res tua sit, (L. 2. tit. 3. §. 1. 9.) ob bonam fidem gestis negotiis debitam, subiicere debes alium, ne vsucapias. Vt vsucapias, iure ciuili, vt notum est, bona fides non exigitur post acquisitionem. Adparet etiam ex ipso textu, ignorantem et inuitum vsucapere.

ANNO-

A N N O T A T I O.

132. Nec videris dolum malum facere in hac subiectione, (quia nocendi machinatio non est. (L. 1. tit. 1. §. 68.) ideo enim hoc facere debes, ne actione negotiorum gestorum tenearis. L. 19. §. 3. b. quod a te non eueris, quod non aliter quam per subiectam personam fieri potest: cum usufructuonis sistendae modus solitus et proprius sit usurpatio. (L. 1. tit. 1. §. 153.) L. 3. tit. 3. §. 159.)

A R G V M E N T V M.

133. Non tantum sortem, verum etiam usuras ex pecunia aliena perceptas, negotiorum gestorum iudicio praestabimus, (nam negotia cum omni causa sunt restituenda. (L. 2. tit. 14. §. 240.) vel etiam, quas percipere potuimus, (quia culpa leuissima regulariter praestanda est. (§. 100.) Contra quoque usuras (quas) praestabimus (praestauimus) vel quas ex nostra pecunia percipere potuimus, quam in aliena negotia impendimus, seruabimus negotiorum gestorum iudicio, L. 19. §. 4. b. Nam negotiorum gestio bonae fidei est, et in ea officio iudicis locus datur. (§. 78.) §. 4.

D E F I N I T I O.

134. Postliminium est fictio iuris ciuili, qua ii, qui ab hostibus capti, sed iterum reuersi sunt, item res mobiles et immobiles recuperatae, supponuntur reuersi et recuperatae eodem momento, quo capiebantur, demto intermedio tempore.

A R G V M E N T V M.

135. Ergo fingitur, quasi nunquam capta fuerint.

A R G V M E N T V M.

136. Postliminium et similes fictiones iuris non afficiunt ea, quae mere naturalia sunt.

A R G V M E N T V M.

137. Dum apud hostes esset Titius, negotia eius administrari, postea reuersus est: Negotiorum gestorum mihi actio competit, etiam si eo tempore, quo gerebantur, dominum non habuerunt. L. 19. §. 5. b. (§. 102.) (L. 1. tit. 6. §. 13.) Hoc quidem iure postliminii procedit. (§. 135. 136.) §. 5.

A R G V M E N T V M.

138. Sin vero apud hostem constitutus decessit: et successori et aduersus successorem eius negotiorum gestorum directa et contraria competit. L. 20. b. t. (§. 102. sequ.) *Vlp. L. 10. ad Ed. L. 20.*

A R G V M E N T V M.

139. Nam et Seruius respondit, vt est relatum apud Alfenum libro 39. Digestorum: cum a Lusitanis tres capti essent, vt unus ea conditione missus, vt pecuniam pro tribus afferret, et nisi rediisset, vt duo pro eo quoque pecuniam darent, isque reuerti noluiisset, et ob hanc causam illi pro tertio quoque pecuniam soluissent: (Seruius respondit) aequum esse Praetorem in eum reddere iudicium. L. 21. pr. b. Iure enim postliminii pro iis habentur, qui nunquam serui fuerint, ita vt ciuili obligatio *Paul. L. 9. ad Ed. L. 21. pr.*

gatio inter eos esse potuerit. (§. 102.) Fideiussio autem cum medio tempore perit. (§. 134.)

ARGUMENTVM.

- §. 1. 140. Qui negotia haereditaria gerit, quodammodo sibi haereditatem, seque ei obligat: (§. 14.) ideoque nihil refert, an etiam pupillus haeres existat, quia id aes alienum (per impenfas negotia gerentis contractum) cum caeteris haereditariis oneribus ad eum transit. *L. 21. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

141. Aliud est in illo, qui pupilli, tutorem habentis negotia gerit, qui pupillum ulterius non obligat, quam ex quo locupletior factus est, (§. 9.) sed additione haereditatis per tutorem, pupillus ipsum se obligat. (*L. 1. tit. 7. §. 75.*)

ARGUMENTVM.

- §. 2. 142. Si vivo Titio negotia eius administrare coepi, intermittere mortuo eo non debeo: (nam negotiorum gestio non obligat ex contemplatione domini negotiorum, (§. 37.) committerem autem culpam, imo dolum, si negotium desererem. (*L. 1. tit. 1. §. 84.*) noua tamen inchoare necesse mihi non est: vetera explicare ac conseruare necessarium est: (*L. 2. tit. 1. §. 14.*) vt accidit, cum alter ex sociis mortuus est. Nam quaecunque prioris negotii explicandi causa geruntur, nihilum refert, quo tempore consummentur, sed quo tempore inchoarentur. *L. 21. §. 2. b.* Quoniam, quae ad negotium explicandum faciunt, ipsius negotii sunt: ideo incipiunt haec quando ipsum negotium incipit, nec nouum negotium esse videntur. (§. 113.)

ARGUMENTVM.

- §. 3. 143. Mandatu tuo negotia mea Lucius Titius gessit, quod is non recte gessit, tu mihi actione negotiorum gestorum teneris: (nam periculo tuo factus es auctor, quasi tu negotiorum gestor per alium gesseris negotium meum. (§. 28.) non in hoc tantum, vt actiones tuas praestes, (nempe mandati directam contra Lucium Titium furti, contra furem) sed etiam, quod imprudenter eum elegeris: (vt) quicquid detrimenti negligentia eius fecit, tu mihi praestes. *L. 21. §. 3. b.* Ob culpam in electione commissam. (§. 25. 100.)

ARGUMENTVM.

- Caius L. 3. ad Ed. prou. L. 22. b.* 144. Siue haereditaria negotia, siue ea, quae alicuius essent, gerens aliquis necessario rem emerit (sua pecunia) licet ea interierit, potest, quod impenderit iudicio negotiorum gestorum consequi. (§. 98.) Veluti si frumentum aut vinum familiae parauerit, idque casu quodam interierit, forte incendio, ruina. *L. 22. b.*

ARGUMENTVM.

145. Sed ita scilicet hoc dici potest, si ipsa ruina vel incendium sine vitio eius acciderit. Nam cum propter ipsam ruinam aut incendium damnandus sit, absurdum est, eum istarum rerum nomine, quae ita consumtae sunt, quicquam consequi. *L. 22. b.* Nam casum praestat, qui eum informat. (§. 25. in f.) *L. 1. tit. 1. §. 84.*

ARGV-

A R G V M E N T V M.

146. Si quis negotia aliena gerens indebitum exegerit, restituere cogitur, (cum integro negotio, actione negotiorum gestorum. Nam bona fides contractus eum vetat aliquid lucro suo retinere. (L. 2. tit. 14. §. 240.) De eo autem, quod indebitum soluit, magis est, ut sibi imputare debeat. L. 23. b. quando nempe dominus ratihabuérít, et soluens per plures reos interdum distrahatur. (§. 61.)

Paul. L. 20.
ad Ed.
L. 23.

A R G V M E N T V M.

147. Si (ego) hac mente pecuniam, (quam non debeo) procuratori (creditoris) dem, ut ea ipsa creditoris fieret: proprietas quidem per procuratorem non acquiritur: (quia mandatum de hoc negotio insolito non habet. (L. 1. tit. 1. §. 198.) potest tamen creditor, etiam inuito me (L. 1. tit. 7. §. 92.) ratum habendo, pecuniam suam facere (§. 61.) quia procurator in accipiendo creditoris duntaxat negotium gessit, (nam mandatum ipsi non fuit) et ideo creditoris ratihabitione liberor. L. 24. b.

Id. L. 24. ad
Ed.
L. 24.

A N N O T A T I O.

148. Inuitus hic dicitur, qui consensisse non probatur, (L. 3. tit. 3. §. 23.) imo qui ignorat, L. 45. §. 5. ff. de R. N. et is etiam, qui reuocat.

A R G V M E N T V M.

149. Si quis negotia aliena gerens, plus quam oportet, impenderit, recuperaturum eum id, (tantum) quod praestari debuerit. L. 25. b. Quia negotiorum gestio re tantum contrahitur, quantum utiliter suscepta est. (§. 98.)

Id. L. 21. ad
Ed.
L. 25.

A R G V M E N T V M.

150. Cum alicui ciuitati per fideicommissum restitui iussa esset haereditas, magistratus actores horum bonorum, Titium et Seium et Caium idoneos creauerunt: postmodum hi actores inter se diuiserunt administrationem bonorum: idque egerunt sine auctoritate et consensu magistratuum. Post aliquod tempus testamentum, per quod restitui ciuitati haereditas fideicommissa esset, irritum probatum est pro tribunali: atque ita ab intestato Sempronius legitimus haeres defuncti extitit. Quaero, si Sempronius conueniet actores horum bonorum periculum inopis defuncti (ex his actoribus) ad quos pertinet? Herennius Modestinus respondit: Quod ab vno ex actoribus ob ea, quae solus gessit, negotiorum gestorum actione seruari non potest, ad damnum eius, cui legitima haereditas quaesita est, pertinere. L. 26. b. Nam negotiorum gestio non contrahitur, nisi inter gerentem et dominum non mandantem. (L. 2. tit. 14. §. 239.) Actores autem focii non sunt. (L. 2. tit. 9. §. 29.)

Mod. L. 1.
Resp.
L. 26.

A N N O T A T I O.

151. Equidem tutorum periculo est, quod contutor male administravit, si ipsi propria auctoritate administrationem diuiserunt: verum hos munus reipublicae quod gerunt, et singularis fauor pupilli, magis autem vniuersitatis tutelae consideratio, in solidum obligat.

A R G V M E N T V M.

152. Ex duobus fratribus, vno quidem suae aetatis, alio vero minore

Id. L. 2. Resp.
L. 27. pr.

nore annis (puto impuberem, ut pro ignorante haberi possit) sed et minor adulescens intelligi potest, qui nesciuerit fratrem contemplatione sui in re communi aedificare) cum haberent communia praedia rustica, maior frater in saltu communi habenti habitationes paternas, ampla aedificia aedificauerat; cumque eundem saltum cum fratre diuideret, sumtus sibi, quasi re meliore ab eo facta, desiderabat, fratre minore iam legitima aetatis constituto. Herennius Modestinus respondit: ob sumtus nulla re urgente, sed voluptatis causa factos, eum de quo quaeritur, actionem (negotiorum gestorum) non habere. *L. 27. pr. b.* Nam hoc fratris minoris negotium non fuit. (§. 99. 101.)

ARGUMENTVM.

§. I. 153. Titium, si pietatis respectu sororis aluit filiam, actionem hoc nomine contra eam non habere, respondi. *L. 27. §. 1. b.* Quia pietas officium est, quod donandi animum commouet.

ARGUMENTVM.

*laeol. L. 8.
ex Cass.
L. 28.* 154. Si quis mandatu Titii negotia Seii gessit: Titii mandato tenetur, (*L. 2. tit. 13. §. 74.*) isque aestimari debet, quanto Seii et Titii interest. Titii autem interest, quantum is Seio praestare debet, cui vel mandati vel negotiorum gestorum obligatus est. (§. 143.) Titio autem actio competit cum eo, cui mandauit aliena negotia gerenda, et (iam interest) antequam ipse quicquam domino (negotii) praestet: quia id ei abesse videtur, in quo (domino) obligatus est. *L. 28. b. (L. 2. tit. 14. §. 75.)* Gestor Titio ex mandato tenetur in id, quod Titius Seio negotiorum gestorum obligatus est.

ARGUMENTVM.

*Callistr. L. 3.
Ed. mon.
L. 29.* 155. Cum pater testamento posthumo tutorem dederit, isque tutelam interim, (dum nascatur) administrauerit, nec posthumus natus fuerit, cum eo non tutelae, sed negotiorum gestorum erit agendum. (Nam non pupilli, sed haeredis ignorantis rem gessit. §. 109.) Quodsi natus fuerit posthumus tutelae erit actio. (*L. 2. tit. 13. §. 81. 83.*) et in eam utrumque tempus veniet, et quo, antequam nasceretur infans, gessit, et quo posteaquam natus est. *L. 29. b.* Hoc ita statutum videtur, ad sententiam Stolicorum de fato: quia certum erat, natura posthumum nasci, sic, ut pro nato haberetur, qui non nasci non poterat. (*L. 2. tit. 14. §. 75.*)

ARGUMENTVM.

*Iul. L. 3. Dig.
L. 30.* 156. Ex facto quaerebatur: quendam ad filiginem emendam curatorem decreto ordinis (decurionum) constitutum, eidem alium subcuratorem constitutum filiginem miscendo corrupisse, (quia diuersae bonitatis erat, vel quia melior deinta, deterior admixta erat) atque ita pretium filiginis, quae in publicum emta erat, curatori afflictum esse: (deterioratum) quaque actione curator cum subcuratore experiri possit, et consequi id, ut ei saluum esset, quod causa eius damnum cepisset? Valerius Severus respondit: aduersus contutorem negotiorum gestorum actio-

actionem tutori dandam. Idem respondit, vt magistratui aduersus magistratum eadem actio detur: (Nam tutelae negotia tutoris sunt, quo inuito vel incscio contutor negotium tutelare tractans, ei se negotiorum gestor obligat. (L. 2. tit. 14. §. 239.) ita tamen, si non sit conscius fraudis (quia negotiorum gestio tantum inter ignorantem dominum negotii et gestorem contrahitur. (Ib.) secundum quae etiam (ob argumenti paritatem) in subcuratore idem dicendum erit. L. 30. b.)

A R G V M E N T V M.

157. Liberto vel amico mandauit (quidam) pecuniam accipere mutuatam: (hoc suum negotium esse ille litteris professus est, vt liberto vel amico pecunia credatur, sed expediri nequit, nisi sit, qui pecuniam credat: ergo qui credit, negotium mutuantis gerit: credit enim domino negotii ignorante) cuius litteras creditor (quicumque) secutus contraxit, et fideiussor interuenit. Etiam si pecunia non sit in rem (eius) versa, tamen dabitur in eum negotiorum gestorum actio creditori vel fideiussori: (hos enim debitor ignorauit, et his non mandauit) ad exemplum institoriae actionis. L. 31. pr. b. (L. 2. tit. 13. §. 25.)

Papin. L. 2.
Resp.
L. 31. pr.

A R G V M E N T V M.

158. Inter negotia Sempronii, quae gerebat, (aliquis) ignorans Titii negotium gessit: (Sempronius negotia Titii gerit: absens est et alius quispian Sempronii atque in his etiam Titii negotia gerit, putat autem omne negotium Sempronii esse. Obligatur nihilominus Titio de negotiis gestis: (L. 2. tit. 14. §. 239.) sed Sempronio ob negotia Titii obligatur, quia gestio horum eius est.) ob eam quoque speciem Sempronio tenebitur: sed ei (gestori) cautionem indemnitate officio iudicis praebere necesse est aduersus Titium, cui datur actio: (in istum gestorem) Idem in tutore iuris est. L. 31. §. 1. b. qui negotia alterius tutoris gessit, quando alius huius negotia, et in his vtriusque tutelae negotia gessit. (§. 5. sequ. h.)

§. 1.

O B S E R V A T I O.

159. Contumax siue frustrator non auditur, si condemnatus appellare velit. L. 73. §. f. ff. de Iudic.

A R G V M E N T V M.

160. Litem in iudicium deductam et a reo (per contumaciam) desertam frustratoris amicus vltro (sine mandato) egit, causas absentiae allegans iudici: culpam contraxisse non videbitur, quod sententia contra absentem dicta, (tam de principali causa, quam de absentis contumacia) ipse non prouocauit. (nam non potest plus defensor quam dominus. (L. 3. tit. 3. §. 103.) §. 159.) Vlpianus notat: Hoc verum est, quia frustrator condemnatus est. Caeterum, si amicus, cum absentem (non contumacem, vel ob contumaciam non condemnatum) defenderet, condemnatus negotiorum gestorum aget, poterit ei imputari, si cum posset non appellasset, L. 31. §. 2. b. Nam defensionem deseruit. (§. 67. 68.)

§. 2.

A R G V

ARGUMENTVM.

- §. 3. 161. Qui aliena negotia gerit, vsuras praestare cogitur, eius scilicet pecuniae, quae purgatis (liquido deductis) necessariis sumptibus (otiose) superest. *L. 31. §. 3. b.* (§. 133.) Purgare est putare, rarefacere. NONIVS MARCELLVS *de propriet. serm. c. 4.* Ita subductis impensis gestionis negotiorum rationes rarefiebant siue purgabantur. CVIACIVS *L. 11. Obs. c. 9. putatis:* probat.

REGVLA.

162. Actione negotiorum gestorum peti non potest, quod extra negotium est.

DEFINITIO.

163. Fideicommissum particulare est, vltima voluntas, qua alicui res singularis verbis obliquis relinquitur.

OBSERVATIO.

164. Fideicommissum particulare ex Constitutione debetur: §. 1. *I. de fideicommiss. haered. non ex gestione.*

POSITIO.

- §. 4. 165. Libertos certam pecuniam accipere testator ad sumptum monumenti voluit. Si quid amplius fuerit erogatum, iudicio negotiorum gestorum ab haerede non recte petitur, de iure fideicommissi, cum voluntas finem erogationis fecerit. *L. 31. §. 4. b.*

PROBATIO.

Fideicommissum particulare, quod fere par est legato, de pecunia certa pro qua monumentum extrueretur est strictae interpretationis (*L. 2. tit. 13. §. 87.*) et quod in hoc non est expressum extra voluntatem et negotium commissum est. (§. 76.) Patet autem, quod impensae vltra suntum praestitutum erogatae non sint expressae in fideicommisso monumenti extruendi, et quod adeo extra negotium commissum sint. Quoniam autem, quae extra negotium sunt, actione negotiorum gestorum non recte petuntur (§. 162.) ideo quod amplius erogatum est in monumentum, secundum ius strictum fideicommissi non recte petitur.

ARGUMENTVM.

- §. 5. 166. Tutoris haeres impubes filius ob ea, quae tutor eius in rebus pupillae paternae gessit, non tenetur. Sed tutor proprio nomine iudicio negotiorum gestorum conuenietur. *L. 31. §. 5. b.* Tutor pupilli et pupillae pupillum haeredem instituit: pupillae paternam tutelam male administravit: pupillus de his improbe gestis non tenetur; nam ipse non adiit: sed tutor, qui vt adiret, auctor ipsi fuit. Gessit autem hic alter tutor pupilli negotium, quia pupillus haec ignorare iure praesumitur.

ARGUMENTVM.

- §. 6. 167. Quoniam tutela munus publicum est (*L. 1. tit. 7. §. 53.*) Quanquam (ergo) mater filii negotia secundum patris voluntatem pietatis fiduciae gerat: tamen ius actoris (qualem alius tutor constituere potest. *L. 47. pr. ff. de A. et P. Tutor.* (*L. 2. tit. 4. §. 56.*) periculo suo litium causa constituendi non habebit, quia nec ipsa filii nomine recte agit, (*L. 3. tit. 3. §. 141.*) aut res bonorum eius alienat, vel debitorem impuberis, accipiendo pecu-

pecuniam, liberat. *L. 31. §. 6. b.* Haec enim tutoris sunt. *L. 2. ff. de R. 1*
 Ipsa autem mater curatore opus habuit, (*L. 2. tit. 8. §. 31. seq.*) et antiquo iure
 tutrix esse non potuit. (*L. 1. tit. 7. §. 54.*)

ARGUMENTVM.

168. Vno defendente causam communis aquae, sententia praedio datur: (de iure praedii Socii non defendentis.) Et si in personam concepta sit sententia: vt, ius esse defendenti aquam ducere: ipsi iuri praedii praediuicium sit, sine quo ducere persona non posset, (*L. 1. tit. 6. §. 26.*) sed qui sumtus necessarios probabiles in communi lite fecit, negotiorum gestorum actionem habet. *L. 31. §. 7. b.* (*L. 2. tit. 14. §. 241.*) §. 7.

ANNOTATIO.

169. Quoniam defensio extra communionem est, actione pro socio huius impensae non petuntur. (*L. 2. tit. 13. §. 78.*)

ARGUMENTVM.

170. Fideiussor imperitia lapsus alterius quoque contractus, qui personam eius non contingebat, pignora vel hypothecas suscepit (bona sua pignori vel hypothecae obligauit) et vtramque pecuniam creditori soluit, existimans indemnitati suae confusis praediis consuli posse: ob eas res mandati, quod alias obtineret (*L. 3. tit. 2. §. 59.*) frustra conuenietur, et ipse debitorem frustra conueniet. *L. 32. pr. b.* Nam quod ad contractum attinet, pro quo fideiussor non erat acceptus, ex voluntate scientis domini non obligabatur. (*L. 1. tit. 8. §. 61.*) Ergo negotiorum gestorum obligatio erit, si utilitas debitoris fuit pignus in alterum quoque debitum constitui. (*§. 172. seq.*) *Id. L. 3. Resp. L. 32. pr.*

ANNOTATIO.

171. Asconius Pedianus *bona praedia* dicit esse bona satisfactionibus obnoxia, siue sint in mancipiis, siue in pecunia numerata, et *praedes homines* explicat esse ipsos fideiussores. Ergo Papinianus hoc in textu dicit: *praedia confusa*: quasi satisfactiones solutione confusas, ea intentione vt ambae in mandatum commiserentur.

ARGUMENTVM.

172. Negotiorum autem gestorum actio vtrique necessaria erit. (debitori et fideiussori inuicem: ob negotium imprudente domino gestum. (*L. 2. tit. 14. §. 239.*) In qua lite culpam aestimari satis est (leuissimam, quoniam rescuerat, negotium non mandatum esse, dum solutione vtramque fideiussionem confundere intendebat) non etiam casum, quia praedo fideiussor non videtur, (quasi scienter soluens, vt ex confusione lucraretur, (*§. 41. seq.*) Nam causam iustam soluendi habuit, quatenus fideiussor erat) Creditor ob id factum (confusionis fideiussionum) ad restituendum iudicio (conditionis sine causa (*L. 2. tit. 2. §. 26.*) quod de pignore dato redditur, cum videatur ius suum vendidisse, non tenebitur. *L. 32. pr. b.*

ANNOTATIO.

173. Fideiussor vendidisse videtur conditionis ius: non enim donasse quidquam fingitur, quia praedo non est (*§. 44.*) sed conditionem commutare voluit,

luit, cum actione mandati, quod factum similitudinem venditionis habet. Solutione et reuolutione pignoris, quod indebite obligauerat, redimere, et studio, sibi adquirere intendit mandati actionem.

ARGUMENTVM.

§. 1. 174. Ignorante virgine mater a sponso filiae res donatas suscepit, quia mandati vel depositi cessat actio, negotiorum gestorum agitur. *L. 32. §. 1. b.* (L. 2. tit. 14. §. 240. 241.)

DEFINITIO.

175. Actio expilatae hereditatis est postulatio haereditis aduersus eum, qui de hereditate iacente aliquid dolose furripuit, ad poenam extraordinariam.

POSITIO.

Id. Lib. 10. Resp. L. 33. 176. Haeres viri defuncti, uxorem (quae mater familias et suae potestatis erat) quae res viri, tempore nuptiarum (constante matrimonio) in sua potestate habuit, compilatae hereditatis postulare non debet. *L. 33. b.*

PROBATIO.

Vxor quae tempore matrimonii mater familias fuit, in potestate manumque mariti extitit, atque familiae et sacrorum particeps fuit (L. 1. tit. 6. §. 12.) propter familiae communionem in bonorum quasi communione fuit. (§. 14.) cuius autem res quodammodo est, item, qui rei facultatem habet, is eius furtum vel expilationem facere nequit. (L. 2. tit. 14. §. 67.) §. 175.) et quia contra eum expilatae hereditatis agi nequit, qui non furripuit (§. 175.) ergo haeres defuncti mariti uxorem, quae res viri in sua potestate habuit, compilatae hereditatis postulare non debet nec potest.

ARGUMENTVM.

177. Prudentius itaque faciet, si ad exhibendum (L. 2. tit. 7. §. 12.) et negotiorum gestorum, si negotia quoque viri gessit, (L. 2. tit. 14. §. 239.) cum ea fuerit expertus. *L. 33. b.*

ARGUMENTVM.

Paul. L. 1. Quaest. L. 34. 178. Nefennius Apollinaris Iulio Paulo salutem: Auia nepotis sui negotia gessit. Defunctis vtrisque auiae haeredes conueniebantur a nepotis haeredibus negotiorum gestorum actione: reputabant (in rationes negotii referebant) haeredes auiae, alimenta praestita nepoti. Respondebatur, auiam iure pietatis de suo praestitisse: nec enim aut desiderasse, vt decernerentur alimenta, aut decreta essent (apraetore): praeter ea constitutum esse dicebatur, vt si mater aluisset, non posset alimenta, quae pietate cogente de suo praestitisset, repetere. Ex contrario dicebatur: (tunc) hoc recte dici, vt (id est: cum) de suo mater aluisset probaretur. At in proposito auiam, quae negotia administrabat, verisimile esse de re ipsius nepotis eum aluisse. Tractatum est nunquid utroque patrimonio erogata videantur? Quaero, quid tibi iustius videatur. Respondi: haec disceptatio in factum constitit. (L. 1. tit. 1. §. 232.) Nam et illud, quod in matre constitutum est, non puto ita perpetuo obseruandum. Quid enim, si etiam protestata est, se filium ideo alere, vt aut ipsum aut tutores eius conueniret? Pone, peregre patrem eius obiisse,

obiisse, et matrem, dum in patriam reuertitur, tam filium, quam familiam eius, (in itinere) exhibuisse: in qua specie etiam in ipsum pupillum negotiorum gestorum dandam actionem Diuus Pius Antoninus constituit. Igitur in re facti facilius putabo, auiam vel haeredes eius audiendos, si reputare velint alimenta: (L. 1. tit. 1. §. 225.) maxime, si etiam in ratione impensarum ea retulisse auiam apparebit. Illud nequaquam admittendum puto, ut de utroque patrimonio (auiam et pupilli) erogata videantur. *L. 34. b.*

OBSERVATIO.

179. Maritus, a quo dos repetitur, soluto matrimonio habet beneficium competentiae, et tantum restituit, quantum facere potest. *L. 12. §. 7. C. de rei uxoriae act.* (L. 3. tit. 3. §. 197.)

ARGUMENTVM.

180. Diuortio facto negotia vxoris gessit maritus: dos non solum dotis actione, verum negotiorum gestorum seruari potest. Haec ita, (ut actione dotis dos seruetur) si in negotiis gestis maritus dum gerit, facere potuit, (si soluendo sit, et alimenta necessaria ipsi adhuc supersint, ita ut beneficio competentiae ipsi opus non sit,) alias enim, (si soluendo non fuit, reliquis sibi alimentis) imputari (ipsi in culpa, instituta actione dotis) non potest, quod a se non exegerit. *L. 35. pr. b.* id quod in actione negotiorum gestorum fieri posset, quia in hac debitor a se non exigens culpam committit. (§. 118.)

*Scaeu. L. 1.
Quaest.
L. 35. pr.*

ARGUMENTVM.

181. Sed et posteaquam patrimonium amiserit, plena erit (ad solidum tendens) negotiorum gestorum actio, quamuis si dotis actione maritus conueniatur, absoluendus est, (in id quod facere non potest.) Sed hic quidam modus seruandus est in culpa imputatione et aestimatione) ut ita quaerelae locus sit: Quantum facere potuit, quamuis postea (quam gerere coepit) amiserit: si illo tempore, (quo coeperat) soluere potuit. Non enim e vestigio in officio deliquit, si non protinus res suas distraxit ad pecuniam redigendam. Praeterire denique aliquid temporis debet, quo cessasse videatur. Quodsi interea, (dum elapso moderato spatio iam in mora est) priusquam officium (a se exigendi) impleat res amissa est, (euentu fortuito) perinde negotiorum gestorum non tenetur, ac si nunquam facere possit. (Potuit enim ante moram. Mora vero casum informauit, hinc casum praestat, nec beneficio competentiae iuuatur (§. 25. in f.) Sed et si facere possit maritus, actio negotiorum gestorum inducitur (permittitur) quia forte periculum est ut facere, (ut soluendo esse, reliquis sibi vitae adminiculis) desinat. *L. 35. pr. b.*

ARGUMENTVM.

182. Illum autem non credimus teneri, qui gerit negotia debitoris, ad reddendum pignus, cum pecunia ei debeat: nec fuerit, quod sibi possit exsoluere. *L. 35. §. 1. b.* Non enim commisit moram nec culpam, quod sibi non soluit, ut pignus redderet, quod postmodum apud se casu periit,

§. 1.

quando in negotiis, vtut vtiliter gestis, pecunia non erat, nec gerendo redigi poterat, vnde sibi solueret. (L. I. tit. I. §. 204.)

DEFINITIO.

183. Redhibitio est rei ob vitium, venditori facta restitutio: emtionis resolutio.

ARGUMENTVM.

§. 2. 184. Sed nec redhibitoriae speciem venire in negotiorum gestorum actionem, et per hoc, (si gestor ante gesta negotia mancipium domino negotiorum vendidit) ex mensibus (ante gestionem) ex actis perire, (actionem negotiorum gestorum, qua culpa praestationem peteret, quod sibi non redhibuisset) si vel mancipium in rebus (domini, cui vendiderat) non inuenit: vel eo inuento, quod accessionum nomine (e. gr. peculium) additum est, vel quod deterior homo factus esset, vel quod per eum esset adquisitionum non ex re emtoris (quod fructuarius seruus ex re alterius socii adquisiuisset. L. 25. §. 1. ff. de usufr.) nec inuenit, nec recepisset: nec esset in ipsis emtoris negotiis, quae gerebat, vnde sibi in praesenti redderet. L. 35. §. 2. b. Nam quod in mora sibi redhibendi non fuerit gestor a culpa exculatur. Vnde quasi redhibere cessasset intra praescriptionis terminum legitimum i. e. 6. mensium spatium (L. 19. §. fin. ff. de Aedil. Edicto. ei in culpam imputari nequit, sibi denique vt venditori reddit gestoris negotiorum nomine.

ARGUMENTVM.

§. 3. 185. Caeterum si (negotiorum gestor) ex alia causa perpetuae obligationis (vnde actio perpetua oritur, non temporalis, vt redhibitoria, de qua actum §. praec. (§. 82. 83.) cum sit locuples (nec suspectus quod breui desinat esse soluendo,) debeat, non est imputandum, quod non soluerit, (quod a se non exegerit,) vtique, si neque vsurarum ratio querelam mouet, L. 35. §. 3. b. (§. 74.) vtique: nisi vsuras commissas a se exigere debuit.

OBSERVATIO.

186. Tutor debitor, qui a se non exigit, pecunia pupilli in suum commodum vitur. L. 54. ff. de admin. et per. tut. et praedo habetur (§. 43. seq.) vsurasque centesimas debet. c. l. 54.

ARGUMENTVM.

187. Ergo non eadem obtinent in tutore a se non exigente: Diuersumque est in tutore debitore, quia ibi interfuit ex priore obligatione (e. g. ex mutuo patri pupilli debito,) solui, vt deberetur ex tutelae actione L. 35. §. 3. b. Tutor ex obligatione debens, cuius actio perpetua esset, a seipso exigere tenetur, et debitum in tutelam soluere, quo facto demum ob eam pecuniam tutelae actione conuenietur. (L. 2. tit. 13. §. 81.) Iam quidem et negotiorum gestorum tenebitur, quoniam in rem pupilli, omnino ignorantis, administravit. (L. 2. tit. 14. §. 240.)

ARGUMENTVM.

Paul. L. 4. Quaes. L. 36. 188. Si liber homo bona fide mihi seruiens, mutuam pecuniam sumserit, eamque in rem verterit: (post eo libero inuento) qua actione id, quod in rem nostram vertit, reddere (ipso) debeam, videndum est. Non

Non enim quasi amici, sed quasi domini negotium gessit, (§. 53. 127.) sed negotiorum gestorum actio danda est: (non de in rem verso, quia in potestate non fuit. (L. 2. tit. 13. §. 27.) Licet ergo dominus putatius sciret, in rem suam versus, nihilominus conditionem bona fide seruientis nesciuit, vnde nec mandati actio erit, (§. 126.) ergo negotiorum gestorum sola restabit,) quae definit competere, si creditori eius soluta sit. *L. 36. b.* Iam enim negotium deletum est. (L. 2. tit. 7. §. 30.)

P O S I T I O.

189. Litis contestatae tempore quaeri solet, an pupillus, cuius sine *Id. L. 1. Sent.* tutoris auctoritate negotia gesta sunt, locupletior sit ex ea re factus, cuius *L. 37. pr.* patitur actionem. *L. 37. pr. b.*

P R O B A T I O.

Quando pupilli negotia gesta sunt, et is sine tutoris auctoritate obligatus diceretur: tum oportet ipsum naturaliter obligatum esse, et locupletiozem factum cum damno alterius. (§. 121.) Igitur in actione negotiorum gestorum merito quaeritur, an pupillus locupletior factus sit? (§. 37.)

A R G V M E N T V M.

190. Si pecuniae quis negotium gerat, vsuras quoque praestare §. 1. cogitur: (§. 161. 133.) et periculum eorum nominum, quae ipse contraxit: (quia culpa leuissima venit, (§. 100.) Nisi fortuitis casibus (quos gestor non informauit, (L. 1 tit. 1. §. 84.) debitores ita suas fortunas amiserunt, vt tempore litis, ex ea actione contestatae, soluendo non essent. *L. 37. §. 1. b.* (ibid. §. 83.)

A R G V M E N T V M.

191. Pater, si emancipati filii res a se donatas administravit, filio §. 2. actione negotiorum gestorum tenetur. *L. 37. §. 2. b.* quia pater et filius per emancipationem definiunt esse vna persona (L. 2. tit. 14. §. 194.) contractus inter ipsos subsistere potest.

A N N O T A T I O.

192. Pater in emancipatione quaedam filio imponere et excipere potuit, modo libertatis causam non minuisset: *L. 4. ff. si a parente quis manum. sit.* Hinc *PAVLVS L. 1. tit. 4. Sentent. 7.* dicit: *Pater, si emancipati filii res, sine vlla exceptione a se donatas, administraverit, filio ex actione negotiorum gestorum tenetur.* oportet, patrem hunc non esse tutorem, alias tutelae obligaretur: (§. 186.) Verum, quoniam ex lege administratio haec proficiscitur: *Tit. Inst. de legit. parentum tut.* non ex voluntate filii, mandatum esse nequit (L. 1. tit. 8. §. 61.) vnde negotiorum gestio est. (L. 2. tit. 14. §. 239.)

A R G V M E N T V M.

193. Qui sine vsuris pecuniam debebat, creditoris sui gessit negotia: quaesitum est, an negotiorum gestorum actione summae illius vsuras praestare debeat? Dixi: si a semetipso exigere eum oportuit, debiturum vsuras: (inorae) (§. 80. 133.) Quodsi dies soluendae pecuniae tempore, quo negotia gerebat, nondum venerat, vsuras non debiturum: (dum non in mora est) sed die (solutionis) praeterito, si non intulit

Tryph. L. 2. Disp. L. 30.

tulit rationibus creditoris, cuius negotia gerebat, eam pecuniam a se debitam, merito vsuras bonae fidei iudicio (§. 80.) praestaturum. *L. 38. b.*

DEFINITIO.

194. Vsuras est quantitas, qua vsus et periculum *L. 30. ff. de haered. petit.* fortis debita in eodem genere, quo fors est, a debitore creditori compenstat.

DEFINITIO.

195. Vsuras maximae sunt quantitas cuius ratio ad fortem est vt 12 ad 100.

ANNOTATIO.

196. Dicuntur centesimae, vel quia centesimo mense fortem exaequant. Nam qui fortem 100. debet, anno duodecim vsurarum nomine pendens, singulis mensibus 1. soluit, ergo 100. mensibus 100. quae vsura 100. mensium forti aequalis est, vel quod Kalendis singulis fortis pars centesima soluenda veniat. *BYNKERSHOEK. ad L. Lecta. c. 7.*

OBSERVATIO.

197. Vsuras maximae sunt poenales.

ARGUMENTVM.

198. Sed quas vsuras debet, videamus: vtrum eas, quibus aliis idem creditor foenerasset: an et maximas vsuras. Quoniam, vbi quis eius pecuniam, cuius tutelam negotiaue administrat, aut magistratus municipii publicam in vsus suos conuertit, maximas vsuras praestat, (quia lucrum sibi quaerunt, et per hoc praedones sunt. (§. 43. 186) vt est constitutum a Diuis principibus: Sed istius diuersa causa est, qui non sibi sumisit ex administratione nummos, sed ab amico accepit, (et) ante negotiorum administrationem. Nam illi, de quibus constitutum est, cum gratuitam, certe integram et abstinentem omni lucro praestare fidem deberent, licentia, qua videntur abuti, maximis vsuris vice cuiusdam poenae subiiciuntur: hic bona ratione (non inuadendo) accepit ab alio mutuum, et vsuris, quia non soluit, (§. 80.) non quia ex negotiis, quae gerebat, ad se pecuniam transtulit, condemnandus est. Multum autem refert, incipiat nunc debitum (dum administratio geritur, vt in tutore, magistratu, vel eius actore, pecuniam in suam rem vertente) an ante (gestionem) nomen fuerit debitoris, quod satis est ex non vsurario facere vsurarium *L. 38. b.* prior enim centesimas, posterior debitor ex mora tantum communes vsuras praestat.

ARGUMENTVM.

- *Cai. L. 3. de V. Obl. L. 39.* 199. Soluendo quisque pro alio, licet inuito, (*L. 3. tit. 3. §. 23.*) et ignorante liberat eum. (*L. 2. tit. 7. §. 30.*) Quod autem alicui debetur, alius sine voluntate eius non potest iure exigere. *L. 39. b.* Nam ius personale personae cohaeret. (*L. 2. tit. 3. §. 24.*)

REGVLA.

200. Naturalis enim simul et ciuilis ratio suadet, alienam conditionem meliorem quidem (etiam) ignorantis et inuiti, nos facere posse, dete-

deteriorem non posse. *L. 39. b.* (ob consensum et voluntatem hominum generalem. (L. I. tit. I. §. 225. 250.)

DEFINITIO.

201. Cautio de damno infecto est remedium, quo indemnitati prospicimus, quando damnum ex vitio rei vel molitione operis alieni metuendum est, contra rei dominum.

ARGUMENTVM.

202. Si communes aedes tecum habeam, et pro tua parte damni infecti vicino cauero, dicendum est, quod praestitero, negotiorum gestorum actione potius, quam communi diuidendo iudicio posse me petere, quia potui partem meam ita defendere, vt socii partem defendere non cogerer. *L. 40. b.* Necessesse est, in hoc casu aedes a sociis per regiones discretas fuisse, vt socius partem suam separatim defendere potuerit. *L. 6. §. 1. ff. Comm. praed.*

Paul. L. 10. ad Sab. L. 40.

ARGUMENTVM.

203. Qui seruum meum me ignorante vel absente in noxali caussa defenderit, negotiorum gestorum in solidum mecum, non de peculio aget, *L. 41. b.* quia seruus propter lucrum ossibus serui adhaerens, et mihi, vt domino adquisitum, obligatur, donec dominus ipso facto huic lucro renunciauerit. (L. 2. tit. I. §. 33. 37.)

Id. L. 30. ad Ed. L. 41. b.

ARGUMENTVM.

204. Si serui mei rogatu negotia mea susceperis, si duntaxat admonitus a seruo meo id feceris (ex eius consilio magis, quam potestate et intuitu peculii. (L. I. tit. I. §. 65. 66.) erit inter nos negotiorum gestio. Si vero quasi mandatu serui (quatenus peculii respectu administrat et peculium obligat, (L. 2. tit. 14. §. 119. 120.) etiam de peculio et de in rem verso, (si in rem versum est,) agere te posse responsum est. *L. 42. b.* (Lib. 2. tit. 13. §. 23. 27.)

Id. L. 32. ad Ed. L. 42.

ARGUMENTVM.

205. Cum pecuniam eius nomine solueres, qui tibi nihil mandauerat, negotiorum gestorum actio tibi competit, (L. 2. tit. 14. §. 241.) cum ea solutione debitor a creditore liberatus sit, (§. 199.) nisi si quid debitoris interfuit eam pecuniam non solui. *L. 43. b.* Quia commodius erat compensare, vel quia retentione vti poterat debitor, tum enim non erat negotium, vt solueret. (§. 98.)

Lab. L. 6. post. Epit. a lauol. L. 43.

ARGUMENTVM.

206. Is qui amicitia ductus paterna pupillis tutorem petierit, vel suspectos tutores postulauit, nullam aduersus eos habet actionem, secundum Diui Seueri constitutionem. *L. 44. b.* Quia magis officio boni ciuis satisfacit, quam negotium gerit: imo pupillorum negotium non est, tutorem petere, vel suspectum postulare. *§. 3. 4. I. de suspect. tut.*

Vlp. L. 6. Disp. L. 44.

ARGUMENTVM.

207. Quae vtiliter in negotia alicuius erogantur, in quibus etiam

Id. L. 4. Opin. L. 45. pr.

etiam sumtus honeste ad honores per gradus pertinentes factus: actione negotiorum gestororum peti possunt. *L. 45. pr. b.*

ARGUMENTVM.

- §. 1. 208. Cum seruus iure ciuili pro nullo habeatur, (§. 102.) Hinc, qui pure testamento libertatem acceperunt, actus, quem uiuentibus dominis administauerunt, rationem reddere non compelluntur. *L. 45. §. 1. b.* Ergo negotiorum gestororum actio in hos non datur. Nam ciuilis obligatio statum non comitatur. (*L. 3. tit. 2. §. 34.*)

ARGUMENTVM.

- §. 2. 209. Titius pecuniam creditoribus haereditariis soluit, existimans sororem suam defuncto haerodem testamento extitisse: quamuis animo gerendi sororis negotia id fecisset, veritate tamen filiorum defuncti, qui sui haeredes patri, sublato testamento, erant, gessisset: Quia aequum est, in damno eum non versari, (si in neutram partem actio ipsi daretur) actione negotiorum gestororum id eum petere placuit. *L. 45. §. 2. b.* Petet autem a filiis, quia non attenditur, cuius contemplatione quis gesserit, sed in cuius rem et lucrum gestio cesserit. (§. 56. seq.)

ARGUMENTVM.

- Afric. L. 7. Quaest. L. 46. pr.* 210. Mandasti filio meo, ut tibi fundum emeret: quod cum cognouissem, ipse eum tibi emi: puto referre, qua mente emerim. Nam si propterea, quae tibi necessaria esse scirem, et te eius voluntatis esse, ut emtum habere velles, (contemplatione negotii quod tuum agnouisti, dum, ut gereretur, mandares) agemus inter nos negotiorum gestororum (§. 38.) sicut ageremus, si aut nullum omnino mandatum intercessisset, aut Titio (tertio cuidam, potestati meae non subiecto) mandasses, et ego, quia per me commodius negotium possim conficere, emissem. Si vero propterea emerim, ne filius (ineus) mandati iudicio teneatur, magis est, ut ex persona eius (ob identitatem personae (*L. 2. tit. 14. §. 194.*) et ego tecum mandati agere possim, (*L. 2. tit. 2. §. 20.*) nam actionem hanc filius mihi quaesierat. *L. 1. tit. 6. §. 124.*) et tu mecum actionem habeas de peculio: quia et si Titius id mandatum suscepisset, et ne eo nomine teneretur, ego emissem, agerem cum Titio negotiorum gestororum, (propter gestum contemplatione eius, (§. 38.) et ille tecum et tu cum illo mandati. Idem est, et si filio meo mandaueris, ut pro te fideiuberet, et ego pro te fideiusserim. *L. 46. pr. b.*

ARGUMENTVM.

- §. 1. 211. Si proponatur, te Titio mandasse, ut pro te fideiuberet: meque, quod is aliqua de causa impediretur, quo minus fideiuberet, liberandae fidei eius causa fideiussisse: negotiorum gestororum mihi competit actio. *L. 46. §. 1. b.* Nimirum in Titium, cuius fidem liberare uolui. Nam tuo negotio prodesse non constitui. (§. 38.)

ARGUMENTVM.

- Paul. L. 1. Sent. L. 47. pr.* 212. Actio negotiorum gestororum illi datur, cuius interest, hoc iudicio experiri. *L. 47. pr. b.* (*L. 1. tit. 1. §. 318.*)

OBSERVATIO.

213. Iudicia apud Romanos fuere vel publica vel priuata: vtraque vel ordinaria vel extraordinaria, si crimen aliquod ita immane fuisset, vt iudicium cognitione grauius visum esset, senatus vel populus extra ordinem cognoscebat, quale erat coniuratio Catilinae. POLLETVS *Histor. Fori Rom. L. 3. c. 7.* Publica fuisse vult GRAEVIUS in *Praef. ad Tom. II. Thef. Antiq.* quae ex legibus publicis darentur: extraordinaria, quando de crimine leges vel nihil disposuerant, vel atrocitas delictum singulariter notabat. Causae quoque ciuiles et priuatae et quarum proprie actio non erat, deficiente ob casus raritatem formula ob fauorem vel aequitatem singularem, et quae moram non ferebant, extra ordinem a Praetore cognoscebantur. Ordinaria ergo iudicia erant, quando Praetor pro tribunali actiones, exceptiones dabat, translationes permittebat, (L. 3. tit. 3. §. 62.) iudices dabat, et quando omnis sollempnitas formularis obseruanda erat. Extraordinariae cognitiones fuerunt, quando Praetor in sella vbicunque confederat, iuris reddendi causa cognoscebat et pronuntiabat. Huiusmodi fuit, cuius VLPPIANVS *lege 1. §. 4. ff. de postulando* meminit. Vtriusque iudicii distinctionem memorat SVETONIVS in *Claudio cap. 15. cum decurias rerum actu expungeret* (Claudius) *cum qui dissimulata vacatione, quam beneficio liberorum habebat, responderat, vt cupidum iudicandi dimisit*; (ad praetorem, quasi ordinarium iudicium posceret) *alium interpellatum ab aduersariis de propria lite* (priuata, quae nihil ad rem publicam spectabat) *negantemque cognitionis* (scilicet extraordinariae) *rem, sed ordinarii iuris esse, agere causam confestim apud se coegit: proprio negotio documentum daturum, quam aequus iudex in alieno negotio futurus esset.* Extraordinarias cognitiones conicio fuisse, quando Praetor de plano, semotis formulis actionum directarum, et de vtilibus actionibus cognoscere dicitur: quia in tribunali eminentius non confidebat. Add. RAEVARDVVS *Protrib. cap. 7.*

ARGVMENTVM.

214. Nec refert, directa quis an vtili actione agat vel conueniatur. §. 1. (§. 96.) quia in extraordinariis iudiciis, vbi conceptio formularum non obseruatur, haec subtilitas superuacua est: maxime cum vtraque actio eiusdem potestatis est, eundemque habet effectum. L. 47. §. 1. b. Directarum actionum prae vtilibus ea fuit praestantia, quod qui ius ciuile, id est, formulas actionum directarum sollempnes e iure XII. Tabb. publico L. 2. §. 6. ff. de O. I. compositas, sequebatur, non capiebatur. L. 116. §. 1. ff. de R. I. At qui vtilem actionem instituebat, sine formula ex aequo bonoque intendeat (§. 212.) et arbitrio magis quam iuri certo causam committebat. Vtilis negotiorum gestorum actio datur contra pupillum (§. 10.) Nam ex rescripto D. Pii vtilis actiones competere coeperunt (L. 2. tit. 14. §. 96.) Cum igitur cuiusque, cuius interest, actio negotiorum gestorum detur (§. 211.) omnino non refert, an tacite consensus fit, et quasi-contractus subsistat, vt directe agatur ex edicto: an vero quasi-contractus non valeat, quod in pupillo (§. 10.) et praedone (§. 48.) traditur. modo interfit alterutrum, ita vt alter re obligetur. Tribonianus videtur defendi posse contra ANT. FABRIVM *Coniect. L. 4. c. 7.* et Wissenbachium, qui eum emblematis reum facit.

ARGUMENTVM.

Papin. L. 3.
Quaest.
L. 45.

215. Ignorante quoque sorore, si frater negotium eius gerens, dotem a viro stipulatus sit, (vt eam restitueret) iudicio negotiorum gestorum, vt virum liberaret, iure conuenitur. L. 48. b. Nam dotis ius et actio in negotiis vxoris est. (L. 2. tit. 14. §. 130.)

ARGUMENTVM.

216. Si rem, quam seruus venditus subripuisset a me venditore, emtor vendiderit, (persuafus, rem cum seruo sibi quaesitam esse. (L. 1. tit. 6. §. 4.) eaque in rerum natura esse desierit, (alias ipsam rem restitueret, L. 2. tit. 14. §. 212.) de pretio negotiorum gestorum actio mihi danda sit, vt dari deberet, si negotium, quod tuum esse existimares, cum esset meum, gessisses. (§. 158.) Sicut ex contrario in me tibi daretur, si cum haereditatem, quae ad me pertinet, tuam putares, res tuas proprias legatas soluisses: (quandoque de ea solutione liberarer.) L. 49. b.

ANNOTATIO.

217. Ego haeres sum: tu putas: te esse haeredem: in testamento vel codicillis res tua Caio legata est, soluis legatum: ergo negotium, quod meum, vt veri haeredis erat, gessisti, ego tibi teneor negotiorum gestorum, *quandoquidem* ea solutione liberor. Ita credo legi debere.

DE CALVMNIATORIBVS.

TITVLVS VI.

REGVLA.

1. Interest reipublicae, delicta non manere impunita. L. 18. §. 1. ff. de Iudic.

ARGUMENTVM.

2. Consensus non potest praestari in impossibile. (L. 1. tit. 1. §. 216.)

POSITIO.

Vp. L. 10. ad
Ed.
L. 1. pr.

3. In eum, qui vt calumniae causa negotium faceret, vel non faceret, pecuniam accepisse dicetur, intra annum in quadruplum eius pecuniae, quam accepisse dicetur, post annum simpli in factum actio competit. L. 1. pr. b.

PROBATIO.

Turpis causa lucrum iniquum habet (L. 1. tit. 7. §. 50.) adeoque aequitati contraria est, (§. 138. ib.) et iure impossibilis esse censetur. (§. 137. ib.) In id vero, quod impossibile est, consensus praestari nequit (§. 2.) nec inde obligatio oriri, (L. 1. tit. 1. §. 216.) cumque causa turpis sit, quando quis pecuniam accipit, vt vel calumniam alicui faciat vel non faciat, (L. 1. tit. 7. §. 50.) ideo actio datur ad repetendum, quod ex causa turpi acceptum fuit, quia calumnia dolum continet, (L. 2. tit. 7. §. 17.) qui forma et essentia delicti est: cunq; reipublicae interfit, delicta

delicta puniri (§. 1.) ideo quadrupli poena constituta est, (L. 2. tit. 1. §. 29.) sed intra annum saltem, quoniam ea restringuntur, quae praeter ius civile ordinarium ex edicto sunt. (L. 1. tit. 1. §. 243.)

DEFINITIO.

4. Crimen repetundarum est delictum publicum, quando magistratus pecuniam vel dona accipit, quo magis minusue officium faciat.

ARGUMENTVM.

5. Hoc autem iudicium (in quadruplum §. 3.) non solum in pecuniariis causis, sed et ad publica crimina pertinere Pomponius scribit: (si quis pecuniam acceperit vt pecuniarium priuatum negotium, vel ex delicto aut crimine alicui faceret, aut non faceret) maxime, cum et lege repetundarum teneatur, qui ob negotium faciendum aut non faciendum per calumniam pecuniam accepit. L. 1. §. 1. b. §. 1.

ARGUMENTVM.

6. Qui (autem) accepit pecuniam, siue ante iudicium, siue post iudicium acceptum, tenetur. L. 1. §. 2. b. Nam eadem turpitudine accipientis est, siue praeuaricetur, siue tergieretur. §. 2.

REGVLA.

7. Reipublicae interest ciues probatae et integrae fidei habere.

ARGUMENTVM.

8. Sed et constitutio Imperatoris nostri, quae scripta est ad Casium Sabinum, prohibuit iudici vel aduersario, in publicis vel priuatis, vel fiscalibus causis pecuniam dare: et ex hac causa (si data sit) litem perire iussit. Nam tractari (dubitari) potest, si aduersarius non per calumniam transigendi animo accepit, an constitutio cessat: et puto cessare, sicuti hoc quoque iudicium: (repetundarum) neque enim transactionibus est interdictum, sed sordidis concussionibus. L. 1. §. 3. b. Vocula, nam: causalis non est, sed connectendi, secundum Dn. de BYNKERSHOEK, in Praetermissis: ad L. 2. ff. de O. l. et GERARD. NOODT in Dioclet. et Maxim. c. 14. Putarim, causalem esse, per hanc rationem: Vt calumnia euidenter demonstretur, necesse esse, vt tam accipientis quam dantis dolus lege reprehendatur, quod constitutio Antonini Caracallae effecit. Nam alias dubitari posset, vtrum calumniae an transactionis causa in casu licito priuato acceptum sit. Omnia enim exemplaria habere: neque enim transactionibus licitis est interdictum, praeter vnicum Florentinum Codicem, testatur G. NOODT. l. c. §. 3.

ANNOTATIO.

9. Pecuniam autem accepisse dicemus, etiam si aliquid pro pecunia acceptum. L. 1. §. 4. b. §. 4.

ANNOTATIO.

10. Quin etiam, si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse. Itemque si gratuita pecunia vtenda data sit, aut minoris locata venditae res sit: nec refert, ipse pecuniam acceperit, an alii dari iusserit, vel acceptum suo nomine ratum habuerit. L. 2. b. Paul. L. 10. ad Ed. L. 2.

ANNOTATIO.

Vlp. L. 10.
ad Ed.
L. 3. pr.

11. Et generaliter idem erit, si quid omnino compendii sensit propter hoc, siue ab aduersario, siue ab alio quocunque. L. 3. pr. b.

ARGUMENTVM.

§. 1. 12. Turpitude accipiendo praemium officii et debiti sui committitur, (L. 1. tit. 7. §. 50.) Si igitur accepit, vt negotium faceret, siue fecit, siue non fecit, et quia accepit, ne faceret, et si fecit, tenetur. L. 3. §. 1. b.

ANNOTATIO.

13. Supra (L. 3. tit. 2. §. 25.) poenitentia consilium improbum purgabatur eius, qui operas suas in scenam locauerat. Hic amplius quam consilium est, quia pecuniam calumniae causa accepisse ponitur.

ARGUMENTVM.

§. 2. 14. Hoc edicto tenetur etiam is, qui depectus est. L. 3. §. 2. b. item ideo, quia mercedem officii sui ex debito exhibendi paciscitur.

ANNOTATIO.

15. Depectus autem dicitur turpiter pactus. L. 3. §. 2. b.

ARGUMENTVM.

§. 3. 16. Illud erit notandum, quod qui dedit pecuniam, vt negotium quis pateretur, non habebit ipse repetitionem (propter parem turpitudinem dantis et accipientis, quo casu iure ciuili conditio possidentis melior erat. (L. 3. tit. 2. §. 120.) turpiter enim fecit. L. 3. §. 3. b.

POSITIO.

17. Sed ei dabitur petitio, propter quem datum est, vt calumnia ei fiat. L. 3. §. 3. b.

PROBATIO.

Iniuria illi fit, cui calumnia intentatur (L. 2. tit. 7. §. 17.) eiusque ius deminuitur (L. 1. tit. 1. §. 119.) quoniam autem actio ei datur cuius ius imminutum est, (L. 1. tit. 1. §. 318.) ergo ei datur petitio eius pecuniae, quae propter eum data est, vt calumnia ei fieret.

OBSERVATIO.

18. Turpis causa iure ciuili pro nulla et impossibili reputatur. (L. 1. tit. 7. §. 137.) quando igitur propter turpem causam aliquid datur, ob finem intentione talem datur, qui tamen iure nullus est, vnde et ipse actus dationis fatuus, erroneus et vagus est, quippe qui ad finem impossibilem tendens, nunquam perficitur vel absoluitur, sed in via quasi errat, et id, quod dari intenditur, nunquam cum iuris effectu datur: hinc poenitentiae et repetitioni locus conceditur: id est, datur conditio ob turpem causam.

ARGUMENTVM.

19. Quare, si quis a te pecuniam accipit, vt mihi negotium faceret, et a me, ne mihi faceret: duobus iudiciis mihi tenebitur. L. 3. §. 3. b. Quod ego dedi, conditionis iudicio repeto, (§. 18.) quod alius dedit vt fieret calumnia, intra annum actione iniuriarum, (§. 17.) post annum condictione, aut si deficiat, actione in factum (L. 2. tit. 7. §. 23.) peto. L. 5. in f. ff. b. i.

ARGV-

A R G V M E N T V M.

20. Haec actio haeredi quidem non competit, (nam ex iniuria descendit, (L. 2. tit. II. §. 68.) quia sufficere ei debet, quod eam pecuniam, quam defunctus dedit, repetere potest. *L. 4. b.* (L. 2. tit. 2. §. 26.) §. 18.)

Caius L. 4. ad Ed. pr. L. 4.

A R G V M E N T V M.

21. In haereditem autem competit in id, quod ad eum peruenit, quantum locupletior factus est (L. 3. tit. 5. §. 37.) Nam est constitutum: turpia lucra haeredibus quoque extorqueri, licet crimina extinguantur: vtpote ob falsum, vel iudici ob gratiosam sententiam datum, (et) haeredi extorquebitur, et si quid aliud scelere quaesitum. *L. 5. pr. b.* (L. 1. tit. 7. §. 138.)

Vlp. L. 10. ad Ed. L. 5. pr.

A R G V M E N T V M.

22. Sed etiam praeter hanc actionem condictio competit, si sola turpitudine accipientis versetur: (§. 19.) nam si et dantis melior causa erit possidentis. *L. 5. §. 1. b.* (L. 3. tit. 2. §. 120.)

§. 1.

A R G V M E N T V M.

23. Quare si fuerit condictum (ciuilitate, non criminaliter actum) vtrum tollitur haec actio, an vero in triplum danda sit? an exemplo furis et in quadruplum actionem damus, et condictionem? sed puto sufficere alterutram actionem, (aut condictionem cum triplo, aut in quadruplum, quod rem non continet. (§. 3.) si vna actio fuerit: aliud, si duae (§. 34.) Vbi autem condictio competit, ibi non est necesse post annum dare in factum actionem. *L. 5. §. 1. b.* (§. 19.) nam haec praetoria est, illa ciuilis. (L. 2. tit. 13. §. 73.)

A N N O T A T I O.

24. Tripli poena in actione condictionis venit aduersus calumniosum actorem. §. 24. *I. de Action.* et in actione metus causa. *L. 9. §. 9. 10. ff. quod met. caus.* Videtur Iustinianus hoc ius dubium decisione sua pro more certum effecisse.

O B S E R V A T I O.

25. Annus autem in personam quidem eius, qui dedit pecuniam, ne secum ageretur, ex eo tempore cedit, ex quo dedit. *L. 6. b.*

Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 6.

O B S E R V A T I O.

26. Quod homines societates colunt, et in ciuitate imperium aliorum tolerant, ideo fit, quia vitae, victus et veneris tutamen sibi quaerunt. Conseruare cupiunt bona sua et dominium rerum suarum. (L. 1. tit. 1. §. 312.) Dilaberetur ergo ciuitas in qua nulli securitas bonorum esset. Eueniret hoc in commodum ciuibus, si dominium nulla alia ratione quam ex auctoris iure probari posset: nam probatio esset infinita. Hinc vsucapio introducta est iure ciuili Romano, ne periculum euictionis perpetuo immineret, et ne cuius calumniatori vindicatio pateret. Eadem ratione praescriptio introducta est, qua cuique possessio rei suae asseritur. Praesumitur autem dominus prior, si aliquis fuit, rem dereliquisse, qui longo tempore illa fuit priuatus: nam eam vel requirere noluit, aut spem recuperandi abiecit. *L. 4. §. ff. de reb. cred. L. 9. ff. de damno inf. §. 26. I. de R. D. L. 43. §. 11. ff. de furt.* Proinde et in vrbe Romana opus fuit, res, iura et actiones certo tempore praescribi, ne perpetua formidine premerentur homines, dum e contrario longo actoris silentio remissio iuris competentis praesumenda sit. (L. 2. tit. 13. §. 105.) L. 1. tit. 5. §. 66.)

ARGV-

ARGUMENTVM.

27. Ergo derelictio non praesumitur, quando apparet, aliquem res suas vel ius suum persequi non potuisse. (L. 1. tit. 1. §. 225.)

ARGUMENTVM.

28. Ex ea ratione subiungitur superiori textui exceptio: si modo potestas ei fieret experiundi. *L. 6. b.*

DEFINITIO.

29. Tempus vtile dicitur; quod currere incipit ea die, qua quis cognouit, ius aliquod sibi competere.

DEFINITIO.

30. Tempus continuum dicitur spatium dierum naturali ferie computatum.

DEFINITIO.

31. Tempus vtile aliter dicitur spatium dierum, quibus vtiliter agi potest.

ARGUMENTVM.

32. In illius vero personam, cum quo ut agatur, alius pecuniam dedit, dubitari potest, vtrum ex die datae pecuniae numerari debeat, an potius ex quo cognouit datam esse: quia qui nescit, is videtur experiundi potestatem non habere; et verius est, ex eo annum numerari, ex quo cognouit. *L. 6. b.* quoniam ius et actionem ignoratam nemo derelinquere potest. (§. 27.)

ARGUMENTVM.

*Paul. L. 10.
ad Ed.
L. 7. pr.*

33. Si quis ab alio acceperit pecuniam, ne mihi negotium faciat; siquidem mandatu meo datum est, vel a procuratore meo omnium rerum, vel ab eo, qui negotium meum gerere volebat, et ratum habui. (L. 1. tit. 8. §. 60.) ego dedisse intelligor. *L. 7. pr. b.* (L. 1. tit. 1. §. 56.)

ARGUMENTVM.

34. Si autem non mandatu meo alius ei, licet misericordiae causa, dederit, ne fiat: neque ratum habui, tunc et ipsum (dantem §. 19.) repetere, (ciuilitur condicere) et me (criminaliter) in quadruplum agere posse. *L. 7. pr. b.* Poena calumniantium quadrupli est intra annum (§. 3.) Mihi vero actio datur, quia iniuria mea est, quod me nocentem iudicauerit, qui iudicio absolui nequeam, et quia suspicionem apud homines excitat, quasi per ipsum transegerim, meque adeo debitorem confessus sim. (L. 3. tit. 2. §. 41.)

ANNOTATIO.

35. Ergo antinomia nulla est *legis 5. §. 1. b. tit.*

ARGUMENTVM.

§. 1.

36. Si, ut filiofamilias negotium fieret, acceptum est, et patri actio danda est. *L. 7. §. 1. b.* propter identitatem personarum (L. 2. tit. 14. §. 195.) et ob dignitatem patris in filio per calumniam laesam. (L. 3. tit. 3. §. 120.)

ARGUMENTVM.

37. Quoniam pater et filius extra negotia familiae, ut in delictis vel dolose gestis, eadem persona non sunt (L. 1. tit. 6. §. 25.) et quia imputatio est agentis demonstratio, (L. 1. tit. 1. §. 53.) ideo textus dicit: Item, si filiofamilias pecuniam acce-

acceperit, vt faceret negotium vel non faceret, in ipsum (non in patrem) iudicium dabitur. Et si alius non meo mandatu ei dederit, ne (mihi negotium) fiat: tunc ipsum (dantem) repetere, et me in quadruplum agere posse. *L. 7. §. 1. b. (§. 34.)*

A R G V M E N T V M.

38. Cum publicanus mancipia retineret, dataque ei pecunia esset, quae non deberetur, (ne retineret, et adeo, ne negotium faceret,) et ipse ex hac parte edicti in factum actione tenetur. *L. 7. §. 2. b. (§. 3.)*

A R G V M E N T V M.

39. Si ab eo, qui innocens fuit, sub specie criminis alicuius, quod in eo comprobatum non est, pecuniam acceptam is, cuius de ea re (de eo crimine intentato) notio est, edoctus fuerit: id quod illicite extortum est, secundum edicti formam, quod de his est, qui pecuniam vt negotium facerent, aut non facerent, accepisse dicerentur (ex officio etiam nemine agente) restitui iubeat: et ei quid commisit, pro modo edicti poenam irroget. *L. 8. b.* Nam reipublicae interest delicta puniri (§. 1.) et lucrum delicti sui nemo capere debet. (*L. 1. tit. 7. §. 136.*)

*Vlp. L. 4.
Opin.
L. 8.*

A N N O T A T I O.

40. Notat Gothofredus ex Bartolo, quod ideo iudex ciuilis criminaliter punire possit. Verum, si hoc posset, non opus fuisset remittere tutorem, pupillo per calumniam alimenta negantem, ad praefectum vrbi puniendum. *§. 10. I. de susp. tus.* Et olim in priuatis atque extraordinariis criminibus per calumniam intentatis, extra ordinem animaduersum fuit. *L. 3. ff. ad Sct. Turp.* Quando publicum crimen per calumniam obiectum erat: calunnia lege Remmia ordinario iudicio vindicabatur. *L. 1. §. 1. ff. ad Sct. Turp.* Per hanc legem Remmiam, siue Memmiam, calumniatoribus literam K. in fronte iniustam fuisse traditur: *CICERO pro Sexto Roscio p. 218. Ita tamen quaestus te cupidum esse oportebat, vt horum existimationem et legem Remmiam putares aliquid valere oportere, et paulo post: sed si ego hos (iudices) bene noui, literam illam, cui vos vsque eo inimici estis, vt etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.* Et *VALERIVS MAX. L. 3. c. 7. Restabat, vt Tribunus apud populum sine populo ageret, desertusque in foro cum magno calumniae suae ludibrio solus moraretur: cuius deuitandi ruboris causa in Capitolium processit, deque accusatore Scipionis venerator factus est.* Non incongrue intelligeres ruborem candentis ferri, vel sanguinem scalpelli puncturis prolectum. Hoc ait *PLINIVS in Panegyrico c. 35. Neque, vt antea, ex sanguinem illam et ferream frontem necquidquam vulnerandam praebeant punctis, et notas suas rideant.*

O B S E R V A T I O.

41. Serui quadrupedibus fere exaequati, (*L. 1. tit. 6. §. 2.*) vnde facillime ad quaestionem et tormenta rapti fuerunt. Nam accusatore seruos ad quaestionem postulanti, quaesitor eos ad equuleum dabat. *ROSINVS Antiq. L. 9. c. 21.*

D E F I N I T I O.

42. Actio Legis Aquiliae directa est postulatio domini, cuius rei iniuria nocitum est, contra eum, qui corpore in corpus damnium dedit, ad damni reparationem, secundum aestimationem eius anni vel 30 dierum retro proximorum, quantum res plurimi fuit.

O B S E R V A T I O.

43. Vtilis datur ei, qui dominus non est, dummodo ius in re laesa habet: item quando res corrupta est, non corpore.

A N N O T A T I O.

44. Haec actio inficiendo crescit in duplum, quoniam ex inficiatione dolus manifestatur. Corpore damnium datum esse veteres non otiose voluerunt, quia tum lucrum facti ossibus quasi facientis accesserat. (L. 2. tit. 1. §. 33.) crescit autem actio in duplum, quia vnus dolus nocentis, alter negantis puniri debet. L. 4. §. 2. ff. de noxal. action.

A R G V M E N T V M.

Papin. L. 1.
de adult.
L. 9.

45. De seruo qui accusatur, si postuletur, quaestio habetur; quo absoluto (praeiudicium fit actioni Legis Aquiliae) in duplum pretium accusator domino damnatur. (habetur pro negante quod damnium intulerit, quia iure suo se uti causatus est. §. 44.) Sed et citra pretii aestimationem quaeritur de calumnia eius. Separatum est etenim calumniae crimen a damno, quod in seruo propter quaestionem domino datum est. L. 9. b. Poscitur seruus in quaestionem, ut confessione sua calumniam confirmet. Reperta calumnia accusator domino ex lege Aquilia de damno in seruo dato tenetur: sed in duplum: inficiatus enim est eo ipso damnium se dedisse, quia iure suo se uti professus est. De calumnia separatim tractatur. Sunt enim duo delicta, vnum calumniae, alterum damni dati.

A N N O T A T I O.

46. Quia hic titulus de eo agit, qui data pecunia negotium fieri, vel non fieri procurat, videri posset, vi vocabuli post negotia gesta positus fuisse; sed quia calumniator postulat in hunc librum, qui de postulationibus et Procuratoribus agit, relatus fuit.

(In Praefatione L. 3. pag. 7. lin. 14. lege: *accepti debitoris*, et pag. 62. lin. 13. lege: *Minor 25.*)

F I N I S.



IOANNIS GEORGII WAGNERI

V. I. D.

ET IN ACADEMIA REGIA EQVESTRI LIGNICENSI


MATTH. P. P. O.

RESOLUTIONES
PANDECTARVM,

METHODO DEMONSTRATIVA

ADORNATAE

LIBER QVARTVS.



LIGNITII,

APVD DAVID. SIEGERT.

MDCCXLV.



PRAEFATIO.



Postquam libro primo Digestorum de Iustitia et Iure actum fuerat, in secundo potestas magistratum maiorum, praecipue praetoris explicata fuit, qua iudiciis poenalibus iurisdictionem suam tuitus est: idem liber actionis institutionem, eius tempus, et causae ordinationem per exceptiones ex pactis vel transactionibus competentes complectitur. Continuat liber tertius tuitionem iurisdictionis praetoriae, quonempe ratio docetur, qua praetor decorem et honorem tribunalis et dignitatis suae aduersus indignos et leues homines munuit, qui coram ipso postulantes iurisdictionis venerationem in ludibrium vertissent. Titulum de negotiis gestis ob similitudinem procuratorum et defensorum insertum opinor: propriam eius sedem ibi non esse, facile apparet. Praesens liber quartus iurisdictionis praetoriae iam firmatae et contra iniuriam vallatae primum specimen exhibet. Summum ius summa saepe iniuria. Legum ciuilium, immo et iuris gentium rigore homines haud raro capiebantur. Iure gentium coacta, vel errore

P R A E F A T I O.

rore aut dolo elicita voluntas etiam est voluntas : enixetamen repugnante iure naturae, quod voluntatem non agnoscit, nisi animi motum liberrimum, bonique cogniti desiderium. Aliae captionum occasiones hoc in libro occurrunt, quibus vt praetor mederetur, officii eius fuit. Ad edictum hoc praetoris pro varietate casuum emergentium iuris consulti varias interpretationes, diuersasque applicationes collegerunt, e quibus accurata et cauta iuris methodus, solida ratio et elimata doctrina elucet. Interdum, vti et in prioribus libris dissensio iuris peritorum obseruatur: quod accidere potuit, quando ex principiis diuersis argumenta deduxerunt, et quando aequitati praee iure stricto locum esse putarunt: rarissime vnus aut alter in artem ipsam peccauit. Tamen si autem hoc accidisset, sequiora tempora priorum erroribus melius edocta, lapsus istorum non vituperarunt, sed in lucro grate reputauerunt, quibus, quae vitanda sint, ostendebatur. Quod olim Romani in formulis cautionum habuerunt: vti inter bonos bene agere oportet: ita sane inter eruditos sobrie, digne et decenter agere conueniens fuit.



RESO-



RESOLUTIONVM PANDECTARVM

LIBER III.

TITVLVS I.

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS.

§. I.



OBSERVATIO.

utilitas huius tituli non eget commendatione: ipse enim se ostendit. Nam sub hoc titulo plurifariam praetor hominibus vel lapsis vel circumscriptis subuenit: siue metu, siue calliditate, siue aetate, siue absentia inciderunt in captionem. *L. 1. b.* siue per status mutationem aut iustum errorem. *L. 2. b.*

*Vlp. L. 11.
ad Ed.
L. 9.*

*Paul. L. 1.
Sent.
L. 2.*

ARGVMENTVM.

2. Officium praetoris fuit, summi iuris rigorem secundum aequitatem remittere et temperare. (*L. 1. tit. 14. §. 1.*) sed ius civile tollere non potuit, nec quod lege fieri tantum oportebat, iurisdictione efficere valuit, multo autem minus iuri gentium abrogare. Iure gentium obligatio ex consensu oritur, (*L. 1. tit. 1. §. 194. 196.*) Minor sentit quid agat, et velle potest, et consentire valet. Voluntas eius, qui metu maiori cogitur, etiam voluntas est, (*L. 1. tit. 1. §. 58.*) sed eiusmodi consensus summo saltem iure obligationem infert, et rigore iuris in duritiam contra aequitatem degenerat: nam minor non consensisset, si maturitatem consilii habuisset, nec ille qui coactus consensit, si libere velle valuisset. Coniux coniugi do-

mans

nans magis veneris impetu et impatientia, quam voluntate libera impellitur, et captio ob diuortium imminabat ex leui offensa vel satietate veneris et morum: Reuera eiusmodi consentientes ne quidem recte volunt, quod agunt, et in quod consentiunt, quia non libere volunt, (L. 1. tit. 1. §. 32. 59.) Vnde praetor his et similibus per in integrum restitutionem subuenit. (L. 2. tit. 8. §. 36.) de quibus iure ciuili nihil cautum erat.

ARGUMENTVM.

Modest. L. 3. Pand. L. 3. 3. Omnes in integrum restitutiones causa cognita (L. 1. tit. 7. §. 61.) a praetore promittuntur, scilicet ut iustitiam earum causarum examinet, an verae sint, quarum nomine singulis subuenit. *L. 3. b. (L. 3. tit. 3. §. 22.) L. 1. tit. 7. §. 61.)*

ANNOTATIO.

Callistr. L. 1. Ed. mon. L. 4. 4. Scio illud a quibusdam obseruatum ne propter satis minimam rem vel summam, si maiori rei vel summae praeiudicetur, audiatur is, qui in integrum restitui postulat. *L. 4. b.*

REGVLA.

Paul. L. 7. ad Ed. L. 5. 5. Nemo videtur exclusus, (re vel actione) quem praetor in integrum se restitutum pollicetur. *L. 5. b.*

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 13. ad Ed. L. 6. 6. Haeres succedit in personam ciuilem et ius defuncti. (L. 1. tit. 1. §. 75.) Quare Non solum minoris, verum eorum quoque, qui reipublicae causa abfuerunt, item omnium, qui ipsi potuerunt restitui in integrum, successores, in integrum restitui possunt, et ita saepissime est constitutum. *L. 6. b.*

DEFINITIO.

7. Fideicommissum vniuersale est vltima voluntas, qua haeredi fideicommissario tota haereditas ab haerede fiduciario instituto restituenda, verbis obliquis relinquitur. (vid. L. 1. tit. 7. §. 81.)

OBSERVATIO.

8. ScTo Trebelliano omnes actiones, quae iure ciuili haeredi fiduciario et in eum competebant, fideicommissario et in eum datae sunt. §. 4. *I. de fideic. haeredit.* (L. 3. tit. 3. §. 153.) Inte praetor vtilis actiones dare coepit. *cit. §. 4. Add.* (L. 3. tit. 5. §. 164.)

ARGUMENTVM.

9. Siue igitur haeres sit, siue is, cui haereditas restituta est, siue filii familiae militis successor, in integrum restituti poterit. *L. 6. b. (§. 8.)*

OBSERVATIO.

10. Libertus erga patronum ingratus iterum in seruitutem trahebatur. *L. 2. C. de libertis et cor. lib.*

OBSERVATIO.

11. Restitutioni in integrum ob minorem aetatem praescribitur quadriennio. *L. fin. C. de temp. in integr. restit.* quod olim annus vtilis erat.

ARGV-

A R G V M E N T V M.

12. Proinde, et si minor in seruitutem redigatur vel ancilla fiat, (quia omnes serui res et iura dominis acquiruntur L. 1. tit. 6. §. 4.) dominis eorum dabitur non ultra tempus statutum in integrum restitutio. (Restituitur enim ex iure minoris non ex proprio.) Sed et si forte hic minor (in seruitutem redactus) erat captus in haereditate quam adierit: Iulianus libro septimo decimo Digestorum scribit, abstinendi facultatem dominum posse habere non solum aetatis (serui reuocati) beneficio, verum et si aetas non patrocinetur, quia non adipiscendae haereditatis gratia legum beneficio vsi sunt, sed vindictae gratia. L. 6. b. Libertas domini in seruitutem trahunt, non vt seruum cum caussa sua adquirant, sed vt ingratum punirent. (L. 3. tit. 3. §. 100.)

A R G V M E N T V M.

13. Diuus Antoninus Marcio Auito Praetori, de succurrendo eo, qui absens rem amiserat, in hanc sententiam rescripsit: Etsi nihil facile mutandum est ex sollemnibus, tamen, vbi aequitas euidentis poscit, subueniendum est. Itaque si citatus non respondit, et ob hoc more pronuntiatum est, confestim autem pro tribunali te sedente adiit, existimari potest, non sua culpa, sed parum ex audita voce praeconis defuisse; ideoque restitui potest. L. 7. pr. b. (L. 2. tit. 8. §. 36.) L. 2. tit. 4. §. 83.)

Marc. L. 3.
Dig.
L. 7. pr.

A R G V M E N T V M.

14. Nec intra has solum species, consistet huius generis auxilium. Etenim deceptis sine culpa sua, maxime si fraus ab aduersario interuenierit, succurri oportebit. (L. 1. tit. 1. §. 68.) Cum etiam de dolo malo actio competere soleat: et boni praetoris est, potius restituere litem, ut et ratio et aequitas postulabit, quam actionem famosam (doli) constituere, ad quam tunc demum descendendum est, cum remedio (non famoso, mitiori) locus esse non potest. L. 7. §. 1. b. (L. 1. tit. 1. §. 244.)

§. 1.

A R G V M E N T V M.

15. Minoris consensus et inde nascens obligatio ob consilii immaturitatem defectuosa sunt; (§. 2.) hinc eius fauor in caussa restitutionis in integrum. Proinde Inter minores viginti quinque annis, et eos, qui reipublicae caussa absunt, hoc interest, quod minores annis, etiam qui per tutores curatoresue suos defensi sunt, nihilominus in integrum contra rempublicam (substitutae: rem iudicatam): secundum GOVEANVM; Est enim haec lex ex libris de appellationibus, nec alio quam ad restitutionem contra rem iudicatam pertinere potest. CUIACIUS: in Comment. ad hanc legem.) restituantur, cognita scilicet caussa, ei vero, qui reipublicae caussa absit, caeteris quoque, qui in eadem caussa habentur, (quorum obligatio ex nullo consensu non infirmatur) si per procuratores suos defensi sunt, haecenus in integrum restitutione subueniri solet, vt appellare possint. L. 8. b. post fatale appellationis contra sententiam in absentem latam.

Macer. L. 2.
De appell.
L. 8.

ANNO-

ANNOTATIO.

16. Forte huius textus occasione Doctoribus nata est diuisio restitutionis in integrum in remedium rescindens et rescissorium; imo et actio rescissoria plane nominatur in *lege 28. §. 5. et 6. ff. Ex quib. caus. mai.* Nam remedio actu rescindente obligationem vel gestionem vel sententiam Praetor minori succurrit: reliquis vero, qui in eadem causa cum minore non sunt, rescissorium remedium largitur, nempe appellationem, quae non rescindit, sed saltem efficit, ut rescissio per sententiam in appellationis instantia sequi possit. Diuisionem hanc nullius momenti esse, ait BACHOVIVS *de Action. Disp. 3. §. 26.* Textus noster demonstrat eam non esse reiiciendam, melius autem distingui debere in applicatione, non negauerim. Rescindente remedio iuuari debent, quorum consensus impeditus fuit dum gerebant, vel accidebat id, ex quo in captionem inciderunt: ut, metu, dolo, aetate, errore lapsi: Caeteris rescissorium competit, qui ex eadem circumstantia non laeduntur, e. gr. absentibus, status mutationem passis. &c.

REGVLA.

17. Ex remediis paris effectus initius eligendum.

ANNOTATIO.

18. PAVLVS *Sent. L. 1. tit. 7.* definit in integrum restitutionem: *Integri restitutio est redintegranda rei vel causae actio.* Quid res, quid causa sit, CUIACIVS ample disputat in commentario ad hunc titulum: concludit, rem dici, quae perfecta est, e. gr. data: causam vero, quod imperfectum est, ut promissum: Videtur in explicatione horum verborum sequi Pomponium, qui causam esse dicit, quod praecessit gestionem, qua motus aliquis egit, rem vero, id ob quam geritur, ut demum aliquid sequatur. *L. 52. ff. De Cond. indeb.* In tractatione de restitutionibus, aliam significationem vocabulorum esse reor. Rem restitui puto, quando id quod gestum est, officio praetoris omnimodo rescinditur, veluti in restitutione minorum, quod metus causa, et doli Causam restitui coniicio, quando res in priorem causam, id est circumstantiam (*L. 1. tit. 1. §. 227.*) reuocatur: ut, quando laeso per absentiam appellatio vel vindicatio praestatur, in capite minuto pristina status conditio respicitur in negotio, quam ante mutationem gessit, ut indemnis ille sistatur, quo cum aliquid gesserat: &c. Sententia Cuiacii in materia conditionum verissima est, in restitutionum doctrina applicari non potest. Non video, qua ratione vel res vel causa, illo sensu, restituatur ob capitis deminutionem: quod autem causa, siue circumstantia conditionis ciuili in fauorem laesi restituatur, palam est.



TIT. II.

QVOD METVS CAVSSA GESTVM ERIT.

DEFINITIO.

1. Metus est perturbatio animi, ex instanti et praesenti grauique malo illata.

ARGVMENTVM.

2. Ait Praetor: Quod metus causa gestum erit, ratum non habeo, *L. 1. b.* (L. 4. tit. 1. §. 2.) (L. 3. tit. 5. §. 1.) *Vlp. L. 1. ad Ed. L. 1.*

ANNOTATIO.

3. Metus iustus ad restitutionem in integrum sufficiens ille praecipue est, qui ex damno aliquo graui & irreparabili instat per iniuriam.

ANNOTATIO.

4. Olim ita dicebatur: Quod vi metusue causa: vis enim fiebat mentio, propter necessitatem impositam contrariam voluntati: metus instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatione. Sed postea de-tracta est vis mentio, (ideo) quia, quodcumque vi atroci fit, id metu quoque fieri videatur. *L. 1. b.* L. Octavius praetor, primus edixit: *Quod vi metusue causa: CVIACIVS Comm. ad h. t.* Vim forte abundare crediderunt praetores recentiores; quis enim dubitaret, ipsam vim edicto locum facere, si metus ob vim sufficiat. (§. 23. sequ.)

DEFINITIO.

5. Vis autem est maioris rei impetus, qui repelli non potest. *L. 2. b.* *Paul L. 1. Sent. L. 2.*

ARGVMENTVM.

6. Continet igitur haec clausula et vim et metum, et si quis vi compulsus aliquid fecit, per hoc edictum restituitur. *L. 3. pr. b.* *Vlp. L. 1. ad Ed. L. 3. pr.*

ANNOTATIO.

7. Sed vim accipimus atrocem et eam, quae aduersus bonos mores fiat, non eam, quam magistratus recte intulit, scilicet iure licito et iure honoris (muneris magistratus) (L. 1. tit. 1. §. 329.) quem sustinet. *L. 3. §. 1. b.* *§. 1.*

ARGVMENTVM.

8. Caeterum, si per iniuriam quid fecit populi Romani magistratus, vel prouinciae praeses, Pomponius scribit, hoc edictum locum habere: si forte, (inquit) mortis aut verberum terrore pecuniam alicui extorserit. *L. 3. §. 1. b.*

ARGVMENTVM.

9. Ego puto, etiam seruitutis timorem similibusque admittendum. *L. 4. b.* *Paul. L. 1. ad Ed. L. 4.*

A N N O T A T I O.

10. Si patronus propter ininimam offensam libertum iterum in seruitutem reuocare minitaretur, metus maior erit. *L. 2. C. de Libert. et liberis eorum.* (L. 3. tit. 3. §. 100.) vide etiam (§. 18. sequ.)

A N N O T A T I O.

Vlp. L. 11. ad Ed. L. 5. Cai. L. 4. ad Ed. prou. L. 6. 11. Metum accipiendum Labeo dicit: non quemlibet timorem, sed maioris malitatis. *L. 5. b.* Metum autem non vani (meticulosi) hominis, sed qui merito in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum pertinere dicemus. *L. 6. b.*

A R G V M E N T V M.

Vlp. L. 11. ad Ed. L. 7. pr. 12. Famae periculum vane metuitur: quoniam infamia iuris ex sententia metuenda, iniuria irrogari non praesumi potest. Ergo: Nec timorem infamiae hoc edicto contineri. Pedius dicit Libro septimo: neque alicuius vexationis timorem per hoc edictum restitui. Proinde si quis meticulosus, rem nullam frustra timuerit, per hoc edictum non restituitur, quoniam neque vi, neque metus causa factum est. *L. 7. pr. b. (§. 3.)*

A R G V M E N T V M.

§. 1. 13. Proinde si quis in furto vel adulterio deprehensus, vel in alio flagitio, vel dedit aliquid, vel se obligauit. Pomponius Libro viceesimo octauo recte scribit, posse eum ad hoc edictum pertinere: timuit enim vel mortem vel vincula; quamquam non omnem adulterum liceat occidere, vel furem, nisi se telo defendat, sed potuerunt vel non iure occidi, & ideo iustus fuerit metus. *L. 7. §. 1. b. (§. 3.)*

A N N O T A T I O.

14. Qui in facto illicito versatur, equidem casum accidentem informat, et adeo in culpa est, (L. 1. tit. 1. §. 84.) sed hoc saltem facit ad casum ipsi imputandum, (L. 3. tit. 5. §. 25. in f.) non autem iustificat alterius iniuriam, nec purgat actum alterius vitiosum. Fur diurnus occidi non potuit, nisi telo se defendisset. *GELLIVS L. 11. c. 18.* Adulter extra thori genialis sacra deprehensus occidi non potuit. (L. 3. tit. 2. §. 18.)

A R G V M E N T V M.

15. Set et si, ne prodatur ab eo, qui eum deprehenderit, alienauerit, succurri et per hoc edictum videtur, quoniam si proditus esset, (in ipso delicto) potuit ea pati, quae diximus. *L. 7. §. 1. b. (§. 3. 14.)*

O B S E R V A T I O.

16. Capite plectitur, qui pro comperto stupro pretium accipit. *L. 29. §. 2. ff. Ad L. Iul. de adult.*

A R G V M E N T V M.

Paul. L. 11. ad Ed. L. 8. pr. 17. Isti quidem et in Legem Iuliam incident, quod pro comperto (deprehenso *SVE T O N I V S in Tiberio c. 35. Uxorem in stupro generi comprntam*) stupro acceperunt: praetor tamen (etiam) vt restituant, interuenire debet. Nam et gestum est malo more (§. 6.) et praetor non respicit, an adulter sit, qui dedit, (delictum non punit) sed hoc solum, quod

quod hic accipit metu mortis illato. *L. 8. pr. b.* (§. 3.) Gestionem duntaxat improbat.

ARGVMENTVM.

18. Si is accipiat pecuniam, qui instrumenta status mei (libertatis) interuersurus est, nisi dem: non dubitatur, quin maximo metu compellat. (§. 9.) utique (scilicet) si iam in seruitutem petor, et illis instrumentis perditis liber pronounciari non possum. *L. 8. §. 1. b.* Nam si nondum petor, periculum non instat. (§. 2.) §. 1.

ARGVMENTVM.

19. Quod si dederit, ne stuprum patiat vir seu mulier: hoc edictum locum habet, cum viris bonis iste metus maior quam mortis esse debet. *L. 8. §. 2. b.* Muliebria pati, viro summum dedecus est. §. 2.

ANNOTATIO.

20. Haec quae diximus ad edictum pertinere, nihil interest, in se quis veritus sit, an in liberis suis, cum pro affectu parentes magis in liberis vereantur. *L. 8. §. 3. b.* (L. 1. tit. 7. §. 16.) §. 3.

ANNOTATIO.

21. Metum autem praesentem accipere debemus, non suspicionem inferendi eius. Et ita Pomponius Libro vicesimo octauo scribit. Ait enim, metum (illatum) accipiendum (id est) si illatus est timor ab aliquo. *L. 9. pr. b.* Praesens est, quod coexistit, non quod cogitatur. *Vlp. L. 11. ad Ed. L. 9. pr.*

DEFINITIO.

22. Interdictum vnde vi est remedium extraordinarium recuperandi possessionem rerum immobilium cum omni causa et interesse, vnde quis vi deiectus est. *Tit. ff. De vi et vi. arm.*

ARGVMENTVM.

23. Denique tractat, si fundum meum dereliquero, audito, quod quis cum armis veniret, an huic edicto locus sit, et refert, Labeonem existimare, edicto locum non esse, et: vnde vi: interdictum cessare, quoniam non videor vi deiectus, qui deiici non expectaui, sed profugi. Aliter (atque) si posteaquam armati ingressi sunt, tunc discessi; huic enim edicto locum facere *L. 9. pr. b.* Requiritur metus ex periculo praesentis, non praeparati periculi nuncio (§. 21.)

ANNOTATIO.

24. CICERO *pro Caccina p. 355.* Non ea sola vis est, quae ad corpus nostrum vitamque peruenit: sed etiam multo maior ea, quae periculo mortis iniectione formidine animum perterritum loco saepe et certo de statu demouet. Ita autem iudicium de vi videtur esse praeparatum. Conspectis armatis ad vim inferendam aduentantibus, aduocatis adhibitis testificabatur possessor, et discedebat: vocabat deturbatorem in ius, et quando hic negabat vim factam esse, sponcione eum prouocabat: Ni aduersus edictum praetoris vis facta esset. CICERO *ib. p. 354. et 356.* Non obstat *L. 33. §. 2. ff. de vsurp. et vsucap.* vbi: *existimauerit*: non excludit, quod aduentantes viderit, et ingressuros existimauerit. Tale sane periculum

lum instans est. CUIACIVS tamen Comment. ad hanc legem *existimaverit*, mutata in *existimuerit*, pro scribendi more in Pandectis Florentinis frequenti; ubi: *Extra: extrinsecus*. In lege 1. §. 1. 29. ff. De vi. Labeonis et Pomponii dissidentes opiniones referuntur: vtrunque de praesenti periculo sentire puto: qui instans et praesumptum admittunt, requirunt occupationem fundi secutam, qua periculum a longinquo praesentatum, praesens factum fuisse demonstratur. (L. 2. tit. 14. §. 75.)

ARGUMENTVM.

25. Idem ait: et si forte adhibita manu in meo solo per vim aedifices, et interdictum: Quod vi aut clam: et hoc edictum locum habere, scilicet, quoniam metu patior id te facere. L. 9. pr. b. Hac patientia ius alteri facio in meo, et gero negotium civile mihi damnosum, sed per metum. Quoniam vero vi factum est opus, interdictum quod vi competit. (L. 3. tit. 3. §. 235.)

ARGUMENTVM.

26. Sed et si per vim tibi possessionem tradidero, dicit Pomponius, huic edicto locum esse. L. 9. pr. b.

ARGUMENTVM.

§. 1. 27. Gestio per metum vel vim extorta summo iure obligatoria est, sed in se vitiosa, dum non consentit, qui non libere consentit, (L. 4. tit. 1. §. 2. et §. 44. infra) ideo Ulpianus ait: Animaduertendum autem, quod praetor hoc edicto generaliter, et in rem loquitur, nec adiicit, a quo gestum. Confer. (§. 76. sequ.) Et ideo, siue singularis sit persona, quae metum intulit, vel populos, vel curia, vel collegium, vel corpus, huic edicto locus erit. L. 9. §. 1. b.

ARGUMENTVM.

28. Qui nec mandat, nec eum agere patitur, in quem potestatem habet. (L. 1. tit. 1. §. 40. 41.) ille non habetur pro faciente: ideo pergit textus: Sed licet vim factam a quocunque praetor complectatur, eleganter tamen Pomponius ait: si quo magis te vi hostium vel latronum vel populi tuerer, vel libertatem, aliquid a te accepero, vel te obligauero: non debere me hoc edicto teneri, nisi ipse hanc tibi vim submisi. Caeterum, si alienus sum a vi, teneri me non debere, ego enim operae potius meae mercedem accepisse videor. L. 9. §. 1. b.

ANNOTATIO.

29. Quod si igitur seruus vel familia vim metumque intulerit domino sciente et patiente, nec cum posset, prohibente, edicto locus dabitur.

ARGUMENTVM.

§. 2. 30. Idem Pomponius scribit: quosdam bene putare, etiam serui manumissionem vel aedificii depositionem, quam quis coactus fecit, ad restitutionem huius edicti porrigendam esse, L. 9. §. 2. Nam vitiosa gestio est. (L. 3. tit. 5. §. 1.) §. 27.

ARGUMENTVM.

§. 3. 31. Sed quod praetor ait: ratum se non habiturum, quatenus accipiendum est, videamus. Et quidem aut imperfecta res est, licet metus interue-

interuenerit, vt puta, stipulationem numeratio non est secuta, aut perfecta, si post stipulationem & numeratio facta est, aut per metum accepto (lato) debitor liberatus est, vel quid simile contigerit, quod negotium perficeret. Et Pomponius scribit, in negotiis quidem perfectis et exceptionem interdum, (si metu compulsus liberauerit) et actionem competere: (si pignus dederit, si soluerit &c.) in imperfectis autem solum exceptionem. *L. 9. §. 3. b.*

DEFINITIO.

32. Pollicitatio est spontanea offerentis promissio, reipublicae, ciuitati, vel vniuersitati facta.

ANNOTATIO.

33. Sed ex facto scio, cum Campani metu cuidam illato extorsissent cautionem pollicitationis, rescriptum esse ab Imperatore nostro, posse eum a praetore in integram restitutionem postulare. (§. 27.) et praetorem me assidente interlocutum esse, vt siue actione vellet aduersus Campanos experiri, esse propositam, (in edicto quod metus causa) siue exceptione aduersus petentes, non deesse exceptionem. (§. 31.) Ex qua constitutione colligitur, vt siue perfecta siue imperfecta res sit, et actio et exceptio detur. *L. 9. §. 3. b.* Nam nuda pollicitatio rem imperfectam esse ostendit, dum solutio residua est.

OBSERVATIO.

34. Volenti autem datur et in rem actio, & in personam, rescissa acceptilatione vel alia liberatione. *L. 9. §. 4. b.* (L. 4. tit. 1. §. 16.) §. 4.

ANNOTATIO.

35. Hanc Legem Glossae versiculi memoriales inter difficiles enumerant, meruitque CUIACII curas, *Comment. ad b. l.* Quia generalis est, non obscura esse non potuit. Ait Vlpianus: *Volenti datur et in rem actio: et in sequenti §. 6. licet tamen in rem actionem dandam existimemus, quia res in bonis est eius, qui vim passus est.* E collatione horum verborum diuinando assequi poterimus, quam in rem actionem intelligat Vlpianus. Quod per metum gestum est, ob duplicem rationem vitium contraxit: alterum, quod gestio, quantumuis iure gentium et ciuili rite peracta, iure naturali tamen iniusta sit, quia consensu non penitus libero facta est, (L. 1. tit. 1. §. 59.) et obligatio vacillat: alterum vitium in ipsa re extorta est, quia quod vi vel clam acquiritur, ipso iure ciuili vitiosum est. (vid. §. 44. 47. sequ.) In re, per metum vel vim extortam, merum vitium non est, quia tradita est, quia quaedam actio eius est, qui inuitus egit, (L. 1. tit. 1. §. 60.) sed quasi vitium est, quod praetorem mouisse conicio, vt actionem proponeret, aut competentem ob perseverantiam contumaciae crescere voluerit. Jure ciuili actio in rem non dabatur, quia rite licet inique alienata erat, et quia parte vitiosa non fuerat: nec condictio sufficere videbatur, quoniam condictiones ex vitio vel quasi rei et in poenam non competunt. (L. 2. tit. 2. §. 26.) Ergo praetor in hac specie partes suas esse agnouit, vbi iuris ciuilis condictionem suppleret. Cum enim condictio sit repetitio rei ex aequitate meae, ex summo iure gestionis ob finem alterius factae, (L. 2. tit. 2. §. 26.) per ea, quae dixi, obscurum esse nequit, non competere condictionem rei metu extortae: quis enim finis eius, qui non

libere agit? Ergo praetor actionem quod metus causa in rem proposuit. Actor quadruplum petebat, quia post annum demum in sumplum agebatur (§. 69.) integrum tamen erat reo triplum purgare, si rem ante sententiam restituerat. (§. 66. 67.) Haec actio illa realis est, sua natura talis; nam secuta demum contumacia vel perseverantia in lite, poenalis facta fuit. Deinde ait textus noster: *et in personam, rescissa acceptilatione vel alia liberatione*: quae verba proposito casu aliquo facilius intelligentur. Titius mihi debet decem ex mutuo; per metum me adigit, ut Aquiliana stipulatione (L. 2. tit. 15. §. 2.) ex stipulatu ista decem deberi, efficiam, et ut per acceptilationem (L. 2. tit. 14. §. 87.) eum liberem. Iam *rescissa acceptilatione*, uti lex loquitur, redit obligatio ex stipulatu: En ergo actionem in personam? (L. 4. tit. 1. §. 18.) §. 133. infra.) Si metus causa actionem debitori meo in rem suam mandauerim vel cesserim, liberatio contingit: praetor rescindit cessionem, et redit actio cessa in debitorem. Si metu compulsus a contractu discessi, rescissa liberatione actio personalis in fideiussorem quoque refocillatur. L. 76. 95. §. 12. ff. De solut. et liberat. Adeoque laesus in rem agit, vel in personam experiri potest: ut si res non restituatur in quadruplum, creseat condemnatio. (§. 41. infra.) Hac via tenebras legis praesentis discussum iri spero: ut sequentia docent.

ARGUMENTVM.

- §. 5. 36. Iulianus libro tertio Digestorum putat, eum cui res metus causa tradita est, non solum reddere (§. 33.) verum et de dolo reprobare debere. L. 9. §. 5. b. Ne e. gr. seruo reddendo venenum praebet, et ita eum restituat, et quae similia sunt. L. 7. §. 3. ff. de dolo mal.

ARGUMENTVM.

37. Licet tamen in rem actionem (§. 34.) dandam existimemus, quia res in bonis est eius, qui vim passus est. L. 9. §. 6. b. (L. 4. tit. 1. §. 2.) ob quasi vitium res non videtur alienata.

OBSERVATIO.

38. Qui vim infert rem vitiose quaerit ab eo, cui intulit (§. 27.) non tamen proprie raptor est nec fur, L. 14. §. 13. ff. h. t. quia laesus gessit, dedit, licet coactus. Ad similitudinem tamen furis, cum et cogens sciret, rem inuito auferri, actio in quadruplum a praetore proposita fuit. L. 14. §. 1. ff. h. t.

POSITIO.

- §. 6. 39. Textus ita pergit: verum non sine ratione dicetur, si in quadruplum quis egerit, finiri in rem actionem vel contra. L. 9. §. 6. b.

PROBATIO.

Quando quis restitutionem in integrum intendit, indemnitas praestari vult; (L. 2. tit. 8. §. 36.) quod autem in actione reali indemnitas sit, qui quadruplum consequitur, satis apertum est (§. 35.) Ergo in actione ad quadruplum res inest, et ad idem aduersus eundem vtraque tendit. Quoniam electivae tantum competunt, quae ad idem tendunt aduersus eundem (L. 3. tit. 5. §. 31.) ideo per actionem in quadruplum ob metum et vim actio in rem consumitur vel finitur.

Qui rem tantum persequitur iniuriam dimittit; nam haec actio praetoria praeter ius gentium et civile data, restringitur. (L. I. tit. I. §. 243.) Exinde in rem actio consumit actionem in quadruplum.

ANNOTATIO.

40. Equidem actio furti non perimit conditionem furtivam, nec rei vindicationem. Hae autem omnes ex iure civili competunt, paremque interpretationem non recipiunt: et actio furti mere poenalis est, quae rem non continet.

ARGUMENTVM.

41. Ex hoc edicto restitutio (talis) facienda est (id est) in integrum officio iudicis (nobili L. 2. tit. 8. §. 79.) ut si per vim res tradita est, retradatur, et de dolo (sicut dictum est) repromittatur, ne forte deterior res sit facta, (§. 36.) Et si acceptilatione liberatio interuenit, restituenda erit in pristinum statum obligatio. (L. 4. tit. I. §. 16.) vsque adeo, ut Iulianus scribat libro quarto (digestorum) si pecunia debita fuit, quae accepta per vim facta est, nisi vel solvatur, vel restituta (per praetorem) obligatione, iudicium accipiatur, quadruplo eum condemnandum. L. 9. §. 7. b. §. 36.)

§. 7.

ANNOTATIO.

42. Quoniam is, qui vim infert parum a raptore distat eiusque insignis dolus est, quod iniuriam per gestionem velare cupiat: praetor ob similitudinem delicti quadrupli poenam statuit. (§. 38.)

ARGUMENTVM.

43. Sed et si per vim stipulanti promisero, stipulatio accepto facienda erit. Sed et si ususfructus vel seruitutes amissae sunt, restituendae erunt. L. 9. §. 7. b. (§. 35.)

OBSERVATIO.

44. Quemadmodum occupatio rem ipsam occupatam afficit, et qualitatem ipsi infert, qua propria fit, (L. I. tit. I. §. 182.) ita vis et per metum facta extorsio rem qualem efficit, ita ut rapta, furtiva, per metum ablata, fiat, quae qualitas rem ad omnem possessorem comitatur. Adeo ipse modus occupationis rei occupatae qualitatem superinducit, ut inde vel iuste vel iniuste acquisita sit. Igitur obcurum non est, cur ius civile bonam fidem tantum in acquisitionis initio spectet, ad reliquum vero possessionis tempus non attendat. Sufficit enim in facto acquisitionis, rem nullo vitio affici, qualitatem improbam ei non adspergi. Si postea possessor resciverit rem alienam esse, ipsi rei nihil vitii infert, quod in solo acquisitionis facto et modo accidere potest: res per cognitionem solam, quod alterius sit, neque furtiva, neque rapta, neque vi metuae adempta fit; factum acquirentis, rapientis, auferentis, extorquentis, vel ex aduerso probe occupantis, accipientis, requiritur, quo res singulariter deueniat affecta.

DEFINITIO.

45. Actio realis est postulatio ex iure reali competens ei, cuius commoda res certa qualitate affecta est, contra omnem possessorem.

DEFI-

DEFINITIO.

46. Actio personalis est postulatio ex obligatione personali competens ad satisfactionem eius, quod personaliter debetur.

DEFINITIO.

47. Actio in rem scripta est, quam praetor edicti verbis in rem conceptis proposuit, ad persequendam rem facto tertii, quasi cum vitio quaesitam.

ANNOTATIO.

48. Leges XII. Tabb. in res vitio quaesitas aeternam auctoritatem et perfectionem tribuerunt. Praetor alias edixit: *animaduertam*. Quando factum erat, ut quis iudicio minus staret, iniecta grauioris impedimenti fide, (L. 2. tit. 10. §. 3.) vis quaedam esse videbatur: item, quando res iudicii mutandi causa alienata est, clam factum fuit, ut conditio actoris in persequendo deterior sit: Furtum, rem ablatam vitio afficit iure ciuili: ob rem iure gentium furi quaesitam (L. 2. tit. 13. §. 104.) quasi vitium subest: ideo conditio furtiua est rei persecutoria, item actio de receptis et rerum amotarum, quibus cum furto similitudo est. In metu vis est, dolus clam committitur: ideo actiones ex metu vel dolo gestis, aliaeque multae, rei persecutionem habent. Quod metus causa quaesitum est, scelere quaesitum, diserte proditur. L. 16. §. 2. ff. *Quod. met. causa*. Rebus ita quaesitis quasi vitium inuritur. *Add. l. 35. pr. ff. de Obl. et Act.* Habemus quasi contractus et quasi delicta: res quasi vitiosas haecenus ignoratas, me restituisse mihi videor.

ANNOTATIO.

49. Stricto iure id meum non est, quod alteri tradidi, et traditionem summo iure tenere necesse est. Sed naturalis aequitas vult, ut quod non libero consensu, sed violentia coactus tradidi, meum adhuc sit. Cum ergo praetor hanc actionem realem efficere non potuerit, aut Iureconsulti hoc nomen incongruum iudicarent, actio in rem scripta nominata est, ex edicti conceptis verbis. Quid sibi de hac actione alii imaginati sint, perstringere opus non est. Actio ex metu interdum sola iura et liberationes persequitur, quorum vindicatio non est, unde vel ideo in rem scripta dici debuit.

ARGUMENTVM.

§. 8. 50. Cum autem haec actio in rem sit scripta, nec personam vim facientis coerceat, sed aduersus omnes restitui velit, quod metus causa factum est: non immerito Iulianus a Marcello notatus est scribens: si fideiussor vim intulit, ut accepto liberetur, in reum (principalem) non esse restituendam actionem, sed fideiussorem, nisi aduersus reum quoque actionem restituat, debere in quadruplum condemnari. (tanquam contumacem) sed est verius, quod Marcellus notat, etiam aduersus reum competere hanc actionem, cum in rem sit scripta. L. 9. §. 8. b.

ANNOTATIO.

51. Quando fideiussor liberatur per acceptilationem, ipsum debitum solutum accipitur, et ratione quadam creditori per fideiussorem satisfactum videtur: (L. 2. tit. 14. §. 87.) ergo etiam reus liberatus esse intelligitur. Hoc facto fideiussoris euenit, propterea tenetur restituere quod abstulit, ne facti lucro gaudeat.

(L. 3.

(L. 3. tit. 1. §. 66.) Aliud esset, si pacto de non petendo fideiussori liberatio facta fuerit.

ARGVMENTVM.

52. Illud verum est, si ex facto debitoris metum adhibentis fideiussores acceptilatione liberati sunt, etiam aduersus fideiussores agi posse, vt se reponant in obligationem. *L. 10. pr. b.* Nam acceptilatio obligationem soluit: (§. 51.) Restitutio autem omnem pristinum rei statum reuocat. (L. 2. tit. 8. §. 36.)

Caius L. 4. ad Ed. prou. L. 10. pr.

ARGVMENTVM.

53. Si metu a te coactus acceptam tibi stipulationem fecerim: arbitrato iudicis, apud quem ex hoc edicto agitur, non solum illud continetur, vt in tua persona redintegretur obligatio, sed vt fideiussores quoque vel eosdem vel alios, non minus idoneos, adhibeas: (quia sufficit fideiussionem restitui) praeterea vt et pignora quae dederas, in eandem causam restituas. *L. 10. §. 1. b. (§. 52.)*

§. 1.

ARGVMENTVM.

54. Si quis alius sine malitia fideiussoris, vt fideiussori accepto fieret, vim fecit: (creditori) non tenebitur fideiussor, vt (principalis) rei quoque obligationem restituat. *L. 11. b.* quia fideiussor nec ipse nec per alium fecit. (L. 1. tit. 1. §. 53.) ex ratione oppositorum (§. 51.)

Paul. L. 4. Dig. L. 11.

ARGVMENTVM.

55. Actio quae ob metum datur, ab abolitionem gestionis nociuae et omnis eius effectus tendit, quasi nunquam fuisse. (L. 2. tit. 8. §. 36.) ideo non tantum corpus rei ablatæ, sed et partus ancillarum et foetus pecorum et fructus restitui, et omnem causam oportet: nec solum eos qui percepti sunt, verum si plus ego percipere potui, et per metum impeditus sum, hoc quoque praestabit. *L. 12. pr. b.*

Vlp. L. 11. ad Ed. L. 12. pr.

POSITIO.

56. Quaeri poterit, an etiam ei, qui vim fecerat, passo vim, (vt redderet, quod vi extorserat,) restitui praetor velit per hoc edictum, ea quae (per vim defensiuam vel talionis) alienauit; et Pomponius scribit libro vicensimo octauo: non oportere ei praetorem opem ferre. *L. 12. §. 1. b.*

§. 1.

PROBATIO.

Qui per vim extorquet, et per vim restituere cogitur, vim iustam patitur, quippe quam in alio redarguere nequit, qua ipse vt iusta vsus est. (L. 1. tit. 7. §. 92.) atque ideo non laeditur. (§. 3.) non autem in integrum restituitur, qui laesus non est, (L. 2. tit. 8. §. 36.) Ergo praetor ei non succurrit, qui per vim extorsit, et iterum per vim restituere coactus est.

ANNOTATIO.

57. Nam cum liceat, inquit, vim vi repellere, (L. 1. tit. 1. §. 91.) quod fecit, passus est. *L. 12. §. 1. b.* et quod in alium iustum statuit, in se iniustum reputare non potest. (L. 2. tit. 2. §. 2.)

ARGUMENTVM.

58. Quare, si metu te coëgit tibi promittere, mox ego eum coëgero metu, te accepto liberare: nihil esse quod ei restituatur. *L. 12. §. 1. b. (§. 56.)*

ARGUMENTVM.

§. 2. 59. Iulianus ait: eum, qui vim adhibuit debitori suo, vt ei solueret, hoc edicto non teneri, propter naturam metus causa actionis, quae damnum exigit. *L. 12. §. 2. b. (L. 2. tit. 8. §. 36.) nisi plus debito exegerit. (§. III. infra.)*

DEFINITIO.

60. Vis publica est factum violentum, quo libertas populi Romani laeditur.

ANNOTATIO.

61. Hoc delictum Lex Iulia coërcet, quae a Iulio Octauio Augusto Caesare lata fuit.

REGVLA.

62. Aequum est eum ius actionis amittere, qui via facti vitur.

ARGUMENTVM.

63. Quamuis negari non possit, in Iuliam eum de vi incidisse, et ius crediti amisisse. *L. 12. §. 2. b.* Nam qui ciui Romano vim infert, libertatem populi Romani inuasisse creditur. (§. 60. 62.)

ANNOTATIO.

*Callistr. L. 5.
de Cogn.
L. 13.*

64. Extat enim Decretum Diui Marci in haec verba: Optimum est, vt si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris, cum Marcianus dixerit, vim nullam feci, Caesar dixit: tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? vis est et tunc, quoties quis id, quod sibi deberi putat, non per iudicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem vllam debitoris vel pecuniam (debitam) non ab ipso sibi sponte datam, sine vlllo iudice temere possidere vel accepisse, isque sibi ius in eam rem dixisse, ius crediti non habebit. *L. 13. b.*

ARGUMENTVM.

*Vlp. L. 21.
ad Ed.
L. 14. pr.*

65. (Item) Si cum exceptione aduersus te perpetua tutus essem, coëgero te acceptum mihi facere, cessare hoc edictum: quia nihil tibi abest. *L. 14. pr. b.* Non enim restituitur, qui captus non est. (*L. 2. tit. 8. §. 36.*)

OBSERVATIO.

§. 1. 66. Si quis non restituat, in quadruplum in eum iudicium pollicetur. Quadruplabitur autem omne, quodcunque restitui oportuit. *L. 14. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

67. Satis clementer cum reo praetor egit, vt daret ei restituendi facultatem vsque ad sententiam. (*L. 14. §. 4. ff. h. tit.*) si vult poenam euitare. *L. 14. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

68. Per *legem 9. §. 4. et 6. h. r.* probatur, electionem actionis actoris fuisse, vt quadrupli actione in personam instituta realis finita sit, hac autem electa personalis fuerit consueta. Euincitur autem per textum praesentem, quod satisfactionis electio penes reum steterit; igitur electio rei electionem actoris infirmavit, et aliquando actionis non alternatiuae satisfactio alternatiua datur.

OBSERVATIO.

69. Post annum vero in simplum actionem pollicetur; (Nam actio praeter ius civile et gentium data, restrictiue competit: (L. 1. tit. 1. §. 243.) praesertim quia gestioem rite peractam rescindit.) sed non semper, sed causa cognita. L. 14. §. 1. h.

ANNOTATIO.

70. Regulariter actiones praetoriae annuae erant. (L. 2. tit. 4. §. 103.) post annum ergo haec difficulter data est, non nisi causa cognita, vt, quando actio finita est. (L. 3. tit. 6. §. 26.)

ARGUMENTVM.

71. In causae autem cognitione versatur, vt si (alia) actio non sit, tunc haec detur. (Restitutoria enim est remedium subsidiarium. (L. 2. tit. 10. §. 16.) Et sane, cum per metum facta iniuria, anno, et quidem utili (L. 3. tit. 6. §. 31.) exoleuerit: idonea esse causa debet, vt post annum actio haec (in simplum) dari debeat. L. 14. §. 2. h.

ANNOTATIO.

72. Alia autem actio esse sic potest. Si is, cui vis admissa est, decesserit, haeres eius habet haereditatis petitionem, quoniam pro possessore, qui vim intulit, possidet, propter quod haeredi non erit metus causa actio. L. 14. §. 2. h. (L. 2. tit. 8. §. 75.)

DEFINITIO.

73. Pro possessore possidet, qui titulum possessionis suae ipsam possessionem allegat.

ARGUMENTVM.

74. Quamuis, si annus largiretur, (si annus nondum exiisset defuncto) etiam haeres in quadruplum experiri posset, (ex iure et persona defuncti. (L. 1. tit. 7. §. 75.) Ideo autem successoribus datur, quoniam et rei habet persecutionem. L. 14. §. 2. h. (L. 2. tit. 3. §. 26.)

ANNOTATIO.

75. Dolus defuncti haeredi non imputatur: (L. 2. tit. 3. §. 25.) hic ergo ex vicio reali tenetur. (lb. 26.)

ARGUMENTVM.

76. In hac actione non quaeritur, vtrum is qui conuenitur, an alius metum fecit: sufficit enim hoc dicere, metum sibi illatum vel vim, et in hac re eum, qui conuenitur, etsi crimine caret, lucrum tamen sensisse. L. 14. §. 3. h. iterum ob rei qualitatem (§. 44.) quae vi edicti quadruplatur, ex contumacia vel potius perseverantia.

ARGUMENTVM.

77. Nam cum metus in se habeat ignorantiam, (quando ignorat vim passus, quis ille sit, qui vim intulit) merito quis non adstringitur, vt desinet, quis ei metum vel vim adhibeat. (Sufficit rem per metum vel vim et contumaciam quadruplicari) et ideo ad hoc tantum actor adstringitur, vt doceat, metum in causa fuisse, vt alicui acceptam pecuniam faceret, vel rem traderet, vel quid aliud faceret. *L. 14. §. 3. b.*

ARGUMENTVM.

78. Nec cuiquam iniquum videtur, ex alieno facto alium in quadruplum condemnari, quia non statim quadrupli est actio, sed si res (per eum a quo petitur) non restituatur. *L. 14. §. 3. b.* Tum enim sibi appropriat factum alienum tanquam suum. (*L. I. tit. I. §. 37. 56.*) cum electione poenam effugere potuisset. (*§. 76.*)

DEFINITIO.

79. Actio arbitraria est persecutio satisfactionis incertae, (*L. 2. tit. 3. §. 15.*) contra nocentem, arbitrio iudicis ad certam reducenda: *L. 18. pr. ff. de dolo malo*, nisi res restituatur.

ANNOTATIO.

80. Respectu actionum huius naturae iudices arbitri dicti sunt. *L. 24. ff. De pos. L. 2. C. de inoffic. don. L. 15. pr. ff. De re iudic.* CICERO *pro Roscio*, p. 228: *Iudicium est pecuniae certae, arbitrium incertae. Ad iudicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum quantum postulauimus, consequamur.* Damnum autem incertum fit: e. gr. seruum corrumpendo, fugitiuum recipiendo, seruitutem non vsu negligendo et amittendo.

ARGUMENTVM.

§. 4. 81. Haec autem actio, cum arbitraria sit, habet reus licentiam vsque ad sententiam ab arbitro datam, restitutionem, secundum quod supra diximus, (sub repromissione de dolo (*§. 36.*) rei facere: quod si non fecerit, iure meritoque quadrupli condemnationem patietur. *L. 14. §. 4. b.* Nam reo ad sententiam vsque poenitendi et restituendi facultate concessa, obiectum actionis quasi adhuc ambulat, et expectatur renitentis consummatus dolus.

ARGUMENTVM.

§. 5. 82. Aliquando tamen, et si metus adhibitus proponatur, arbitrium absolutionem adfert. Quid enim, si metum quidem Titius adhibuit, me non conscio, (non meo mandatu, ope vel consilio) res autem ad me peruenit, et haec in rebus humanis non est, sine dolo malo meo: nonne iudicis officio absoluar? *L. 14. §. 5. b.* Cum enim actio metus causa realis sit (*§. 37.*) res autem interierit ad impossibile non obligor. (*L. I. tit. I. §. 204.*)

ANNOTATIO.

83. Neceffe habuit ICTus excipere scientiam, ne reus per alium fecisse videretur, (L. 1. tit. 1. §. 40.) et sine dolo rei rem interiisse, ne pro possessore habeatur. (L. 2. tit. 9. §. 10.)

ARGVMENTVM.

84. Aut si seruus in fuga est, acque si cauero, (L. 2. tit. 13. §. 7.) iudicis officio me, si in meam potestatem peruenerit, restitutorum, absolui debebo. L. 14. §. 5. b.

ANNOTATIO.

85. Vnde quidam putant bona fide emtorem ab eo, qui vim intulit, comparantem, non teneri: nec eum qui dono accepit, vel cui res legata est. L. 14. §. 5. b.

ANNOTATIO.

86. Argumentum a re, interitu fortuito, non culpa informato peremta, ad rem existentem amissam non procedit. Dominus ius suum in seruo fugituo retinet, quia furtiuo similis est: L. 1. C. De seru. fugit. Si simpliciter absolueretur dominus lucrum facti et gestionis vitiosae ipsi concederetur in damnum laesi: si condemnaretur, ad impossibile obligaretur. Cautio autem extrema haec vitiosa temperat.

ARGVMENTVM.

87. Sed rectissime Viuiano videtur, etiam hos teneri, ne metus, quem passus sum, mihi captiosus sit; (nam vitium rem comitatur, dum res existit. §. 27.) Pedius quoque libro octauo scribit, arbitrium iudicis in restituenda re tale esse, vt eum, qui vim admisit, iubeat restituere, etiam si ad alium res peruenerit: (est enim fictus possessor, quia ne in rem conueniatur, dolose alienauit, (L. 2. tit. 9. §. 10.) eum autem, ad quem peruenerit, etiam si alius metum fecit: (quoniam in rem est actio) nam in alterius praemium verti alienum metum non oportet. L. 14. §. 5. b. id est: ex gestione vitiosa nemo acquirere potest. §. 48.)

ARGVMENTVM.

88. Labeo ait: si quis per metum reus fit constitutus, et fideiussorem volentem dederit, et ipse et fideiussor liberatur. L. 14. §. 6. b. Fideiussor in conditionem debiti succedit, (L. 2. tit. 2. §. 16.) quo sublato nihil est, cur fideiussor teneatur. §. 6.

ANNOTATIO.

89. Accusationum ordo fere is fuit. Accusator nomen rei deferebat, nomen suum subscribebat libello delationis. L. 3. pr. et 7. pr. ff. de Accusat. Nomen rei recipiebatur, et ita inter reos referebatur, tabula receptionis publice in aerario suspensa: SVETON. in Domit. cap. 9. Dicebatur dies postulationis ad quem se reus sisteret caussam acturus: qua die reo comparente spatium defensionis perendinum petebat, et quod stiturus fuerit, vades siue fideiussores dabat. RAEVARDVS Protrib. cap. 9. Quodsi ergo vel ipse praetor Quaestionis vel actor,

fi hoc fieri potuit, per metum compellerent, vt quis reum se constitueret, tam ipse quam fideiussor restituebatur ob metum illatum.

ARGUMENTVM.

90. Si solus fideiussor metu accessit, non etiam reus, solus fideiussor liberabitur. *L. 14. §. 6.* Nam principalis debitor fideiussori non succedit in obligationis qualitatem.

ARGUMENTVM.

§. 7. 91. Quadruplatur autem id, quanti ea res erit, (id est) cum fructibus et omni causa. *L. 14. §. 7. b.* Restitutio enim indemnem præstare debet læsum. (*L. 2. tit. 8. §. 36.*)

ARGUMENTVM.

§. 8. 92. Tam in publicis quam priuatis iudiciis metus attendi debet. Ergo, si quis per vim (iudicio) sisti promittendo, postea fideiussorem adhibeat, is quoque liberatur. *L. 14. §. 8. b. (§. 88.)*

ARGUMENTVM.

§. 9. 93. Sed et si quis per vim stipulatus, (ab aliquo) cum acceptum non faceret, (iudicio metus causa conuentus, cuique adeo promissorem ex arbitrio iudicis non liberasset) fuerit in quadruplum condemnatus, ex stipulatu eum agentem, aduersus exceptionem replicatione adiuuari, Iulianus putat: cum in quadruplo et simplicium reus sit consecutus. *L. 14. §. 9. b. (§. 35. in f.)*

ANNOTATIO.

94. Titius per vim a Caio stipulatur centum. Caius restituitur in integrum, et Titius condemnatur in quadruplum: Quia Titius per contumaciam accepta non fecit centum, quasi stipulationis debito adhuc subsistente, petit ex stipulatu ea Centum a Caio. Excipit Caius de dolo: replicat Titius de dolo, quia in quadruplo simplicium quod petitur, stipulator, qui in textu reus stipulandi dicitur, accipit.

ARGUMENTVM.

95. Apparet inde sententia Iuliani, quod gestionem, licet metu factam, alia violentia rescindi noluerit: sed reo optionem permiserit, an rem restituere, an vero retenta re quadruplum soluere, atque adeo rem quadruplo redimere malit. In præsentis specie secundum Iulianum Titius validitatem stipulationis quadruplo redemit, cuius damnum Titii fuisset, nisi actio ex stipulatu ipsi adhuc superesset, propterea hic adiuuari debet replicatione, et opinor ipsi competere facultatem deducendi, ex Iuliani quidem sententia.

ARGUMENTVM.

96. Labeo autem, etiam post quadruplicationem nihilominus exceptione submouendum eum, qui vim intulit, dicebat: quia nemo doli sui fructum capere debet. (*L. 1. tit. 7. §. 136.*) quod cum durum videbatur, ita temperandum est, vt tam tripli condemnatione plectatur, quam acceptilationem omnimodo facere compellatur. *L. 9. §. 9. b.*

OBSERVATIO.

97. Quatenus autem diximus, quadruplo simplum inesse, sic hoc disponendum est, ut in condemnatione quadrupli res quidem omnimodo contineatur, et eius restitutio fiat, poenae autem usque ad triplum stetur. *L. 14. §. 10. b.* Tum si quadruplum restituerat, corpus rei metu extortae sibi quaerebat. (§. 95.) §. 10.

ARGUMENTVM.

98. Quid si homo sine dolo malo et culpa eius, qui vim intulit, et condemnatus est, perit? In hoc casu a rei condemnatione (simplo vno in quadruplo contento, quod rem repraesentat) ideo relaxabitur, si intra tempora iudicati actionis (rei iudicatae) moriatur, (quoniam intra hoc spatium iure electionis bene vitur, mortem nondum committit, si alias culpa vacat, quod interierit, et ad exhibendum hominem adigi non potest, (L. 2. tit. 7. §. 12.) quia (tantum) tripli poena propter facinus (metus illati) satisfacere cogitur. *L. 14. §. 11. b.* (§. 97. 82.) §. 11.

ARGUMENTVM.

99. Pro eo autem, qui in fuga esse dicitur, cautio ab eo extorquenda est: quatenus et persequatur, et omnimodo eum restituat, et nihilominus in rem (§. 34.) vel ad exhibendum, (si culpa rei non comparet, (L. 2. tit. 7. §. 12.) vel si qua alia ei competit actio ad rem recipiendam, integra ei, qui vim passus est, servabitur. *L. 14. §. 11. b.* A tripli tamen condemnatione non relaxatur, si intra tempora rei iudicatae fugit. (§. 98.) nam vim intulit, et rem non restituit.

ARGUMENTVM.

100. Ita ut si dominus (cui cautum est) eum quoquo modo receperit, is qui ex stipulatione convenitur, (doli vel in factum) exceptione tutus fiat. *L. 34. §. 11. b.* (L. 2. tit. 10. §. 5.)

ARGUMENTVM.

101. Haec si post condemnationem, si autem ante sententiam homo sine dolo malo et culpa mortuus fuerit, (nihilominus et tunc in triplum) tenebitur, et hoc fit his verbis edicti: Neque ea res arbitrio iudicis restituetur *L. 14. §. 11. b.* Non enim restituit ex arbitri sententia, quam expectavit. (§. 98.)

ARGUMENTVM.

102. Quod si ergo impossibilitas restituendi rerum a quadrupli praestatione non profus liberet, quia in rerum natura fugitivus adhuc esse speratur; Ergo si in fuga sit servus sine dolo malo, et culpa eius, cum quo agetur, cavendum est per iudicem, ut eum servum persecutus reddat. *L. 14. §. 11. b.* (§. 99.)

ARGUMENTVM.

103. Anne ergo, qui culpa vacat, propterea excusabitur a restitutione? Respondetur: Sed et si non culpa ab eo quocum agitur, aberit, (tam morte, quam

quam fuga, aliaue ratione) si tamen peritura res non fuit, si metum non adhibuisset, tenebitur reus, sicut in interdicto: Vnde vi: vel: Quod vi aut clam: obseruatur: (in quibus res ipsa cum omni causa et interesse restituenda est, §. 22.) L. 3. tit. 3. §. 235.) Siquidem casum praestat, qui eum informat. L. 1. tit. 1. §. 84.

A N N O T A T I O.

104. Cuiusmodi negationem abundare adserit, et legendum censet; sed et si culpa ab eo, quo cum agitur, aberit, quam correctionem falsam puto; sufficit enim, quod metum intulerit, quo rem in eas adduxit circumstantias, ex quibus perit.

A R G V M E N T V M.

105. Itaque interdum hominis (mortui) pretium recipit, qui eum venditurus fuit, si vim passus non esset. L. 14. §. 11. b. Nam res venalis magis pretium, quam corpus est.

A N N O T A T I O.

§. 12. 106. Qui vim intulit, cum possessionem a me sit consecutus, fur non est, (L. 2. tit. 14. §. 67.) quamuis qui rapuit fur improbior esse videatur, ut Iuliano placet. L. 14. §. 12. b.

D E F I N I T I O.

107. Actio de dolo est remedium contra gestionem dolo elicitam, vel aliam turpem lucri acquisitionem per modum in integrum restitutionis praestitum. L. 3. §. 2. ff. si mensor falsum mod. dix.

A R G V M E N T V M.

108. Ergo actio de dolo famosa est. (L. 3. tit. 2. §. 1. 2.)

A R G V M E N T V M.

109. Igitur in subsidium saltem competit. (L. 1. tit. 1. §. 244.) L. 4. tit. 1. §. 14.)

A R G V M E N T V M.

§. 13. 110. Eum, qui metum fecit, et de dolo teneri certum est. (L. 1. tit. 1. §. 68.) (et ita Pomponius) et consumi alteram actionem per alteram, exceptione in factum opposita. L. 14. §. 13. b. (L. 2. tit. 10. §. 5.) Tendit enim actio metus causa, et de dolo ad idem (L. 3. tit. 5. §. 31.)

A N N O T A T I O.

§. 14. 111. Iulianus ait: quod interest (quod in damno est) quadruplari solum (§. 66. 91.) et ideo eum, qui ex causa fidei commissi quadraginta debebat, si trecenta promiserit per vim, et soluerit, (detractis quadraginta, quae iuste debebat, ad quae edictum non pertinet) ducentorum sexaginta quadruplum consecuturum: in his enim cum effectu (iniuriarum) vim passus est. L. 14. §. 14. b. quanti vero interfuerit, iuramento in litem definiebatur. L. 18. pr. ff. De dolo malo, ideo, quia dolus est, alii metum inferre (§. 110.) L. 2. tit. 7. §. 25.)

A R G V M E N T V M.

§. 15. 112. Secundum haec, si plures metum adhibuerint, et vnus fuerit conuentus, si quidem sponte rem ante sententiam, restituerit, omnes liberati

berati sunt. Sed et si id non fecerit, sed ex sententia quadruplum restituerit, verius est, etiam sic perimi aduersus caeteros metus causa actionem. *L. 14. §. 15. b.* Praetor. hanc actionem in rem scripsit, et interesse priuatam, solummodo quadruplo vel potius triplo vindicat: quare non facta numerantur, sed effectus, atque vnus soluens reliquos liberat. (*L. 2. tit. 1. §. 38.*)

ARGVMENTVM.

113. Aut in id dabitur aduersus caeteros actio, quod minus ab alio exactum sit. *L. 15. b.* qui soluendo non fuit. Restitui enim debet laesus secundum edictum. *Paul. L. 11. ad Ed. L. 15.*

ARGVMENTVM.

114. Quod diximus: si plures metum admiserunt, idem dicendum erit, si ad alium res peruenit, alter metum adhibuit. *L. 16. pr. b. §. 76. sequ.* *Vlp. L. 11. ad Ed. L. 16. pr.*

ARGVMENTVM.

115. Sed si serui metum adhibuerint, (non patiente domino) noxalis quidem actio ipsorum nomine erit: (*L. 2. tit. 1. §. 35.*) poterit autem quis dominum, ad quem res peruenit, conuenire, qui conuentus, siue rem, siue (secundum quod iam dictum est) quadruplum praestiterit, proderit et seruis. *L. 16. §. 1. b. (§. 112.)* §. 1.

POSITIO.

116. Si vero noxali conuentus, maluerit noxae dedere, nihilominus ipse poterit conueniri, si ad eum res peruenit. *L. 16. §. 1. b.*

PROBATIO.

Actio noxalis lucrum facti et damnum iniuriae tantum persequitur, (*L. 2. tit. 1. §. 35.*) et qui noxae dat seruos, rem non restituit. Tenetur autem ob metum et iste, qui rem tenet, (§. 114.) Itaque dominus, si ad eum res peruenit etiam si seruos dedisset, conueniri potest.

ARGVMENTVM.

117. Haec actio haeredi caeterisque successoribus datur, quoniam rei habet persecutionem. *L. 16. §. 2. b. (L. 2. tit. 3. §. 26. (§. 74.))* §. 2.

ARGVMENTVM.

118. In haerem autem et caeteros in id, quod peruenit ad eos, datur non immerito: licet enim poena ad haerem non transeat, attamen quod turpiter vel scelere (§. 48.) quaesitum est, (vt et est rescriptum) ad compendium haeredis non debet pertinere. *L. 16. §. 2. b. (L. 3. tit. 6. §. 21.)*

POSITIO.

119. Videamus ergo, si haeres, ad quem aliquid peruenit, consumserit id quod peruenit, (in pecuniam vel aliud lucrum haeredis versa) desinat teneri; an vero sufficit, semel peruenisse, et si consumto eo desecerit, vtrum aduersus haerem eius omnimodo competit actio, quoniam haereditariam suscepit obligationem: annon sit danda, quoniam ad secundum haerem nihil peruenit; Et melius est omnimodo competere *Paul. L. 1. Quaest. L. 17.*

petere in haeredem haereditatis actionem: sufficit enim, semel peruenisse ad proximum haeredem, et perpetua actio esse coepit. Alioquin dicendum erit, nec ipsum qui consumpsit, quod ad eum peruenit, teneri. *L. 17. b.*

P R O B A T I O.

Actio, quod metus causa oritur ex facto, quo alterius bona minuuntur: (§. 59.) evidens ergo est, quod causam bonorum habeat, unde ad haeredem transit, (*L. 2. tit. 3. §. 26.*) et perpetua est, (*L. 3. tit. 5. §. 82.*) et quoniam haeres interitu rei fortuito liberatus non fuit, (§. 82.) tam in ipsum, quam haeredem suum, (*L. 1. tit. 7. §. 75.*) haec actio datur.

A N N O T A T I O.

120. Perpetua actio est in simplicium (§. 69.) nempe lucrum, quia sola res metu erepta qualitatem vitiosam induit, et facto violento quadruplatur, (§. 91.) *Add. §. 74.*

A R G V M E N T V M.

Iul. L. 74. Dig. L. 18. 121. Si ipsa res, quae ad alium peruenit, interiit, non esse locupletiore dicemus. Sin vero in pecuniam aliamue rem conuersa sit, nihil amplius quaerendum est, quis exitus sit, sed omnimodo locuples factus videtur, licet postea deperdat. Nam et Imperator Titus Antoninus, Claudio Frontino de pretiis rerum haereditariarum rescripsit, ob id ipsum peti ab eo haereditatem posse, quia licet res, quae in haereditate fuerunt, apud eum non sint, tamen pretium earum, (quo) locupletem eum, vel saepius mutata specie faciendo perinde obligat, ac si corpora ipsa in eadem specie mansissent. *L. 18. b.* Pretium vel fructum speciei percipiens, lucrum rei capit, si conscius est. (*L. 1. tit. 1. §. 220.*)

A R G V M E N T V M.

Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 19. 122. Quod autem in haeredem eatenus pollicetur actionem proconsul (provinciae) quatenus ad eum peruenit, intelligendum est, ad perpetuo dandam actionem pertinere. *L. 19. b.* (§. 119. 120.) nempe in simplicium. (§. 120.)

A R G V M E N T V M.

Vlp. L. 11. ad Ed. L. 11. 123. Dum haeres haereditatem adit, nondum inique lucrificat, quia haereditatis iure acquisiuisse videtur, sed tempore litis contestatae gestionem vitiosam sibi applicat, facitque suam. (§. 78.) Contradicit petitori, superuenit suspicio rei alienae, (vid. *L. 4. tit. 4. §. 180. infra.*) unde contradictione sua propositum lucrificandi declarat, et ex isto tempore quantitas eius, quod peruenit, aestimatur. Hinc Vlpianus ait: Quantum autem ad haeredem peruenit, litis contestatae tempore spectabitur, si modo certum sit aliquid peruenisse. Idem (tempus) et ipsius (spectatur) qui vim intulit, (si) sic in corpus patrimonii peruenit aliquid, ut certum sit ad haeredem peruenturum: (tum pars patrimonii factum est, ex quo auctius euasit, (*L. 3. tit. 5. §. 14.*) id est, si debitor liberatus est. *L. 20. b.* Metu aliquem compulit defunctus, ut se liberaret: Lucrum haereditatis iacentis interim est: quod si haeres metus causa conuentus litem conteste-

testetur, ex hoc tempore, quod peruenit ad haeredem, computabitur. Hinc vsu-
rae a tempore aditae haereditatis vsque ad litis contestationem non quadruplantur.*

ARGVMENTVM.

124. Si mulier contra patronum suum ingrata facta, sciens se ingra-*Paul. L. n.*
tam, cum de suo statu periclitabatur, (§. 14.) aliquid patrono dederit, *ad Ed.*
vel promiserit, ne in seruitutem redigatur, cessat edictum, quia hunc *L. 21. pr.*
sibi metum ipsa infert. *L. 21. pr. h. (L. 1. tit. 1. §. 84.)*

ANNOTATIO.

125. Quod metus causa gestum erit, nullo tempore praetor ratum §. 1.
habebit. *L. 21. §. 1. h.* Aliud enim verba edicti generalia non ferunt, nec quod
natura sua reprobatum est, aliquo tempore probari potest.

ARGVMENTVM.

126. Qui possessionem non sui fundi tradidit, non quanti fundus, §. 2.
sed quanti possessio est eius, quadruplum, vel simplum (post annum)
cum fructibus (§. 55.) consequetur. Aestimabitur enim, quod restitui
oportet, id est, quod abest: abest autem nuda possessio cum suis fructi-
bus, quod et Pomponius. *L. 21. §. 2. h.* Nam sola possessio ob metum amissa
fuit, nec amplius quid tradi potuit a nudo possessore. (*L. 1. tit. 19. §. 2.*)

REGVLA.

127. Nihil nasci potest ex sui contradictorio.

POSITIO.

128. Si dos metu promissa sit, non puto nasci obligationem, quia §. 3.
est verissimum, nec talem obligationem dotis ullam esse. *L. 21. §. 3. h.*

PROBATIO.

Certum est, quod dotis promissio magis pietatis vel officiositatis quam gestio-
nis sit, et quidem sua natura (*L. 1. tit. 1. §. 165.*) quippe quae absque interrogatione spon-
te fiebat. Quia vero nihil ex sui contradictorio oriri potest (§. 127.) atque ex
actu gestionem non producente obligatio nulla oriatur. (*L. 1. tit. 1. §. 202. 196.*) Igi-
tur, si dos metu promissa sit, non nascitur obligatio.

ARGVMENTVM.

129. Quoniam ex coacta dotis promissione nulla obligatio, nulla gestio est,
restitutione, quod metus causa gestum sit, opus non est. (*L. 2. tit. 12. §. 8.*) Nam
nulla praecedebat interrogatio. *TERENTIUS Andria Actus. Sc. 4. v. 47.*

Dos est, Pamphile,

Decem talenta.

Dictio dotis etiam sine praecua interrogatione procedebat: *CAIVS L. 2.*
Instit. tit. 9. §. 4. sed haec obligatio civilis erat, in patre, vxore, vel eius debitore,
(*L. 2. tit. 14. §. 24.*) a nuda promissione probe distinguenda. *CAIVS l. c.*

OBSERVATIO.

130. Si metu coactus sim ab emtione, locatione, (contractibus bonae §. 4.
fidei) discedere, videndum est, an nihil sit acti, (vti in promissione dotis per
metum, (§. 128.) et antiqua obligatio remaneat: an hoc simile sit accepti-
lationi? (Qua obligatio tollitur) quia nulla ex bonae fidei obligatione possi-

mus niti, cum, (quando) finita sit. Et magis est, vt similis species acceptilatione sit: (vt sublata sit contraria conuentione emptio siue locatio. (L. 2. tit. 14. §. 44. 45.) et ideo praetoria actio (quod metus causa) nascitur, L. 21. §. 4. b. Nam restitutio metus causa est remedium subsidiarium (L. 2. tit. 10. §. 16.) quod non competit subsistente priore obligatione, et actione inde competente. (§. 71.)

ARGUMENTVM.

- §. 5. 131. Si metu coactus adii haereditatem, puto me haeredem effici, quia, quamuis si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui. (L. 1. tit. 1. §. 60.) sed (quod aliquid gestum est,) per praetorem restituendus sum, vt abstinendi mihi potestas tribuatur. L. 21. §. 5. b. (L. 4. tit. 1. §. 13.) L. 2. tit. 11. §. 78.)

ANNOTATIO.

132. Sed CELSVS libro 15. Digestorum scripsit: eum, qui metu verborum, vel aliquo timore coactus, fallens adierit haereditatem, siue liber sit, haeredem non fieri placet, siue seruus sit, dominum haeredem non facere. L. 6. §. f. ff. De acqu. vel amitt. haered. Obstat haec lex legi modo recensitae: vulgo conciliatio tentatur ex eo, quod simulate et fallens adiens non fiat haeres. Sed qua ratione cogitari potest, metu iusto coactum se simulare volentem? Missa hac conciliatione palliatua, prius indagare oportet sensum in speciem obstantis legis, quam ita intelligo. Eum, qui metu inani minarum verbis factarum, vel aliquo timore aequae vano, quasi coactus sit, adierit haereditatem, sed fallendi animo, vt si nec ipse, nec haereditas soluendo fuerit, per actionem quod metus causa quadruplum venetur: tum quia magis lucrum dolose sectatur, quam haereditatem adit, dum illud principaliter agit sub additionis velamine, neque haeres fit, neque haeredem facit. CUIACIVS verborum: corrigit: verberum: Comment. in L. 11. Pauli ad Edict. ad h. l. motus forsitan verbis legis 3. §. f. ff. quod met. c. Verum hac ratione metus iustus esset, et insana-bilis antinomia, et casus legis impossibilis: quomodo enim discernes simulantem a volente, quem metu vero adegeris? Dilucide autem cognoscetur sefellisse et metum simulasse, qui vana verba et fulgur ex pelui in astutiae colorem verterit.

ARGUMENTVM.

- §. 6. 133. Si coactus haereditatem repudiaui, duplici via praetor mihi succurrit: aut vtilis actiones (L. 1. tit. 7. §. 69.) quae hic in rem sunt, nempe haereditatem) quasi haeredi dando, aut actionem metus causa praestando, (quae in personam metum inferentem, vel sibi applicantem est.) vt quam viam ego elegerim, haec mihi pateat. L. 21. §. 6. b. (§. 34.)

ARGUMENTVM.

- Paul. L. 1. 134. Qui in carcere seruili detinetur, omni libertate exutus est, vnde eius actio nulla est, quae nec imputari potest. (L. 1. tit. 1. §. 61.) Ideo, qui in carcerem, quem detruisit, vt aliquid ei extorqueret, quicquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est. L. 22. b. Vnde nec hoc casu opus est, restitutione, quia nihil gestum. (L. 2. tit. 12. §. 8.)

ANNOTATIO.

135. Quod alii gestionem subesse, hic loci crediderint, notat GOTHOFREDVS ad hanc legem. Iure tamen aliud credo, quia quod actum est, nullum dicitur.

OBSERVATIO.

136. Non est verisimile, compulsum in vrbe inique indebite soluisse eum, qui claram dignitatem se habere praetendebat. (L. 1. tit. 9. §. 34.) cum potuerit ius publicum inuocare, et adire aliquem potestate praeditum, qui vtique vim eum pati prohibuisset. L. 23. pr. b. Vlp. L. 5. Opin. L. 23. pr.

ANNOTATIO.

137. Ius publicum inuocare est, ad populum prouocare. Haec prouocatio maiestatis, imperii et libertatis populi Romani argumentum et fructus erat. Q. Fabius a Papirio dictatore damnatus, quod iniussu eius cum hoste depugnasset, ad populum prouocauit. LIVIVS L. 8. c. 55. Rabirius perduellionis reus a Iulio Caesare ante principatum causae iudice, nimis cupide condemnatus, ad populum prouocauit. SVETONIVS in Iulio cap. 12. Successit in huius locum prouocatio ad principem. L. 38. pr. ff. De Minor.

ARGUMENTVM.

138. Sed huiusmodi praesumptioni debet apertissimas probationes violentiae opponere. L. 23. pr. b. (L. 2. tit. 14. §. 61.)

OBSERVATIO.

139. Cognitores appellabantur, qui testimonium de hominis ignoti statu et conditione perhibere poterant. CICERO Orat. V. in Verrem. *Homines tenues obscuro loco nati nauigant, adeunt ad alia loca, quae nunquam antea viderant, ubi neque noti esse iis, quo venerant, neque semper cum cognitoribus esse queunt.* Et paulo post: *Causam habuisse, cum Panormo Pretius veniret, cognosceret hominem; aliquid de summo supplicio remitteret: si ignoraret, tum hoc iuris in omnes constitueret, ut qui neque tibi notus esset, neque cognitorem locupletem daret, quamvis ciuis Romanus esset, in crucem tolleretur.* Et CICERO pro Caecina, p. 352. Cognitoris viduarum meminit. (L. 2. tit. 1. §. 60.)

ARGUMENTVM.

140. Si iusto metu perterritus, cognitionem, ad quam vt vinculus (quasi feruus aut fugitiuus speculator, proditor, etc.) iret, potens aduersarius minabatur, id quod (per vim inferentem sibi) habere licebat, compulsus vendidit: res suae aequitati per praesidem prouinciae restituitur. L. 23. §. 1. b. (§. 139.) §. 1.

ANNOTATIO.

141. Quod vinculus ad cognitionem duceretur, metus iustus non fuerit. (§. 3.) Sed metus seruitutis vel mortis, si cognitores male de ipso renunciarent, metus iustus est. Casus in textu propositus apud Vlpianum plures circumstantias habuit, quibus per compilatores recisis valde obscurus deuenit. Idem de sequenti specie dicendum. De formula: *Habere licere*: vide BRISSONIVM De form. L. 6. c. 173. Hic sine dubio significat, quod aduersarius nullum ius habuerit, quo vim passo minus licuerit, rem habere: alias non fuisset laesus, nec ob metum restituendus. (§. 59.)

OBSERVATIO.

142. Athletae in Gymnasio frequenter exercitabantur, vt in publicis ludis, quae sacra certamina erant, et populi admirationem et victoriae praemia mereri possent, et vt bellis apti redderentur. Honores athletic apud Graecos habitos VITRUVIUS *Architect.* L. 9. in praefatione recenset; de ludis ad eundem locum VITRUVII Philander in annotationibus agit. SVETONIUS refert: *Neonem quandoque in Gymnasium ingredi solitum, vt certantes athletas spectaret.* L. 1. c. 7. PLINIUS L. 6. c. 4. *Dum (athletae) eos inirent (ludos) semper assurgi, etiam a senatu in more esset, nec non sedendi in proximo senatus, atque vacatio munerum omnium ipsis, patribusque et auis paternis tributa.*

ARGUMENTVM.

- §. 2. 143. Si foenerator inciuiliter (non via et ordine iuris, sed contumeliose) custodiendo athletam, et a certaminibus prohibendo, cauere compulerit ultra quantitatem debitae pecuniae, his probatis competens iudex rem suae aequitati restitui decernat. L. 23. §. 2. b. Dum enim minus exercitatum reddit, victoriae laudem et praemium et ordinis honorem ipsi eripit.

ARGUMENTVM.

- §. 3. 144. Est etiam metus iustus, qui ab imperio magistratus proficiscitur ob periculum iacturae bonorum. Ergo: si quis quod aduersario non debebat, delegante eo (forte quod aduersarius praesidi eum delegauerit (L. 2. tit. 14. §. 219.) per vim apparitione praesidis (adessoribus, comitibus et ministris (L. 1. tit. 7. §. 67.) L. 1. tit. 22.) iuris cognoscendi causa praesidi apparentibus) interueniente, sine notione iudicis coactus est dare, iudex inciuiliter (contra formam iuris) extorta restitui ab eo, qui rei damnum praestiterit, iubeat. L. 23. §. 3. b.

ARGUMENTVM.

145. Quodsi debitis satisfecit simplici iussione (praesidis per apparitionem denunciata) et non cognitione habita (§. 144.) quamuis non extra ordinem exactionem fieri, sed ciuilitate oportuit, tamen quae solutioni debitarum ab eo quantitatum profecerunt, reuocare inciuite est. L. 23. §. 3. b. (§. 65. 59.)

ANNOTATIO.

146. Tam Ruffardi quam Charondae editio habet, *quantitatum.*



DE DOLO MALO.

TIT. III.

OBSERVATIO.

1. Hoc edicto praetor aduersus varios (homines versutos, versipelles, Chamaeleontes) et dolosos, qui aliis offuerunt, calliditate quadam subuenit: ne vel illis malitia sua sit lucrosa, vel istis simplicitas damnosa, *L. 1. pr. b.* Verba autem edicti talia sunt: Quae dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, et iusta causa esse videbitur, iudicium dabo. *L. 1. §. 1. b.* Dolum malum Seruius quidem ita definit, machinationem quandam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur, et aliud agitur. *L. 1. §. 2. b.* C. Aquilius dolum esse dixit, cum aliud fit simulatum, aliud actum. CICERO, *de Nat. Deor. L. 3. p. 1201.*

Vip. L. 11. ad

Ed.

L. 1. pr.

§. 1.

§. 2.

ANNOTATIO.

2. Labeo autem ait, posse (et) sine simulatione id agi, ut quis circum veniatur. *L. 1. §. 2. b.*

DEFINITIO.

3. Dolus ex re est, quoties quis ex gestione non improba sibi lucrum improbum summo iure petit. *L. 2. §. 3. sequ. ff. de doli m. et met. except. L. 9. §. 3. ff. b. r. (L. 2. tit. 14. §. 59.)*

ANNOTATIO.

4. Olim doli poena fuit: hinc iusiurandum in litem, actiones inficiatione crescentes, condemnatio in quadruplum propter metum et vim illatam.

ARGUMENTVM.

5. Posse et sine dolo malo aliud agi, aliud simulari, (*L. 1. tit. 1. §. 131.*) sicut faciunt, qui per eiusmodi dissimulationem deseruiant, vel tuentur vel sua vel aliena. *L. 1. §. 2. b. (L. 1. tit. 1. §. 69.)*

DEFINITIO.

6. Itaque ipse (Labeo) sic definiit: Dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. *L. 1. §. 2. b. (L. 1. tit. 1. §. 68.)*

ANNOTATIO.

7. Labeonis definitio vera est *L. 1. §. 2. b.* Non fuit autem contentus praetor dolum dicere, sed adiecit: malum: quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, et pro solertia hoc nomen accipiebant, maxime si aduersus hostem latronemue quis machinatur. *L. 1. §. 3. b.*

§. 3.

ANNOTATIO.

8. Qui solertia vel simulatione non nocent, sed potius aliorum commodo vel saluti suae probum officium praestant, dolum malum non committunt. (*L. 1. tit. 1. §. 131.*) CICERO domum se emturum aliquando negauit, postquam tamen emisisset,

emisset, mendacii infimulatus dixit, prudentis et cauti patrisfamilias esse, quod emere velit, emtutum sese negare, propter competitores emtionis. GELLIVS L. 12. c. 12. Hoc est, quod *deseruire* dictum fuit.

ARGVMENTVM.

§. 4. 9. Ait praetor: si de his rebus alia actio non erit: Merito praetor ita demum hanc actionem pollicetur, si alia non sit, quoniam famosa actio non temere debuit a praetore decerni, si sit ciuiliis vel honoraria, qua possit experiri. Vsque adeo, vt (et) Pedius libro 8. scribit: etiam si interdictum sit, quo quis experiri, vel exceptio, qua se tueri possit, cessare hoc edictum. L. 1. §. 4. b. (L. 3. tit. 1. §. 17.) L. 3. tit. 3. §. 145.)

ARGVMENTVM.

10. Idem et Pomponius libro 28. et adiicit: et si stipulatione tutus sit quis, eum actionem de dolo habere non posse, vt puta si de dolo stipulatum sit. L. 1. §. 4. b. Et si ex clausula, stipulationibus adiici solita: *dolum malum abesse absfuturumque*: quis actionem ex stipulatu instituire possit, ea de dolo cessabit. (§. 9.) L. 4. tit. 1. §. 17.)

OBSERVATIO.

11. Qui ex stipulatione actionem timendam non habet, quando stipulatio dolo elicitata est, is, scilicet re non secuta, per dolum istum non laeditur.

POSITIO.

§. 5. 12. Idem Pomponius ait: et si actionem in nos dari non oporteat, veluti, si stipulatio tam turpis dolo malo facta sit, vt nemo daturus sit ex ea actionem: non debere (me) laborare, vt habeam de dolo malo actionem, cum nemo sit aduersus me daturus actionem. L. 1. §. 5. b.

PROBATIO.

Actio de dolo est remedium restitutionis in integrum, (L. 4. tit. 2. §. 107.) hoc autem non competit, nisi quis laesus sit, (L. 2. tit. 8. §. 36.) Dubium autem nullum est, quod ille dolo non laedatur, qui actionem ex stipulatione dolo elicitata timendam non habet: ideo, si ex stipulatu actio non timetur, actio de dolo ex dictis circumstantiis non datur.

ARGVMENTVM.

§. 6. 13. Idem Pomponius refert, Labeonem existimare, etiam, si quis in integrum restitui possit, (ex alia quam doli causa,) non debere ei hanc actionem competere. L. 1. §. 6. b. quoniam actio de dolo subsidiaria est, deficiente omni alio remedio. (L. 4. tit. 2. §. 109.)

ARGVMENTVM.

14. Et si alia actio tempore finita sit, hanc (de dolo) competere non debere: sibi imputaturo eo, qui agere supersedit. (L. 4. tit. 1. §. 14.) nisi in hoc quoque dolus malus admissus sit, vt tempus exiret. L. 1. §. 6. b.

ARGVMENTVM.

15. Si quis cum actionem ciuilem haberet, vel honorariam in stipulatum deductam, acceptilatione vel alio modo sustulerit, (et adeo libere remini-

remiserit ius suum, (L. 1. tit. 1. §. 199.) de dolo experiri non poterit, quoniam habuit aliam actionem, nisi in amittenda actione dolum malum passus est. *L. 1. §. 7. b.*

ARGUMENTVM.

16. Quia actio de dolo reparationem damni intendit, (L. 2. tit. 8. §. 36.) in rem est absque respectu personae. Hinc textus: Non solum autem, si aduersus eum sit alia actio, aduersus quem dolo quaeritur. *L. 1. §. 8.* Vel ab eo res seruari poterit, *L. 2. b.* Non habet hoc edictum locum, verum etiam si aduersus alium, *L. 3. b.* Sit actio: vel si ab alio res mihi seruari potest. *L. 4. b.* (L. 4. tit. 2. §. 109.)

§. 8.
Paul. L. 11. ad Ed. L. 2. Vlp. L. 11. ad Ed. L. 3. Paul. L. 11. ad Ed. L. 4. Vlp. L. 11. ad Ed. L. 5.

ANNOTATIO.

17. Ideoque, si quis pupillus a Titio, tutore auctore concludente circumscriptus sit: non debere eum de dolo actionem aduersus Titium habere, cum habeat tutelae actionem, per quam consequatur, quod sua interfit. Plane si tutor soluendo non sit, dicendum erit, de dolo actionem dari ei. *L. 5. b.* quoniam actione tutelae res pupillo seruari nequit. (§. 16.)

REGVLA.

18. Nam (respectu effectus) is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam aduersarii inanis actio est. *L. 6. b.*

Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 6.

ANNOTATIO.

19. Quia iniquitas reparari debet, hoc loco in effectu ius positum est. Aliud in cessione actionis, vbi non quaeritur, an inanis sit; sed saltem, an sit actio vera et fundata.

ANNOTATIO.

20. Et eleganter Pomponius haec verba: si alia actio non sit: sic excipit: quasi res alio modo ei ad quem ea res pertinet, salua esse non poterit. *L. 7. pr. b.*

Vlp. L. 11. ad Ed. L. 7. pr.

ANNOTATIO.

21. Nec videtur huic sententiae aduersari, (quasi aliquando de dolo actio daretur, dum alia superest) quod Iulianus libro quarto scribit: si minor annis viginti quinque consilio serui circumscriptus, eum vendidit cum peculio, emtorque eum manumisit, dandam in manumissum de dolo actionem: hoc enim sic accipimus: carere dolo emtorem, vt ex emto teneri non possit: aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, vt venderet, circumscriptus est, (si dolus effecit, vt venderet minor: nam dolus bonae fidei contractum informare nequit. (L. 4. tit. 2. §. 127.) G. NOODT suspecta habet verba et eiicienda iudicat: *Aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso vt venderet, circumscriptus est.* L. 1. de Iurisdic. c. 14. et de forma emendandi d. m. c. 14. Adeoque in emtorem actio ex contractu dari nequit, quia vel nullus est, vel in eo dolus emtoris non versatur, qui officio iudicis in actione ex emto purgari possit.) Et quod minor proponitur, non inducit in integrum restitutionem. (ex ratione aetatis) *L. 7. pr. b.*

R E G V L A .

22. Nam aduersus manumissum nulla in integrum restitutio potest locum habere. (vt in seruitutem restituatur.) *L. 7. pr. b.* (*L. 2. tit. 12. §. 14.*)

A R G V M E N T V M .

23. Hinc gestio bonae fidei, quae aequalitatem intendit, (*L. 3. tit. 5. §. 76.*) per dolum incipere nequit, quia iniqua intentio est. (*L. 1. tit. 1. §. 68. §. 127.*) et huiusmodi gestio nulla est, (*L. 4. tit. 3. §. 127.*) vti (*L. 4. tit. 4. §. 124.*) strictius demonstratur.

A R G V M E N T V M .

§. 1. 24. Secundum quae, et si poenali actione indemnitati eius consuli possit, dicendum erit, cessare de dolo actionem. *L. 7. §. 1. b.* Nam mitius est poenam pendere, quam famae iacturam facere. (*L. 4. tit. 1. §. 17.*)

A R G V M E N T V M .

25. In actionibus popularibus actor non solum suam causam, sed et populi defendebat, videbaturque actio eius non esse: (*L. 2. tit. 1. §. 15.*) quoniam vero poenam lucrabatur, indemnitatem consequebatur sine infamia rei: hinc textus: §. 2. Pomponius (autem) etiamsi popularis actio sit, cessare de dolo ait actionem. *L. 7. §. 2. b.* (*§. 16.*)

A R G V M E N T V M .

§. 3. 26. Non solum autem, si alia actio non sit, sed et si dubitetur, an alia sit, putat Labeo de dolo dandam actionem, et adfert talem speciem: Qui seruum mihi debebat vel ex venditione, vel ex stipulatu (dubium est, utrum sit venditio, an stipulatio) venenum ei dedit, et sic eum tradidit: vel fundum et dum tradit, imposuit ei seruitutem, vel aedificia diruit, arbores excidit, vel extirpauit: ait Labeo, siue cauit de dolo siue non, dandam in eum de dolo actionem. Quoniam si cauit, dubium est, an competat ex stipulatu actio. *L. 7. §. 3. b.* (*§. 10.*) Quia tam emtionis, quam stipulationis clausula doli apta est. Quando actio ita dubia est, institui neutra potest, et in subsidium admittenda videtur, actio de dolo. (*§. 9.*) Colligere enim est e *lege 4. §. 3. ff. de pactis*, prius conuenisse, deinde stipulationem sollempnem secutam esse, quod per rerum naturam aliter seruari non potuit. (*L. 2. tit. 14. §. 19. 60.*)

A R G V M E N T V M .

27. Sed est verius, si quidem de dolo cautum est, (ita vt pro stipulatione ex solita eius clausula magis praesumatur,) cessare actionem de dolo, quoniam est ex stipulatu actio. (*§. 10.*) Si non est cautum, (pro emtionis fortior erit praesumptio, et actio emti magis competere debet, quam doli,) in ex emto quidem actione cessat de dolo actio, quoniam est ex emto. (Actio ex emto est bonae fidei, descendens ex contractu huius naturae. (*L. 3. tit. 5. §. 76.*) *L. 3. tit. 3. §. 151. 152.*) inque ea iudicis officium ad doli cognitionem porrigitur. (cit. *§. 76. et seq.*) ita quidem, vt de dolo cautio superuacua sit) in ex stipulatu (si de dolo cautum non est) de dolo actio necessaria est. *L. 7. §. 3. b.* Quia
in

in stipulationis iudicio officii iudicis par non est potestas, uti in bonae fidei actione. (L. 3. tit. 5. §. 78.)

A R G V M E N T V M.

28. Si seruum vsuarium proprietarius occidit, legis Aquiliae actio- §. 4.
ni (L. 3. tit. 6. §. 42.) et ad exhibendum. (L. 2. tit. 7. §. 12.) accidit, si pos-
fidens proprietarius occidit, (hoc enim casu tantum vtraque concurrat actio
Aquiliae legis, ob damnum datum: ad exhibendum, quia fecit, quo minus adpa-
reat) ideoque cessat de dolo actio. L. 7. §. 4. b. (§. 9.)

D E F I N I T I O.

29. Actio ex testamento est, quae datur legatariis et fideicommissariis
aduersus haereditatem ad praestationem legatorum et fideicommissorum, cum omni
caussa.

A R G V M E N T V M.

30. Idem si seruum legatum (per damnationis formulam (infra §. 109.) §. 5.
haeres ante aditam haereditatem occiderit, quoniam priusquam (tradi-
tione) factus sit legatarii (L. 1. tit. 1. §. 193.) interemptus est, cessat L. Aquil-
liae actio. (Nam res legatarii nondum fuit, (L. 3. tit. 6. §. 42.) de dolo autem
actio quocumque tempore eum occiderit, (etiam post aditam haereditatem)
cessat, quia ex testamento actio competit. L. 7. §. 5. b. (§. 9.)

A R G V M E N T V M.

31. Si quadrupes tua dolo alterius damnum mihi dederit: quaeri- §. 6.
tur, an de dolo habeam aduersus eum actionem? Et placuit mihi, quod
Labeo scribit, si dominus quadrupedis non sit soluendo, dari debere
de dolo (§. 19. 20.) quamuis, si noxae deditio sit secuta, non puto dan-
dam (de dolo actionem) nec in id quod excedit. L. 7. §. 6. b. Etsi damnum
maius est, quam pretium quadrupedis. Nam per deditioem omnis obligatio est
soluta, quoniam alternatiuae satisfactionis est. (L. 2. tit. 14. §. 165. 166.) et accipiens
cum quadrupede lucrum integrum facti recepit. (L. 2. tit. 1. §. 33. 34.)

A R G V M E N T V M.

32. Idem Labeo quaerit, si compeditum seruum meum, ut fuge- §. 7.
ret, solueris, an de dolo actio danda sit? et ait Quintus apud eum no-
tans: si non misericordia ductus, (ergo dolo) fecisti, furti teneris, (L. 2.
tit. 14. §. 67.) si misericordia (quae a dolo excusat, (L. 1. tit. 1. §. 73.) in factum
actionem dari debere. L. 7. §. 7. b. (L. 2. tit. 7. §. 23.)

A R G V M E N T V M.

33. Seruus pactionis pro libertate reum domino dedit ea condi- §. 8.
tione, ut post libertatem transferatur in eum (manumissum) obligatio:
(L. 3. tit. 3. §. 62.) Manumissus non patitur se obligationem transferri:
Pomponius scribit: locum habere de dolo actionem: L. 7. §. 8. b. Quia
cum seruo nulla civilis obligatio esse potest, (L. 3. tit. 5. §. 102.) alia actione defi-
ciente in subsidium patrono in manumissum competit ea de dolo (§. 9.) nam fidei
seruandae obligatio omnis hominis est. (L. 2. tit. 14. §. 80. (L. 3. tit. 5. §. 121.)

ARGUMENTVM.

34. Sed si per patronum stabit, quo minus obligatio transferatur (si agat aduersus reum, quem seruus dedit) dicendum ait: patronum exceptione (doli siue in factum) a reo submouendum. *L. 7. §. 8. b.* (*L. 2. tit. 10. §. 5.*) Reus ille ipse est, a quo obligatio transferenda fuit in manumissum.

ANNOTATIO.

35. Ego moueor, quemadmodum de dolo (actio) dabitur (patrono aduersus manumissum) cum sit alia actio (in reum ex stipulatu) nisi forte quis dicat: quoniam exceptione (pacti) patronus submoueri potest, si agat cum reo, debere dici quasi nulla actio sit (§. 20.) quae exceptione repellitur, de dolo decernendam. Atquin patronus tunc submouetur (exceptione doli) si nolit expromissorem (rei) ipsum manumissum accipere. (secundum §. 34.) Expromissori plane aduersus manumissum dari debebit de dolo, (actio, si nolit obligationem in se transferri, vt (§. 33.) aut si non sit soluendo expromissor; (manumissus) domino dabitur. *L. 7. §. 8. b.* (*L. 4. tit. 2. §. 107.*) §. 17. seq.)

ARGUMENTVM.

§. 9. 36. Si dolo malo procurator passus sit vincere aduersarium meum, vt absolueretur, an de dolo mihi actio aduersus eum, qui vicit, competat, potest quaeri. Et puto non competere, si paratus sit reus, (aduersarius meus) transferre iudicium sub exceptione hac: Si collusum est. (*L. 3. tit. 3. §. 62.*) Alioquin de dolo actio erit danda: (*L. 4. tit. 2. §. 107.*) scilicet, si cum procuratore agi non possit, quia non esset soluendo. *L. 7. §. 9. b.* Suppetit enim alias stipulati actio, quae ex sponsione: *si collusum fit*: nascitur. (§. 9.)

ANNOTATIO.

37. Actiones famosas adeo restringere voluerunt iuris conditores, vt si alia quidem actio non sit, excitari autem possit, ad eam efficiendam praetoris imperio adigatur actor.

ARGUMENTVM.

§. 10. 38. Idem Pomponius refert: Caecilianum Praetorem non dedisse de dolo actionem aduersus eum, qui adfirmauerat: idoneum esse eum, cui mutua pecunia dabatur: quod verum est: (§. 1.) Nam nisi ex magna et euidenti calliditate non debet de dolo actio dari. *L. 7. §. 10. b.*

ARGUMENTVM.

Cai. L. 4. ad Ed. prou. L. 5. 39. Quodsi, cum scires eum facultatibus labi, tui lucri gratia adfirmasti mihi, idoneum esse merito aduersus te, cum mei decipiendi gratia alium falso laudasti, de dolo iudicium dandum est. *L. 8. b.* (§. 9.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 11. ad Ed. L. 9. pr. 40. Si quis affirmauit, minimam esse haereditatem, et ita eam ab haerede emit, non est dolo actio, cum ex vendito sufficiat. *L. 9. pr. b.* (§. 9.) *L. 3. tit. 3. §. 151.*

A R G V M E N T V M.

41. Si autem mihi persuaseris, vt repudiem haereditatem, quasi minus soluendo sit, vel vt optem seruum, quasi melior eo in familia, non sit: dico de dolo dandam, si callide hoc feceris. *L. 9. §. 1. b.* (§. 9.) §. 1.

A R G V M E N T V M.

42. Item, si tabulae testamenti, ne de inofficioso diceretur, diu suppressae sint, mox mortuo filio prolatae: haeredes filii aduersus eos, qui suppresserunt, et lege Cornelia et de dolo posse experiri. *L. 9. §. 2. b.* Intelligitur hic lex Cornelia de falsis, cuius actio aequae famosa est, ac illa de dolo: *L. 7. ff. de publ. iudic.* vnde et haec competit, quia mitior alia nulla superest. (*L. 4. tit. I. §. 17.*) §. 2.

D E F I N I T I O.

43. Actio depositi sequestraria est postulatio victoris in causa contra sequestrum, vt res litigiosa consensu litigantis vtriusque deposita victori cum omni causa restituatur.

A R G V M E N T V M.

44. Labeo libro 37. posteriorum scribit: si oleum tuum quasi suum defendat Titius, et tu hoc oleum deposueris apud Seium, vt is hoc venderet et pretium seruaret, donec inter vos diiudicetur, cuius oleum esset: neque Titius velit iudicium accipere, quoniam neque mandati, neque sequestraria Seium conuenire potes, nondum impleta conditione depositionis; de dolo aduersus Titium agendum. *L. 9. §. 3. b.* (§. 9.) §. 3.

A N N O T A T I O.

45. Iudicium accipiebatur mediante litis contestatione et sponione: si tuum est oleum. (*L. 2. tit. 3. §. 1. 7.*) Iam deponens cum Seio agere non poterat mandati, quia demum post adiudicationem pecunia restituenda erat, atque ob eandem rationem nec sequestraria experiri poterat, dum nemo victor erat. Hinc occasionem doli ex re arripiebat Titius: Nullo iure, nulla actione iuuaris, qua rem litis consequi possis, ergo non teneor iudicium tecum accipere.

A R G V M E N T V M.

46. Sed Pomponius libro 27. posse cum sequestre praescriptis verbis actione agi: (*L. 2. tit. 14. §. 31.*) Patet enim ex verbis conuentionis, quod Seius pecuniam ex oleo redactam sibi habere non debeat, et quod Titius pro confesso sit. (*L. 2. tit. 3. §. 19.*) vel si is soluendo non sit, cum Titio de dolo, quae distinctio vera esse videtur. *L. 9. §. 3. b.* (§. 17. seq.)

A N N O T A T I O.

47. Hoc exemplum dolum ex re luculenter illustrat.

A R G V M E N T V M.

48. Et si seruum pignorum noxae mihi dederis per iudicem, et ita absolutus: de dolo teneris, si apparuerit esse eum pignori datum *L. 9. §. 4. b.* absolutus es: ergo deficit alia actio. (§. 9.) §. 4.

ARGUMENTVM.

§. 2. 67. Item, si quid ex dolo procuratoris ad dominum peruenit, datur in dominum de dolo actio (L. 4. tit. 2. §. 107.) in quantum ad eum peruenit. Nam procurator, ex dolo suo procul dubio tenetur. L. 15. §. 2. b. (§. 66.)

ARGUMENTVM.

§. 3. 68. Quia non contra quemuis actio de dolo permittitur, (§. 52. 55. sequ.) ideo in hac actione designare oportet, cuius dolo factum sit: quamuis in metu non sit necesse. L. 15. §. 3. b. (L. 4. tit. 2. §. 76.)

ARGUMENTVM.

Paul. L. 11. ad Ed. L. 16. 69. Item, exigit praetor, ut comprehendatur, quid dolo malo factum sit. Scire enim debet actor, in qua re circumscriptus sit, nec in tanto crimine vagari. L. 16. b. (L. 2. tit. 12. §. 31.) §. 52.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 11. ad Ed. L. 17. pr. 70. Si plures dolo fecerint, et vnus restituerit, (rem dolo quaesitam) omnes liberantur: (nam laesus indemnis est et restitutus, (L. 4. tit. 2. §. 107.) Quodsi vnus, quanti ea res est, praestiterit: puto adhuc caeteros liberari. L. 17. pr. b. Plures voluntates et facta sunt, inde omnes obligantur, (L. 2. tit. 1. §. 40.) actio tamen rem persequitur et effectum, et vnus satisfactio liberat reliquos. (lb. §. 38.) L. 4. tit. 2. §. 112.)

ARGUMENTVM.

§. 1. 71. Haec actio in haerem et caeteros successores datur duntaxat de eo, quod ad eos peruenit. L. 17. §. 1. b. (L. 4. tit. 2. §. 118. 119.) (§. 58.)

ARGUMENTVM.

Paul. L. 11. ad Ed. L. 18. pr. 72. Arbitrio iudicis in hac quoque actione restitutio comprehenditur. L. 18. pr. b. Actio doli arbitraria est, est enim alternatiuae aut incertae petitionis, e. gr. si quis fundo imposuerit seruitutem, impossibile est ad pretium certum redigere, quanti fundus deterior factus sit: unde nec certum petere potest laesus: (L. 2. tit. 3. §. 17.) item: res aut aestimatio petitur: tum iudex damni quantitatem arbitrabatur: (lb. §. 12.)

ARGUMENTVM.

73. Et nisi fiat restitutio, (ipsius rei) sequitur condemnatio quanti ea res est. L. 18. pr. b. Res in iudicium deducta aestimationem recipiebat ex opinione et iureiurando actoris. (L. 2. tit. 7. §. 25.)

ARGUMENTVM.

74. Ideo autem et hic, et in metus causa actione certa quantitas non adiicitur, ut possit per contumaciam suam tanti reus condemnari, quanti actor in litem iurauerit L. 18. pr. b. (L. 2. tit. 7. §. 25.) L. 4. tit. 2. §. 111. In metus causa actione non adiicitur, quia incertum est, an reus sententiam expectaturus sit. (L. 4. tit. 2. §. 35.) De edicto vero Paulus hic non est intelligendus.

ANNOTATIO.

75. Sed officio iudicis debet in vtraque actione taxatione iusiurandum refranari. L. 18. pr. b.

A N N O T A T I O.

76. Dolus viam nullam infert, et metu mitior esse debet, quia hoc comprehenditur: (L. 4. tit. 2. §. 110.) ideo ultra litis aestimationem actori permissam, dupli vel tripli poenam non meruit. Praeterea et is, qui rapuit, fur improbius est. (L. 4. tit. 2. §. 106. 42.)

A R G V M E N T V M.

77. Quando petitio non est incerta, ita ut iudex non possit condemnare alternatiue: scilicet, aut rem aut aestimationem secundum iusiurandum in litem restitui. (L. 4. tit. 2. §. 79.) iudicium definit esse arbitrium (§. 72.) Pergit ideo textus: Non tamen semper in hoc iudicio arbitrio iudicis dandum est: §. 1. quid enim si manifestum sit, restitui non posse, veluti si seruus, dolo malo traditus, defunctus sit: ideoque protinus condemnari debeat in id, quod interfit actoris. L. 18. §. 1. b.

A R G V M E N T V M.

78. Si dominus proprietatis insulam, cuius ususfructus legatus erat, incenderit, non est de dolo actio, quoniam aliae ex hoc oriuntur actiones. L. 18. §. 2. b. nempe actio legis Aquiliae (L. 3. tit. 6. §. 43.) §. 9.) actio ad exhibendum (L. 2. tit. 7. §. 12.)

A R G V M E N T V M.

79. De eo, qui sciens commodasset pondera, ut venditor emtori merces adpenderet, Trebatius de dolo dabat actionem. Atquin, si maiora pondera commodauit, id quod amplius mercis datum est, repeti condictione (indebiti. (L. 2. tit. 2. §. 27.) potest: Si minora, ut reliqua merx detur, ex emto agi potest: (L. 3. tit. 3. §. 152.) ergo non dabitur de dolo actio. (§. 9.) nisi ea conditione merx venit, ut illis ponderibus traderetur, cum ille decipiendi causa adfirmasset, se aequa pondera habere. L. 18. §. 3. b. Quo casu ex emto agi nequit, cum in emtione tali nullus dolus sit, sed in falsa adfirmatione.

A N N O T A T I O.

80. Pacta conuenta bonae fidei iudiciis insunt, formant autem actionem bonae fidei, (L. 2. tit. 14. §. 37. sequ.) eamque stricti iuris efficiunt, quoad nempe pactum est, (ib. §. 39.) unde officii iudicis hic nulla potestas, quod verbis pacti alligatum est. (L. 3. tit. 5. §. 78.) et ex emtionis bona fide laesus restitui nequit, ita ut in subsidium succedat actio de dolo.

A R G V M E N T V M.

81. Dolo cuius effectum est, ut lis temporibus legitimis transactis elapsis pereat, Trebatius ait, de dolo dandum iudicium: (non enim reperitur alia actio, dum tempore competens consumpta est) non ut arbitrio iudicis res restituatur, (quo facto praescriptio rescinderetur) sed ut tantum actor consequatur, quanti eius interfuerit, id non esse factum ne aliter obseruantibus lex (ius ciuile praescriptionum) circumscribatur, L. 18. §. 4. b. Nam restitutio tantum contra ius priuatum fit, non contra leges.) L. 2. tit. 8. §. 36.)

OBSERVATIO.

82. Rei interemtae praestatio impossibilis est.

OBSERVATIO.

83. Rei debitaе damnum non habet, qui ab eius debito liberatur,

POSITIO.

84. Debitor rei dolo alterius interemtae, non habet actionem legis Aquiliae.

PROBATIO.

Debitum rei, alterius dolo interemtae, sine sua culpa in impossibile incidit (§. 82.) adeoque liberatur a debito, cum ad impossibile nemo obligetur. (L. 1. tit. 1. §. 204.) L. 4. tit. 2. §. 82.) sed qui a debito rei sine sua culpa interemtae liberatur, eius damnum non habet, (§. 83.) cumque actionem Legis Aquiliae non habeat, qui damnum rei non habet, (L. 3. tit. 6. §. 42.) Ideo debitor rei dolo alterius interemtae non habet actionem Legis Aquiliae.

ANNOTATIO.

§. 5. 85. Hoc dicit textus: Si seruum, quem tu mihi promiseras, alius occiderit, de dolo malo actionem in eum (mihi) dandam, plerique recte putant: quia tu a me liberatus sis, ideoque legis Aquiliae actio tibi denegabitur. L. 18. §. 5. b.

ARGUMENTVM.

Papin. L. 37. 86. Si fideiussor promissum animal ante moram occiderit: de dolo actionem reddi aduersus eum oportere; Neratius, Priscus et Iulianus responderunt: quoniam debitore liberato (per impossibilitatem praestationis rei, sine eius culpa peremtae, (§. 82.) et quae ipsius periculo non fuit, non praecedente mora, (L. 3. tit. 5. §. 107.) per consequentias ipse quoque dimittitur. L. 19. b. (nam succedit in qualitatem debiti: (L. 2. tit. 2. §. 16.) Per haec cessat omnis alia actio, adeoque competit ea de dolo. (§. 9.)

ARGUMENTVM.

Paul. L. 11. 87. Seruus tuus, cum tibi deberet (ex peculio) nec soluendo esset, ad Ed. hortatu tuo pecuniam mutuam a me accepit, et tibi soluit. Labeo ait, de dolo malo actionem in te dandam: quia nec de peculio utilis fit, (§. 18.) cum in peculio nihil sit: nec in rem domini versum videatur (L. 2. tit. 13. §. 28.) cum ob debitum dominus acceperit. L. 20. pr. b. Dominus suum saltem accepit, lucrum non fecit, unde re obligetur. (L. 3. tit. 5. §. 120.)

ARGUMENTVM.

§. 1. 88. Si persuaseris mihi, nullam societatem tibi fuisse cum eo, cui haeres sum: et ob id iudicio (pro socio, quod forte cum defuncto coeptum erat,) absolui te passus sim, (deserta actione, dum nemo actor existit) dandam mihi de dolo actionem, Iulianus scribit. L. 20. §. 1. b. (§. 81.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 11. ad 89. Quodsi deferente me iuraueris et absolutus sis: postea periu- Ed. rium fuerit approbatum, Labeo ait: de dolo actionem in eum dandam. L. 21. b. Nam et lis peremta videtur. (L. 2. tit. 4. §. 29.) vt actio mitior non superfit,

perfit, et nemo fructum doli sui capere debet, (L. 1. tit. 7. §. 136.) et in facto acceptae conditionis iurisiurandi dolus commissus est.

ARGUMENTVM.

90. Pomponius autem per iuramentum transactum videri, quam sententiam et Marcellus Libro 8. Digestorum probat: stari enim religioni debet. L. 2. b. Quia laesus non videris, qui ipse iurisiurandi conditionem detulisti. Nam laesus duntaxat restituitur. (L. 2. tit. 8. §. 36.)

ANNOTATIO.

91. Nam sufficit periurii poena. L. 22. b. quae exilium est. L. 4. ff. Paul. L. 11. ad Ed. Stellionatus. L. 22.

ARGUMENTVM.

92. Si legatarius, cui supra modum Legis Falcidiae legatum est, haeredi adhuc ignoranti substantiam haereditatis, vltro iurando, vel quadam alia fallacia persuaserit, tanquam satis abundeque ad solida legata soluenda sufficiat haereditas, atque eo modo solida legata fuerit consecutus: datur de dolo actio. L. 23. b. Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 23.

ANNOTATIO.

93. Per legem 1. §. 11. ff. ad L. Falc. conditio eius, quod supra dodrantem est, competeret: quomodo ergo actio de dolo dabitur? Patet autem, quod in nostra lege haeres fallacia deceptus, tacite renunciauerit detractioi quartae Falcidiae: L. 46. ff. Ad L. Falc. cessat ergo conditio et restat sola de dolo actio. (§. 9.) Imo, si conditio salua esset, reliquis tamen legatariis soluendo non existentibus, actio de dolo daretur. (§. 18.)

ARGUMENTVM.

94. Si dolo acciderit eius, qui verba faciebat pro eo, qui de libertate contendebat, quo minus praesente aduersario secundum libertatem pronuncietur, puto statim (non expectata pronunciatione) de dolo dandam in eum actionem: quia semel pro libertate dictam sententiam retractari non oportet. L. 24. b. (§. 21.) Nam omnino libertati, quae retractari nequit, dolo moram fecit. Vlp. L. 11. ad Ed. L. 43.

ARGUMENTVM.

95. Cum a te pecuniam peterem, eoque nomine iudicium acceptum est, falso mihi persuasisti, tanquam eam pecuniam seruo meo aut procuratori soluisses, eoque modo consecutus es, vt consentiente me absoluereris: quaerentibus nobis, an in te doli iudicium dari debeat, placuit, de dolo actionem non dari, quia alio modo mihi succurri potest. (§. 9.) Nam ex integro agere possum, et si obiiciatur exceptio rei iudicatae, replicatione (doli mali) iure vti potero. L. 25. b. Vti alia actione sperata doli actio negata fuit, (§. 37.) ita etiam exceptione vel replicatione expectata, quia remedium mitius superest. Paul. L. 11. ad Ed. L. 25.

ARGUMENTVM.

Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 26. 96. In haeredem eatenus daturum se eam actionem proconsul pollicetur, quatenus ad eum peruenerit: id est, quatenus ex ea re locupletior ad eum haereditas venerit. *L. 26. b.* Datur enim aduersus lucriturpis captionem. (L. 4. tit. 2. §. 107.) §. 71.)

ARGUMENTVM.

Paul. L. 11. ad Ed. L. 27. 97. Doloue malo eius factum est, quo minus peruenerit. *L. 27. b.* (L. 2. tit. 9. §. 10.)

ARGUMENTVM.

Cai. L. 4. ad Ed. prou. L. 28. 98. Itaque, si (dolo tuo) accepto lata sit tibi pecunia, omni modo cum haerede tuo agetur, (ad mutui restitutionem.) At si res (corpus vel species certa) tibi tradita sit: siquidem mortuo te ea res extitit, agetur cum haerede tuo: (nam lucratina accessio haereditatis patet) Si minus, non agetur. *L. 28. b.* quia nihil ad haeredem peruenit. Quod autem ad haereditatem peruenit, ad haeredem peruenerit intelligitur, qui in ius bonorum succedit. (L. 1. tit. 7. §. 75.) Vnde, quidquid haereditati accessit cum lucro, hoc haeres sibi applicuit. (L. 4. tit. 2. §. 121. seq.)

ARGUMENTVM.

99. Sed utique in haeredem perpetuo dabitur, (L. 3. tit. 5. §. 82.) quia non debet lucrari ex alieno damno. *L. 28. b.* (L. 4. tit. 2. §. 122.)

ARGUMENTVM.

100. Cui conueniens est, ut et in ipso, qui dolo commiserit; in id, quod locupletior esset, (in quantum causa bonorum, non facti qualitas, in actione versatur) perpetuo danda sit in factum actio. *L. 28. b.* Sed quatenus de dolo ex facti qualitate est, temporalis est.

ANNOTATIO.

101. Quemadmodum metus causa actio intra annum in quadruplum temporalis, post annum in simplum perpetua erat, (L. 4. tit. 2. §. 66. 69.) ita puto, intra annum actori licuisse doli mentionem facere, post annum verum damnum verbis in factum temperatis agere: vnde et iuramentum in litem excludi, consequens existimo.

ANNOTATIO.

Vlp. L. 11. ad Ed. L. 29. 102. Sabinus putat, calculi ratione potius (ob causam bonorum et lucrum ex facto turpi accedens) quam maleficii haeredem conueniri: denique famosum non fieri: (cum dolus personae adhaereat: (L. 1. tit. 1. §. 70.) adeoque in perpetuum teneri oportere. *L. 29. b.* (§. 99. 64.)

ARGUMENTVM.

Id. L. 11. ad Ed. L. 30. 103. Neque causae cognitio in haeredis persona erit necessaria. *L. 30. b.* quoad personam (§. 55. seq.)

DEFINITIO.

104. Possessio, in sensu iuris, est facultas ex qualitate rei actu vel animo detentae, possessori competens, qua illam prae aliis, infirmiori iure munitis, sibi custodire licet.

DEFINITIO.

105. Possessio, siue actus possidendi naturalis, est detentio rei, qua quis non ex iure rei, sed ob finem negotii quis facta corporali eidem insistit.

ANNOTATIO.

106. Possessionem iuris solo animo retinemus, dum res amissa ab alio non possidetur, nec a nobis derelinquitur, alteram actus per alias personas exercere possumus: hae dicuntur *esse in possessione*.

ARGUMENTVM.

107. Cum quis persuaserit familiae meae, ut de possessione decedat, possessio (iuris) quidem non amittitur, (§. 106.) sed de dolo malo iudicium in eum competit, si quid damni mihi accesserit. L. 31. h. (L. 4. tit. 2. §. 107.)

Proc. L. 2.

Epist.

L. 31.

DEFINITIO.

108. Legatum est donatio quaedam, per legem haereditati dictam a defuncto directe relicta, post mortem disponentis ab haerede praestanda. §. 1. I. de Leg.

ANNOTATIO.

109. Olim quatuor legatorum genera fuerunt, primum *vindicationis*, quando testator dixerat: Illum seruum tibi do, lego, illam rem tibi praesume, habe, vindica. Huius generis legato res aliena non potuit relinqui, sed solius testatoris. Qualem enim vindicationis facultatem legatario praestare valeat, in re aliena? Neque etiam res haeredis hoc modo legari potuit, ob eandem rationem. Res per vindicationem legata debet existere, quia vindicari nequit, quod non est. Itaque re aliena per vindicationem legata, eius aestimatio peti non potuit. Si vna res pluribus sic legetur, non vni res, alteri aestimatio debetur, sed concursu portiones facient. Secundum genus legatorum *damnationis* fuit, testatore legante: Tu, haeres illi hoc da, aut illud illi ab haerede meo dari iubeo. Hoc genere res aliena legari potuit, et illa quae haeredis erat, si modo testator suam esse non crederet, propter strictam legatorum interpretationem (L. 2. tit. 13. §. 87.) Rei quoque nondum existentis legatum hoc modo vtile fuit, quia ut daret haeres e. gr. partum nasciturum, factum enim haeredis legatum erat; Ast, ut vindicet legatarius quod non est, momento mortis facultas nasci non potuit. Debet autem legatorum ius in articulo mortis transire a defuncto ad legatarium. Quando per hunc modum pluribus eadem res coniunctim relicta est, concursu partes faciunt, ut in legato vindicationis: verum, si disiunctim, vni res, reliquis aestimatio debetur. Tertium genus *sciendi* appellatum est, quod his verbis fiebat: Ille haeres meus, rem illam illum permittite, sine, praesumere et eam habere. Poterat ita relinqui, et res propria, et haeredis, et aliena, forte tamen haec tantum, quae a defuncto qualibet ratione possidebatur. Haeres non iubetur rem legatario tradere, sed capientem eum prohibere non debet. *Praeceptionis* quartum genus cum ordinatum sit et respectuum ad haeredes, non nisi vni ex haeredibus aut coniunctim pluribus haeredum, relinqui potest, ita ut vna res praestari debeat, omnibus coniunctim, non vero vni res, aliis aestimatio. CAIVS L. 2. Inst. tit. 6.

ARGUMENTVM.

Scaeu. L. 2.
Dig.
L. 32. 110. Filius legatum sibi seruum per praeceptionem, rogatus manumittere post certum tempus, posteaquam rationes ipsi et cohaeredibus fratribus reddidisset: ante diem, et ante redditas rationes ad libertatem vindicta manumittendo perduxerat: quaesitum est, an ex fideicommissio fratribus tenetur, vt rationes eorum pro portionibus redderet? Respondi, cum liberum fecisset, ex causa quidem fideicommissi non teneri, (fideicommissaria quidem libertas seruo relicta erat, non tamen, vt fideicommissio obtemperaret, filius videtur manumisisse, sed suo iure et beneficio: cum seruus per legatum iam filii factus esset, atque ab haereditate discessisset.) Verum, si ideo properasset manumittere, ne rationes fratribus redderet, posse de dolo actionem in eum exerceri. *L. 32. b. (§. 9.)*

ANNOTATIO.

111. In *lege 31. §. 1. ff. ad SCtum Trebell.* libertas seruo non praestatur, cui in diem libertas et fideicommissaria haereditas relicta erat. Hic autem ex haereditate per legatum non exierat, vti noster: libertas ex sola vltima voluntate obtinere poterat illi, nostro etiam ex filii legatarii.

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 4.
Opin.
L. 33. 112. Rei, quam venalem possessor habebat, litem proprietatis aduersarius mouere coepit, et posteaquam oportunitatem emtoris, cui venundari potuit, peremit, destitit: placuit possessori hoc nomine actionem in factum cum sua indemnitate competere. *L. 33. b.* (Actio in factum hic ipsa actio de dolo est, qua poenam facti dolosi persequor cum indemnitate mea: nimirum, quanti in litem iurauero. (§. 100.)

ARGUMENTVM.

Id. L. 42.
ad Sab.
L. 34. 113. Si cum mihi permisisses saxum ex fundo tuo eiicere, vel cretam vel arenam fodere, et sumtum in hanc rem fecerim, (alias non laederer) et non patiaris me tollere, nulla alia quam de dolo (malo) actio locum habebit. *L. 34. b.* (L. 4. tit. 2. §. 107.) Non rei vindicatio vel conditio, nam dominus non sum, nec ad exhibendum, quia res apparet.

ARGUMENTVM.

Id. L. 30.
ad Ed.
L. 35. 114. Si quis tabulas testamenti apud se depositas, post mortem testatoris deleuit, vel alio modo corruperit, haeres scriptus habebit aduersus eum actionem de dolo. Sed et his quibus legata data sunt, (danda) erit de dolo actio. *L. 35. b.* Nondum enim ad exhibendum vel Aquilia agi potest, dum haereditas adita non fuit. (L. 4. tit. 2. §. 107.)

ARGUMENTVM.

Marc. L. 2.
Reg.
L. 36. 115. Si duo dolo malo fecerint, inuicem de dolo non agent. *L. 36. b.* Duo tabulas suppresserunt, vt exclusis cohaeredibus et interuersis legatis ab intestato succederent. Dolus inter istos non est, quia volentibus non fit iniuria. (L. 1. tit. 8. §. 56.) L. 1. tit. 1. §. 68.) Cohaeredes autem et legatarii aduersus supprimentes de dolo agunt. (§. 114.)

OBSERVATIO.

116. Quod venditor, vt commendet, dicit, sic habendum, quasi neque dictum neque promissum est. *L. 37. b.* Quilibet mercem venalem laudat, an proba sit: emtori videre integrum est. *Vlp. L. 44. ad Sab. L. 37.*

ARGUMENTVM.

117. Si vero decipiendi emtoris causa dictum est, aequae sic habendum est, vt non nascatur aduersus dictum promissumue actio, (nam commendatio et laudatio non accipitur pro promissione venditoris rem talem praestitum iri, vt laudatur: (§. 116.) ergo ex contractu agi nequit, sed de dolo actio. *L. 37. b.* quia deficit illa ex contractu. (§. 9.)

ARGUMENTVM.

118. Quidam debitor epistolam, quasi a Titio, mitti creditori suo effecit, vt ipse liberetur. Hac epistola creditor deceptus Aquiliana stipulatione et acceptilatione liberavit debitorem: postea epistola falsa vel inani reperta, creditor maior quidem annis viginti quinque de dolo habebit actionem: minor autem in integrum restituetur. *L. 38. b.* Concurrit quidem actio falsi, sed haec aequae famosa est, et actionem doli adeo non excludit. (§. 42.) minor remedio mitiori vti potest, hinc per restitutionem ob aetatem tollitur actio doli. (§. 9.) *L. 4. tit. I. §. 17.)*

ARGUMENTVM.

119. Si te Titio obtuleris de ea re quam non possidebas, in hoc, vt alius vfucapiat, et iudicatum solui satisdederis: quamuis absolutus sis de dolo malo, (quamuis actio de dolo malo non admittatur superstiti alia non famosa) tamen teneberis. (ad exhibendum (*L. 2. tit. 7. §. 12.*) ob fictam possessionem. (*L. 2. tit. 9. §. 10.*) et ita Sabino placet. *L. 39. b.* *Caius L. 27. ad Ed. pr. L. 39.*

ARGUMENTVM.

120. Is qui deceptit aliquem, vt haereditatem non idoneam adiret, de dolo tenebitur. (*L. 4. tit. 2. §. 107.*) nisi fortasse (decipiens) ipse creditor erat, et solus (creditor haereditarius) erat: tunc enim sufficit contra eum, (debitum haereditarium petentem) doli mali exceptio. *L. 40. b.* (*L. 2. tit. 10. §. 5. §. 95.*) *F. Antianus L. 1. ad Ed. L. 40.*



DE MINORIBVS VIGINTI QVINQVE ANNIS.

TIT. IV.

OBSERVATIO.

Ulp. L. 11. ad Ed. L. 1. pr. 1. Hoc edictum praetor, naturalem aequitatem secutus, proposuit: quo tutelam minorum suscepit. Nam cum inter omnes constet, fragile esse et infirmum huiusmodi aetatum consilium, et multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum, auxilium eis praetor hoc edicto pollicitus est, et aduersus captiones opitulationem. *L. 1. pr. b. (L. 2. tit. 8. §. 37. 38.)*

OBSERVATIO.

§. 1. 2. Praetor edicit: quod cum minore quam viginti quinque annis natu gestum esse dicetur, vti quaeque res erit, animaduertam. *L. 1. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

§. 2. 3. Apparet, minoribus annis viginti quinque eum opem polliceri: nam post hoc tempus compleri virilem vigorem constat. *L. 1. §. 2. b.*

ANNOTATIO.

§. 3. 4. Et ideo hodie in hanc vsque aetatem adolescentes curatorum auxilio reguntur, nec ante rei suae administratio eis committi debet, quamuis bene rem suam gerentibus. *L. 1. §. 3. b.*

ANNOTATIO.

5. Lex Laetoria de minoribus, stipulationes, vel potius obligationes minorum ex stipulatione infirmauit, exceptionem quoque tribuit minori circumscripto. *CVIACIVS L. 19. Obseru. c. 29. §. 33.* Ergo tempore istius legis curatores adolescentibus inuitis non videntur dati. Ad legem Laetoriam respexisse aiunt *PLAVTVM Pseudolo Actu I. §c. 3.* in persona Calidori:

*Nimis miser sum, nummum nusquam reperire argenti queo:
Ita miser et amore pereo, et inopia argentaria.
Perii: Annon tum lex me perdit quina vicenaria?*

Circumscriptio adolescentium lege Laetoria vindicatur. CICERO de Off. L. 3. Antoninus Philosophus de curatoribus, cum ante non nisi ex lege Laetoria, vel propter lasciuiam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, ut omnes adulti curatores acciperent, non reddita causa. CAPITOLINVS in M. Anton. p. 143. (L. 3. tit. 3. §. 169.)

OBSER-

O B S E R V A T I O.

6. Apud antiquissimos Romanorum neque generi neque pecuniae honor habitus fuit prae aetate. Sed postquam soboles ciuitati necessaria esset, ad eam suscipiendam honoris et priuilegiarum praenio ciues inuitabantur. Qui consul plures liberos quam collega, aut in potestate habebat, aut in bello amiserat, prior fasces sumebat, quamuis senior esset collega. GELLIVS L. 2. c. 15. Augustus ciues vxores liberosque habentes ita allocutus est: *Vos itaque ego, o viri, (soli enim vos hoc nomen meremini) atque o patres (haec etiam vobis merito communis est mecum appellatio) hac de causa et amo et laudo, praemiisque, quae constitui, vos orno, ac praeterea aliis honoribus etiam, magistratibusque decorabo, ut et vos magnos inde fructus percipiat, et non minora vestris bona liberis relinquatis.* DIO CASS. L. 56. Certis autem aetatis annis certi honores addicti fuerunt. LIVIVS L. 40. p. 790. *Eo anno rogatio primum lata est, ab L. Iulio Tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque: inde cognomen familiae inditum, ut Annales appellarentur.* Notat SIGONIVS ad hunc locum: Legitimam consulatus petendi aetatem fuisse 44. annorum; CICERO *Philipp. 5.* et pro *L. Iulio*, legi debere: *L. Villio*. Huc pertinet locus OVIDII in Fastis:

finitaque certis

Legibus est aetas, unde petatur honos.

Add. (L. I. tit. 10. §. II.)

A R G V M E N T V M.

7. Nec per liberos suos rem suam maturius a curatoribus recipiat. *Id. L. 19. ad Quod enim legibus cauetur, ut singuli anni per singulos liberos remittantur (per vnum filium vno anno senior, et ad honores maturior censebatur pater) ad honores pertinere, Diuus Seuerus ait: non ad rem suam recipiendam. L. 2. b. (§. 6.)* *L. Iul. et Pap. L. 2.*

A N N O T A T I O.

8. Denique Diuus Seuerus et Imperator noster (Caracalla) huiusmodi Consulum vel Praesidum decreta (quibus veniam aetatis tribuerunt) quasi ambitiosa (gratiam et fauorem hominum ambientia et sollicitantia) esse interpretati sunt. Ipsi autem perraro minoribus rerum suarum administrationem indulserunt: et eodem iure vtimur. *L. 3. pr. b.*

Id. L. 11. ad Ed. L. 3. pr.

A R G V M E N T V M.

9. Si quis cum minore contraxerit, et contractus inciderit in tempus, quo maior efficitur: vtrum initium spectamus an finem? Et placet, ut est et constitutum, si quis maior factus comprobauerit, quod minor gesserat: restitutionem cessare. *L. 3. §. 1. b.* Nam approbatio voluntas est. (L. I. tit. I. §. 56.)

§. I.

A N N O T A T I O.

10. Vnde illud non ineleganter Celsus Epistolarum libro vndecimo et Digestorum secundo tractat, ex facto a Flauio Respecto praetore consultus. Minor annis viginti quinque, annos forte viginti quatuor

agens, iudicium tutelae haeredi tutoris dictauerat: mox factum, vt (non) finito iudicio iam eo maiore effecto viginti quinque annis, tutoris haeres absolutus proponeretur: in integrum restitutio desiderabatur. Celsus igitur Respecto suafit, non facile hunc quondam minorem in integrum restitui. *L. 3. §. 1. b.* Nam quod maior factus in iudicio perseverauerit, maioris adprobatio fuit. (§. 9.)

A R G V M E N T V M.

11. Sed si ei probaretur, calliditate aduersarii id actum, vt maiore eo facto liberaretur: neque enim extremo inquit iudicii die videtur solum deceptus hic minor, sed totum hoc structum, vt maiore eo facto liberaretur. *L. 3. §. 1. b.* ergo ex aetatis ratione restituetur (§. 1.), non autem doli actionis subsidio. (*L. 4. tit. 3. §. 9.*)

A R G V M E N T V M.

12. Idem tamen confitetur, si leuior sit suspicio aduersarii, quasi doloſe versati: non debere hunc in integrum restitui. *L. 3. §. 1. b.* (*L. 4. tit. 2. §. 138.*)

A R G V M E N T V M.

§. 2. 13. Scio etiam illud aliquando incidisse. Minor viginti quinque annis miscuerat se paternae haereditati: (ipſo facto haereditatem adiit) maiorque factus exegerat aliquid a debitoribus parentis (quo facto etiam haereditas aditur. Visus ergo est id maior adprobasse, quod minor gesserat) mox desiderabat restitui in integrum, quo magis abstineret paterna haereditate. (*L. 2. tit. 11. §. 78.*) Contradicebatur ei, quasi maior factus comprobasset, quod minori sibi placuit. Putauimus tamen restituendum in integrum, initio inspecto. Etenim, adita iam haereditas facto priori, posteriori adiri amplius non potuit. Ergo minor laesus fuit, potuitque restitui) Idem puto, et si alienam adiit haereditatem. *L. 3. §. 2. b.*

A R G V M E N T V M.

§. 3. 14. Minorem autem viginti quinque annis natu, videndum, an etiam diem natalis sui adhuc dicimus ante horam, qua natus est: vt si captus sit, restituatur: et cum nondum compleuerit, ita erit dicendum, vt a momento in momentum tempus spectetur. *L. 3. §. 3. b.* Nam in his, quae contra ius commune recepta sunt, stricta interpretatio seruari debet. (*L. 1. tit. 3. §. 16.*) *L. 1. tit. 1. §. 243.*)

O B S E R V A T I O.

15. Romulus annum suum ad morem antiquiorem Graecorum diebus 354 computauit, eumque decem mensium fecit. Martium, in honorem genitoris sui Martis, primam anni mensiem constituit. Nuna quidem Ianuarium et Februarium anno adiciens, hos novos menses solstitii initium statuit, tamen Februarium quasi vltimum mensiem anni Romuli effecit, quia huic intercalandi lacunam et spatium reliquit. Graeci quidem intercalabant post vltimam vltimi mensis diem: at Romanis visum fuit ante Kalendas intercalare, id est 6. Kalendas Martii, quae est 24. dies Februarii. Rationem forte in mysterio numeri septenarii quaereres.

MA-

MACROBIVS *Saturnal. L. 1. c. 12. 13.* In quartum tandem quemque annum intercalatio vnus diei facta, qui annus bissextilis dicitur, et dies adcrefcens bissextus appellatur: Ipsa intercalandi ratio Iulii Caesaris fuit, vel potius Sofigenis Alexandrii, cuius opera Caesar ad hoc negotium vfus est. Obseruatum enim eo tempore erat, annum solarem constare 365. diebus 6. horis: ideo quarto quoque anno 6. horae abundantes diem conficiebant. Hac ratione effectum fuit, vt sexta Calendas Martii anni bissextilis duobus diebus constiterit, nimirum illa sexta Calendas et intercalari, quam et eandem sextam Calendas Martii dictam fuisse oportet.

A R G V M E N T V M.

16. Proinde et si bissexto natus est, siue priore siue posteriore die (communi sexta Calendas Martii aut intercalari) Celsus scripsit nihil referre; nam id biduum pro vno die habetur, et posterior dies Kalendarum (qui septimus Calendas Martii esse deberet) intercalatur. *L. 3. §. 3. b.*

A R G V M E N T V M.

17. Sed vtrum solis patribus familiarum, an etiam filiis familiarum succurri debeat, videndum. Mouet dubitationem, quod si quis dixerit, etiam filiis familiarum in re peculiari subueniendum, efficiet, vt per eos etiam maioribus subueniatur, id est, patribus eorum, (nam proprietas peculii patris manet. *L. 2. tit. 4. §. 21.*) quod nequaquam fuit praetori propositum; praetor enim minoribus auxilium promisit, non maioribus. Ego autem verissimam arbitror sententiam existimantium, filium familias minorem annis in integrum restitui posse ex his solis caussis, quae ipsius intersint: puta, si sit obligatus. *L. 3. §. 4. b.* Non respexit praetor quis lucraretur ex restitutione, sed quis inualide obligatus, et ipso euentu laesus sit. (*L. 4. tit. 1. §. 2. 6.*)

A R G V M E N T V M.

18. Proinde, si iussu patris obligatus sit, (tum pater principaliter obligatur. *L. 2. tit. 13. §. 26.*) pater vbique poterit in solidum conueniri: (Ib.) Filius autem, cum et ipse possit, vel in potestate manens conueniri, vel etiam emancipatus vel exhaeredatus in id, quod facere potest: (*L. 3. tit. 3. §. 197.*) et quidem in potestate manens, etiam inuito patre ex condemnatione (ex re iudicata. *L. 49. ff. De Re iudic.*) conueniri: auxilium impetrare debet, si ipse conueniatur. *L. 3. §. 4. b.* Nam minoris obligationem creditor secutus, ex eius obligationis qualitate remedium competens, nimirum restitutionem patietur. (*L. 4. tit. 1. §. 2.*)

A R G V M E N T V M.

19. Sed an hoc auxilium patri quoque proficit, vt solet interdum fideiussori eius prodesse, videamus, et non puto (profuturum.) *L. 3. §. 4. b.* Nam pater ipse principaliter est obligatus, nec est debitor succedaneus, qui de qualitate obligationis filii sui participet. (*L. 2. tit. 2. §. 16.*)

A N N O T A T I O.

20. Interdum fideiussori prodest auxilium minori competens, quoties nempe in obligationem minoris succedit. Si quando tamen ita accessit, vt separatim ipse teneatur, peculiaris fideiussoris obligatio est; quae de obligatione minoris non participat.

A R G V M E N T V M.

21. Si igitur filius conueniatur, postulet auxilium: si patrem conueniat creditor, auxilium cessat, (quia maioribus non opitulatur praetor (§. 17.) excepta mutui datione; in hac enim, si iussu patris pecuniam mutuam accepit, non adiuuatur, (quia hoc in casu obligatio principaliter patris iubentis est: adeo vt hic potius restitueretur, quam minor filius. (§. 18.) Proinde, et si sine iussu patris contraxit, et captus est, siquidem pater de peculio conueniatur, filius non erit restituendus: (17.) si filius conueniatur, (si filii obligatio principaliter intendatur) poterit restitui. *L. 3. §. 4. b. (§. 17.)*

A N N O T A T I O.

22. Nec eo mouemur, quasi intersit filii, peculium habere: (quasi negata restitutione laederetur, quoniam peculii administratione priuatur) magis enim patris (qui proprietatem amittit) quam filii interest: licet aliquo casu ad filium peculium spectet: vtputa, si patris eius bona a fisco propter debitum occupata sunt: nam peculium ei ex constitutione Claudii separatur. *L. 3. §. 4. b.*

A R G V M E N T V M.

23. Qui dotem soluto matrimonio sibi stipulatur, dum eam dicit, constituit, est dum dos secuto matrimonio fiat, rei suae legem dicere potest. (*L. 4. tit. 2. §. 128.*) Cum autem dos constituta mulieris sit, (*L. 2. tit. 14. §. 14. 130.*) nequidem citra consensum filiae, licet in potestate existentis, pater post dotem constitutam ex interuallo eam sibi stipulari potest: *L. 29. ff. sol. matrim. L. 40. ff. cod.* quoniam ex facto alieno nemo obligatur, nec iure suo priuatur. (*L. 2. tit. 14. §. 264.*)

O B S E R V A T I O.

24. Interdum alia persona substituebatur, quae dotem quidem non dederat, eam in casum soluti matrimonii sibi nihilominus stipulabatur: cuius rei exemplum habetur, in *lege 11. ff. de Dote praelegata.*

A R G V M E N T V M.

§. 5. 25. Ergo etiam filiam familias in dote captam, dum patri consentit stipulanti dotem, non statim quam dedit, (§. 23.) vel adhibenti aliquem qui dotem stipularetur. (§. 24.) puto restituendam, quoniam dos ipsius filiae proprium patrimonium est. *L. 3. §. 5. b. (§. 17.)* Filia dotem habet, capta autem est in dote, dum post aliquod tempus pater dotem sibi stipulatur, vel alium subiicit, cui promittitur, et filia consentit. Dubitatur, quia filia patri dotem quaesuit. (*L. 1. tit. 6. §. 24.*) num filia debeat restitui, ne magis pater restituatur. (§. 17.) Sed dos filiae est (*L. 2. tit. 4. §. 30.*) ergo restituitur.

A R G V -

A R G V M E N T V M.

26. Si quis minor viginti quinque annis adrogandum se dedit, et in ipsa adrogatione se circumuentum dicat. (Finge enim a praedone (L. 3. tit. 5. §. 43.) eum hominem locupletem adrogatum) dico, eum debere audiri in integrum se restituentem. L. 3. §. 6. b. (§. 1.) §. 6.

A R G V M E N T V M.

27. Si quid minori fuerit filiofamilias legatum, post mortem patris, vel fideicommissum relictum, et captus est: forte dum consentit patri paciscenti, ne legatum peteretur: potest dici in integrum restituendum. Quoniam ipsius interest, (dum patri non quaesitum esse potuit legatum, quod demum post mortem eius relictum fuit,) propter spem legati, quod ei post mortem patris competit. L. 3. §. 7. b. (17.) §. 7.

A R G V M E N T V M.

28. Sed etsi ei legatum sit aliquid, quod personae eius cohaeret, puta ius militiae (quod patri non quaeritur, quippe cuius intuitu ipse filius paterfamilias est,) dicendum est, posse eum restitui in integrum. Interfuit enim eius non capi, cum hanc patri non acquireret, sed ipse haberet. L. 3. §. 7. b. (§. 17.)

A N N O T A T I O.

29. Militiae ius intelligo ordinem et dignitatem militarem cum stipendio annexo. L. 52. §. 2. ff. de act. emti et vend. Pecunia, qua militiae ius comparatum est, *casus militiae* vocabatur. Eius priuilegia exhibet L. fin. C. de pignor. Nou. 97. c. 4. Intelligi autem debet militia forensis, quae scribarum, praeconum et viatorum fuit, qui magistratibus in prouincijs apparebant. (L. 1. tit. 22. §. 13.) quidam ministriales perpetui fuerunt, (ib. §. 9.) ipsa militia vendi potuit. L. 52. §. 2. ff. de act. emti vend. et legari. L. 22. ff. de Legat. 2.

A R G V M E N T V M.

30. Et si haeres sit institutus, si a patre in diebus centum, (intra quos haereditas erat adeunda) sit emancipatus: mox patrem debuerit certiorare, nec fecerit (cum posset) qui eum emancipasset, si cognouisset: dicendum erit, posse eum restitui in integrum, parato patre eum emancipare. L. 3. §. 8. b. Haereditas soluta potestate filio obtingens rem patris non affici. Ergo silentio sibi nocuit filius reique suae, vnde restitutioni locus esse debet. (§. 17.) §. 8.

A R G V M E N T V M.

31. Pomponius adiicit: ex his causis, ex quibus in re peculiari filiofamilias restituuntur, posse et patrem quasi haeredem, nomine filii post obitum eius impetrare cognitionem. L. 3. §. 9. b. (L. 4. tit. 1. §. 6.) §. 9.

A R G V M E N T V M.

32. Si autem filius familias sit, qui castrense peculium habeat: procul dubio ex his, quae ad castrense peculium spectant, in integrum restituendus erit, quasi in proprio patrimonio captus. L. 3. §. 10. b. (L. 2. tit. 4. §. 22.) (§. 17.) §. 10.

ARGUMENTVM.

- §. II. 33. Seruus autem minor annis viginti quinque nullo modo restitui poterit, (vt qui iure ciuili nullus est, et cuius etiam nihil erat, in quo laedi posset: (L. 3. tit. 5. §. 102.) quoniam domini persona spectatur, qui sibi debet imputare, cur minori rem commisit. Quare et si per impuberem contraxerit, idem erit dicendum: vt et Marcellus libro secundo Digestorum scribit. Et si forte libera peculii administratio minori seruo sit concessa, maior dominus ex hac causa non restituetur. L. 3. §. II. h.

ANNOTATIO.

- Afric. L. 1. 34. Etenim quodcumque seruus ita gerit, voluntate domini gerere
 Quæst. L. 4. intelligendus est. (Seruus autem est instrumentum: (L. 1. tit. 6. §. 3.) Dominus autem his voluntatem imperat: (L. 1. tit. 5. §. 27.) Et magis hoc apparebit, si aut de institoria actione quaeratur (L. 2. tit. 13. §. 25.) aut si proponatur, maiorem annis viginti quinque negotium aliquod gerendum minori mandasse, et illum ea in re deceptum esse. L. 4. h. Denegatur igitur restitutio.

DEFINITIO.

35. Re mora fieri libertati dicitur, quando citra factum vel dolum alicuius libertas pure relicta non statim obuenit. L. 26. §. 1. ff. De fideicomm. libertat. (L. 3. tit. 3. §. 238. in f.)

ARGUMENTVM.

- Vlp. L. 11. ad Ed. L. 5. 36. Si tamen is seruus fuit, (qui restitui cupit) cui fideicommissaria libertas debebatur praefens, et fuit captus, cum re mora ei fit, poterit dici, praetorem ei succurrere oportere. L. 5. h. Nam iure liber habetur, cui re mora fit. cit. l. 26. §. 1. ff. de fideic. libert. (L. 2. tit. 4. §. 40. 41.)

ANNOTATIO.

- Id. L. 10. ad Ed. 37. Minoribus 25. annis subuenitur per in integrum restitutionem, non solum cum de bonis eorum aliquid minuitur, sed etiam cum inter ipsorum litibus et sumtibus non vexari. L. 6. h.

DEFINITIO.

- Id. L. 11. ad Ed. L. 7. pr. 38. Ait praetor: gestum esse dicitur: Gestum sic accipimus, qualiter siue contractus sit, siue quid aliud contigit. L. 7. pr. h. vt (L. 4. tit. 1. §. 15.) L. 3. tit. 5. §. 1.) L. 19. ff. de V. S. Si male defensus est, aut negotia eius improbe gesta sunt.

ARGUMENTVM.

- §. I. 39. Proinde, si emit aliquid, si vendidit, si societatem coiit, si mutuum pecuniam accepit, et captus est, ei succurreretur. L. 7. §. 1. h.

ARGUMENTVM.

- §. 2. 40. Sed et si ea pecunia a debitore paterno soluta sit, vel proprio (non tamen castrensi peculiari) et hanc perdidit: dicendum est, ei subueniri, quasi gestum sit cum eo. L. 7. §. 2. h. quia liberatio gestio est. (L. 3. tit. 5. §. 1.)

A N N O T A T I O.

41. Et ideo si minor conueniat debitorem, adhibere debet curatores, vt ei soluatur pecunia: caeterum non ei compelletur soluere. Sed hodie solet pecunia in aedem deponi, (vt Pomponius libro vicefimo octauo scribit) ne vel debitor vltra vsuris oneretur, vel creditor minor perdat pecuniam: aut curatoribus solui, si sint. Permittitur etiam ex constitutione principum debitori compellere adolescentem ad petendos sibi curatores. *L. 7. §. 2. b.*

R E G V L A.

42. Excusandus est, qui imperio magistratus obniti non audet. (*L. 1. tit. 1. §. 73.*)

A R G V M E N T V M.

43. Quid tamen, si praetor decernat soluendam pecuniam minori sine curatoribus, et soluerit? an possit esse securus, dubitari potest. Puto autem, si allegans minorem esse, compulsus sit ad solutionem, nihil ei imputandum: (§. 42.) nisi forte quasi aduersus iniuriam appellandum quis ei putet. Sed credo praetorem hunc minorem in integrum restitui volentem auditorum non esse. *L. 7. §. 2. b.* forte, quia eum quasi maiorem decreto probauit.

A R G V M E N T V M.

44. Non solum autem in his ei succurritur, sed etiam in interuentionibus (*L. 2. tit. 8. §. 32.*) vtputa, si fideiussorio nomine se vel in rem suam obligauit. *L. 7. §. 3. b.* (est enim gestio. (*L. 3. tit. 5. §. 1.*))

§. 3.

A N N O T A T I O.

45. *Vel in rem suam:* id est: etiamsi minor debitor sit, et creditoris sui creditori fideiusserit, modo laesionem probet.

A N N O T A T I O.

46. Pomponius (autem) videtur adquiescere distinguentibus: arbiter ad fideiussores probandos constitutus, eum probauit, an vero ipse aduersarius? Mihi autem semper succurrendum videtur, si minor sit, et se circumuentum doceat. *L. 7. §. 3. b.*

A N N O T A T I O.

47. Si arbiter minorem fideiussorem probauit, quod in rem suam fideiussor recte fieri queat, quodque interuentio eius non sit subiectio, alieno debito facta, secundum Pomponium non debuit restitui, quia non laedebatur proprium debitum soluens: altero casu debebat restitui, quia probationi aduersarii non aequae standum erat ac arbitri. Sed ideo semper succurrendum minori Vlpianus autumat, quia per fideiussionem in alterius debiti qualitatem succeditur, quae quando durior est, minorem omnino grauat, licet eadem summa debiti sit, et licet arbitri approbatio accesserit, (*L. 2. tit. 2. §. 16.*) Si per iniuriam minor ab arbitro probaretur, qui nequidem in rem suam accedebat, creditori appellare licebat. (*L. 2. tit. 8. §. 64.*)

A R G V -

ARGUMENTVM.

- §. 4. 48. Sed et in iudiciis subuenitur: (minori) siue dum agit, siue dum conuenitur, captus sit. *L. 7. §. 4. b.* Quis enim dubitet, hos actus effectum iuris post se relinquere? (*L. 3. tit. 5. §. 1.*) (*L. 2. tit. 3. §. 9.*)

ARGUMENTVM.

- §. 5. 49. Sed et si haereditatem minor adiit minus lucrosam, succurritur ei, vt se possit abstinere: nam et hic acceptus (captus) est. Idem et in bonorum possessione (*L. 2. tit. 1. §. 1.*) vel alia successione. *L. 7. §. 5. b.*

ARGUMENTVM.

50. Aetatis imbecillitati subuenitur (§. 1.) Non solum autem filius, qui se miscuit paternae haereditati, sed et si aliquis sit ex necessariis (haeredibus *L. 2. tit. 11. §. 78.*) minor annis, simili modo restitutionem impetrabit: veluti si seruus sit cum libertate institutus: (*L. 2. tit. 14. §. 77.*) dicendum enim erit, si se miscuit, posse ei subueniri aetatis beneficio, vt habeat bonorum suorum (ab haereditariis rebus) separationem (*L. 7. §. 5. b.*)

DEFINITIO.

51. Separatio bonorum est rerum eadem vniuersitate comprehensarum, diuerso iure affectarum ab se inuicem per praetorem facta discretio.

ARGUMENTVM.

52. Plane, qui post aditam haereditatem restituitur, debet praestare, si quid ex haereditate in rem eius peruenit. *L. 7. §. 5. b.* Omnino, vi separationis (§. 51.)

ANNOTATIO.

53. Nec perit per aetatis imbecillitatem. *L. 7. §. 5. b. (§. 1.)*

OBSERVATIO.

- §. 6. 54. Hodie certo iure vtimur, vt et in lucro, (in acquisitionibus ex causa lucratiua) minoribus succurratur. *L. 7. §. 6. b.* *L. 2. tit. 8. §. 38.*) Merito autem dubitatum fuit, quia laesio in hoc non est, quod mea nihil interest. Videtur autem praetor occasionem lucri iure obtingentem in facultate, et fere in bonis minoris computasse, qua aetatis imbecillitate fraudatus sit.

ARGUMENTVM.

- §. 7. 55. Quoniam legatum causam lucratiuam habet, (*L. 4. tit. 3. §. 108.*) Pomponius quoque libro 28. scribit: Et si sine dolo cuiusquam legatum repudiauerit, vel in optionis legato captus sit, dum elegit deteriores: vel si (ipse minor) duas res promiserit, illam aut illam, et pretiosiores dederit, (cum deteriores dare voluisse praesumatur, (*L. 1. tit. 1. §. 226.*) debere subueniri (et subueniendum est.) *L. 7. §. 7. b.*

ARGUMENTVM.

- §. 8. 56. Quaesitum est ex eo, quod in lucro quoque minoribus subueniendum dicitur, (§. 54.) si res eius venierit, et existat, qui plus liceatur:

tur: an in integrum propter lucrum restituendus sit? Et quotidie praetores eos restituunt, vt rursus admittatur licitatio. *L. 7. §. 8. b.*

ARGVMENTVM.

57. Idem faciunt (et) in rebus, quae seruari eis debent, (quae distractae, minorum maiore lucro seruatae essent. (§. 54.) Quod circumspicere erit faciendum. Caeterum, (si alienata indistincte reuocarentur) nemo accedet ad emptionem rerum pupillarum, nec si bona fide distrahantur. *L. 7. §. 8. b.*

OBSERVATIO.

58. Quando minor maturi et circumspicere iudicii esse adseritur, ita vt ei succurri non debeat, contra statum eius ordinarium adseritur.

POSITIO.

59. Et districte probandum est in rebus, quae fortuitis casibus subiectae sunt, non esse minori aduersus emtorem succurrendum: nisi aut sordes aut euidentis gratia tutorum siue curatorum doceatur. *L. 7. §. 8. b.*

PROBATIO.

Quando adseritur, quod minori succurrendum non sit, eo ipso affirmatur, eum esse iudicio et animo firmato atque maturo: id quod contra statum eius ordinarium adseritur (§. 58.) nec ergo praesumitur (*L. 1. tit. 1. §. 224.*) Sed quod contra praesumptionem adstruitur, apertissime probari debet. (*L. 2. tit. 14. §. 61.*) Ideo districte probandum est, non esse minori aduersus emtorem succurrendum: etiam in rebus, quae facile casu pereunt aut corrumpuntur. Casus praesumptio pro emtore militat, aetatis pro minore. Huius autem fauore illa excluditur, et emtor luculenter probare tenetur. Veruntamen, si sordes vel gratia tutorum curatorumue doceatur, tum minor non restituitur, quoniam a curatore actione tutelae vtili indemnitas praestari debet, quae subsidiariam restitutionem haecenus excludit. (*L. 3. tit. 3. §. 172.*)

ARGVMENTVM.

60. Restitutus autem, cum se haereditati misceat, vel eam adeat, quam repudiauit, rursus restitui poterit, vt se abstineat, et hoc et rescriptum et responsum est. *L. 7. §. 9. b.* Nam et tunc animi imbecillitate laesus est. (§. 1.) Alias restitutio ex eadem captione plus simplici vice non dabatur. PAVLVS *L. 1. Sent. tit. 7.* §. 9.

OBSERVATIO.

61. Sed quod Papinianus libro secundo responsum ait: minori substitutum seruum necessarium fore; (*L. 2. tit. 14. §. 77.*) (*L. 2. tit. 8. §. 73.*) et si fuerit restitutus minor, (aduersus repudiatam haereditatem,) liberum nihilominus remanere: (*L. 4. tit. 3. §. 22.*) si autem prius minor adiit haereditatem, (quo ipso substitutio exstinguitur, quia non defecit institutio. (*L. 2. tit. 8. §. 73.*) mox abstinuit, substitutum pupillo seruum cum libertate, non posse haeredem existere, neque liberum esse, non per omnia verum est. *L. 7. §. 10. b.* §. 10.

POSITIO.

62. Nam si non est soluendo haereditas, abstinente se haerede, et Diuus Pius rescripsit, et Imperator noster, et quidem in extraneo pupillo locum fore necessario substituto. *L. 7. §. 10. b.*

P R O B A T I O.

Quando haereditas non est soluendo, et haeres institutus extraneus abstinens est, solus modus seruandi vltimam voluntatem superest, vt seruus substitutus fiat haeres necessarius. (L. 2. tit. 8. §. 73.) Quoniam vero vltimae voluntates omni quo possunt modo seruandae sunt, (L. 3. tit. 5. §. 14.) idcirco casu hoc locus futurus est necessario haeredi.

O B S E R V A T I O.

63. Testamentorum condendorum ratio in vrbe et ditione Romana successu temporis varia fuit. Initio comitiis calatis fieri debuerunt testamenta: §. 1. I. de testam. ordin. Nam natura impossibile fuit, vt extraneus familiae membrum fuerit. (L. 3. tit. 5. §. 14.) vt persona defuncti in haerede superstes sit, vt et per hunc voluntas defuncti continuetur, quia naturaliter omnia mors soluit. Proinde actu legis populoque auctore opus fuit, vt haec ciuili ratione et ad effectum iuris legitime expedirentur, (L. 1. tit. 7. §. II.) THEOPHILVS L. 2. Instit. tit. 10. §. 1. Testamentum calatis comitiis tempore pacis fiebat bis in anno, hoc modo: Praeco vniuersam circumibat ciuitatem, populum conuocans, tumque qui testamentum condere volebat, ipse teste populo testamentum scribebat. Ex quo etiam dictum est, calatis comitiis; nam calare est vocare. Haec ergo comitia, bis in anno conuocari solita, proprie dicuntur calata: aliis omnia sic appellata fuisse persuasum est. In calatis ergo populus suffragia nulla tulit, vnde nec in Curias vel Centurias diuisus est, et suffecit eius in septem colles distributio. Non dico distributum esse in comitiis, sed vrbis haec distributio topographica fuit. Caeterum promiscue coiuisse ciues, cum nec suffragia ferenda et numeranda fuerint in dictis comitiis. Nam Seruius Tullius, Vrbs ambitum dilatauit duobus ad quinque collibus additis! DIONYSIVS HAL. L. 4. pag. 327. In transitu obseruo, septem testes ad sollempnitatem testamenti iure ciuili requisitos, seruare adhuc hodie imaginem septem collium, siue, populi Romani, cuius in istis Comitiis nulla alia distributio obseruata fuit. Nam teste et auctore populo testamentum demum valere poterat. Inde originem traxit numerus testium quinarius, in vltimis voluntatibus minus sollempnibus, imo et contractibus mere ciuilibus, (L. 3. tit. 3. §. 226.) requisitus, quasi memoria primorum quinque collium antiquioris Romae. Hinc actus continuus, quia testatori male conuenisset totum populum morari, vel ad actum imperfectum populum testem et auctorem rogare. Porro praesentia testium inde declaratur, populo ad Comitia congregato: et quod testator tabulas testamenti tenens ita dixit: *Haec vti in tabulis cerisue scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor. Itaque vos Quirites testimonium praebitote.* VLPIANVS in fragm. tit. 20. item, quod sponte adesse debent testes, ex libertate populi Romani est: et quod intelligere debeant testamentum fieri, nam hic erat inter alia finis comitorum. Rogati debent esse testes, quod conuocationem liberi populi adumbrat: Idonei sunt, quoniam praeter ciues masculos nemo vocabatur. De procincto, siue militari testamento, non est opus dicere. Porro, cum haec duae species tantum in usu essent, eueniebat, vt quonnulli subitaneo morbo correpti, intestati morerentur, neque enim calatis comitiis testabantur, quia nondum instabat tempus, neque item in procinctu, quia bellum non erat, in quo militarent. Deinde et illud mali

*mali omnis videbatur, sano quempiam et valente corpore, testamentum facere. Ob haec igitur tertia species inuenta est, quae per aes et libram dicebatur. Fiebat autem per emancipationem. Porro emancipatio est imaginaria venditio. (L. 3. tit. 3. §. 226.) L. 1. tit. 6. §. 34.) In hunc vero modum vendebatur. Quinque aderant testes et libripens, ciues Romani atque puberes. Atque his praesentibus is, qui successor defuncti erat, futurus, patrimonium morituri emebat, verba quaedam dicens sollemnia, quae nunc frustra sit referre, et imaginarii pretii nomine nummum rerum domino dabat, appellabaturque is, qui emebat, familiae emtor. THEOPHILVS loc. cit. Ex his quaedam dubie dicta esse apparet. Hoc enim testamentum antiquissimum crediderim; nam quinque testes pro quinary populi diuisione in priores colles posses accipere. Mancipium antiquissimum ius sapit. Ait lex XII. Tabb. *Qui nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita ius esto.* Haec FESTVS explicat de testamento. (L. 3. tit. 3. §. 226.) Adeoque testamentum per mancipationem vel nexum fuit, quod per aes et libram fiebat. At familiae emtor non erat ipse haeres, sed emtor ille fiduciarius, qui vero haeredi familiam restitueret: idque Theophilus in sequentibus habet: *unde complures pro veteri more familiae emtorem adhibebant, qui imaginaria emtione patrimonium morituri emeret: sed testator seorsim in tabulis aut chartis, quem sibi haeredem esse vellet, scribebat.* Idem docet PLVTARCHVS libello de sera Dei vindicta: *Romanos cum testamenta conscribunt, alios haeredes relinquere, aliis vero patrimonium ipsum vendere.* Hoc testamentum per aes et libram reuocabatur. CICE-RO II. de Leg. Fuit hic testandi mos ante ius XII. tabb. quippe mentio eius sit in modo citata lege, ut moris vsitati, et ipsa lex non est introductoria ritus istius, sed confirmatoria. Quin ipse Theophilus in verbis modo allegatis veterem morem agnoscit. Videtur autem prius testamentorum genus scriptum, alterum nuncupatum fuisse, ob verba legis XII. Tabb. *uti lingua nuncupassit.* Et nisi hoc per nexum antiquius est, quam quod calatis comitiis fiebat, certe coaeuum esse potest. Denum ex edicto Praetoris iuris honorarii testamentum, eiusque peculiare genus esse coepit, conflatum e prioribus, de quo Iustinianus tractat. §. 2. I. De testam. ordin.*

ARGVMENTVM.

64. Ergo testamentum instrumentum publicum est, et testamenti factio, utpote actus legitimus, est actus publicus, et ius ex ciuitate competens.

POSITIO.

65. Pupillus haereditate absentus, sed restitutus, non fit haeres.

PROBATIO.

Cum restitutio sit indemnificatio in bonis subsidiaria, atque iuris priuati remissio (L. 2. tit. 8. §. 36.) cumque indemnificatio bonorum non sit haeredis institutio, (L. 3. tit. 5. §. 14.) §. 63.) nec legis de haerede vel haereditate dispositio: Haeres autem non fiat nisi voluntate testatoris aut dispositione legis. (L. 1. tit. 7. §. 76.) et ipsa restitutio tantum in priuatis fiat. (L. 2. tit. 8. §. 36.) L. 4. tit. 3. §. 81.) Liqueat, quod pupillus haereditate absentus per subsequentem restitutionem non fiat haeres.

ARGUMENTVM.

66. Et quod ait: liberum manere: (§. 61.) tale est, (ita intelligi potest,) quasi non (et) haeres maneat, cum pupillus impetrat restitutionem, posteaquam abstentus est. Cum enim pupillus (per restitutionem) haeres non fiat, sed viles actiones habeat, (L. 1. tit. 7. §. 69.) L. 2. tit. 14. §. 96.) sine dubio haeres manebit, qui semel extitit. L. 7. §. 10. b.

OBSERVATIO.

67. Terminus appellationis 10. dierum est: iure antiquo in propria causa biduum, in aliena triduum.

DEFINITIO.

68. Eremodicium est, instantiae desertio ab alterutro litigatorum facta.

ANNOTATIO.

69. Alia autem est vadimonii desertio, ab eremodicio diuersa, quam solus reus committit, quia vades iudicii sistendi causa dedit.

ARGUMENTVM.

§. 11. 70. Item, si non prouocauit intra diem subuenitur vt prouocet: §. 12. finge enim hoc desiderare. L. 7. §. 11. b. Item et in eremodiciis ei subuenitur: constat autem, omnis aetatis hominibus restaurationem eremodicii praestari, si se doceant ex iusta causa auiisse. L. 7. §. 12. b. (L. 4. tit. 1. §. 1. §. 13.) L. 2. tit. 9. §. 15.)

ARGUMENTVM.

Hermog. L. 1.
Iur. Epit.
L. 8.

71. Minor etiam, si quasi contumax condemnatus sit, in intergrum restitutionis auxilium implorabit. L. 8. b. Contumacia est confessio tacita. (L. 2. tit. 3. §. 19.) et propterea gestio, quae effectum iuris operatur, (L. 3. tit. 5. §. 1.) proinde quasi contumax minor restituitur. Quasi: hoc loco improprietatem non significat. Nam etsi minor vere contumax est, tamen ignorasse creditur, quid contumacia gerat.

OBSERVATIO.

72. Pignora capiebantur, quando quis debito vel officio minus satisfaciebat. Cogebantur Senatores Senatui interesse pignoribus captis, id est: rebus eorum arrestatis, vti hodie loquimur. GELLIVS L. 14. c. 7. vnde et contumacis et refractarii bona vel res pignori capi solitum est. De ordine in pignoribus capiendis seruando vide (L. 3. tit. 4. §. 30.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 11.
ad Ed.
L. 9. pr.

73. Si ex causa iudicati pignora minoris capta sint, et distracta, mox restitutus sit aduersus sententiam praesidis vel procuratoris Caesaris, videndum, an ea (pignora) reuocari debeant, quae distracta sunt. Nam illud certum est, pecuniam ex causa iudicati solutam ei (minori) restituendam. (Hoc facile fieri potest, quia in quantitate affectionis nullum pretium est, vti in corporibus rerum.) Sed interest ipsius corpora (rerum distractarum) potius habere: (et) puto interdum permittendum, id est, si grande damnum sit minoris. L. 9. pr. b. Nam iuri singulari parcus indulgendum, si in grauamen tertii vergit. (L. 2. tit. 12. §. 10.)

REGV-

R E G V L A.

74. Quod in fauorem alicuius introductum est, in eius laesionem detorqueri non debet. *L. 5. §. 1. C. de sec. nupt.* (L. 1. tit. 3. §. 26.)

A R G V M E N T V M.

75. In dotis quoque modo mulieri subuenitur, si vltra vires patrimonii, vel totum patrimonium circumscripta in dotem dedit. *L. 9. §. 1. b.* (§. 74.) §. 1.

A R G V M E N T V M.

76. Nunc videndum minoribus, vtrum in contractibus captis duntaxat subueniatur, an etiam delinquentibus, vt puta dolo aliquid minor fecit in re deposita vel commodata, vel alias in contractu: an ei subueniatur, si nihil ad eum peruenit: (nam si quid ad eum peruenit, dubium non est: (L. 3. tit. 5. §. 121.) et placet in delictis minoribus non subueniri, nec hic itaque subuenietur. Nam et si furtum fecit, vel damnum iniuria dedit, non ei subuenietur. *L. 9. §. 2. b.* (L. 4. tit. 3. §. 61.) et delictum non geritur. §. 2.

O B S E R V A T I O.

77. Quando quis poenae et damni vitandi causa mentitur, dolum committit, et negatione facti sui contra bonam fidem satisfactioni actoris moram iniicit, et poenam merito incurrit. (L. 4. tit. 3. §. 4.) Hinc actiones quaedam inficiando in duplum crescunt, adeo, vt si quis factum proprium, quod nescire nequit, negaverit, conuictus duplum restituere cogatur. (L. 3. tit. 6. §. 42.) Apparet inde, quod legumlatores inficiationem ad interrogationem legalem ad factum antecedens retraxerint; ipsae autem sponsores in iure factae et prouocationes per Sacramentum (L. 2. tit. 3. §. 1. 9.) ciuiles fuerunt. Actiones, quae inficiando in duplum crescunt, recenset. *PAVLVS Sentent. L. 1. tit. 19.*

P O S I T I O.

78. Sed si cum ex damno dato confiteri possit, ne dupli teneatur, maluit negare, in hoc solum restituendus sit, vt pro confesso habeatur. *L. 9. §. 2. b.*

P R O B A T I O.

Minor, cui inficiando lis in duplum crescit, ex actu ciuili laeditur, qui iuris effectum producit (§. 77.) proinde ex gestione laeditur (L. 3. tit. 5. §. 1.) Restituitur autem solum, quatenus ex gestione laesus est, (§. 38. 76.) Ergo minor in hoc solum restituendus est, quod gessit, nempe, vt pro confesso habeatur, et ne dupli teneatur.

A N N O T A T I O.

79. Quod autem iniuria damnum intulit, delictum est, et non restituitur (§. 76.) ergo in simplum tantum condemnatur, quasi confessus sit.

A R G V M E N T V M.

80. Furtum est delictum; sed de furto transigere, vel actionem furti admittere, ciuile negotium est. Ergo et si potuit pro fure damnum decidere magis,

magis, quam actionem dupli vel quadrupli pati, ei subuenietur. *L. 9. §. 2. b.* (§. 38.)

ARGUMENTVM.

- §. 3. 81. Si mulier cum culpa diuertisset, velit sibi subueniri, vel si maritus, puto restitutionem non habendam est, enim delictum non modicum. Nam (et) si adulterium minor commisit, ei non subuenitur. *L. 9. §. 3. b.* Diuortium praesertim culpofum gestio dici nequit, nam nullus effectus priuati iuris, nexus vel facultas inde oritur. (§. 38.) Exemplum culpa sua diuertentis Hyppiae ob gladiatoris amores, describit *IUVVENALIS Sat. 6.*

ARGUMENTVM.

- §. 4. 82. Papinianus ait, si maior annis viginti, minor viginti quinque se in seruitutem venire patiat, id est: si pretium participatus est, non solere restitui. Sed hoc merito: quoniam res nec capit restitutionem, cum statum mutat. *L. 9. §. 4. b.* Nam seruus restitui nequit. (§. 33.)

ARGUMENTVM.

- §. 5. 83. Si in commissum incidisse *ve*ctigalis dicatur, erit in integrum restitutio. (*L. 3. tit. 5. §. 1.*) quod sic erit accipiendum, si non dolus ipsorum (fraudandi animus) interueniat: caeterum cessabit restitutio. *L. 9. §. 5. b.* (*L. 4. tit. 3. §. 61.*) Dolus autem delictum demonstrat. (*L. 1. tit. 1. §. 22.*) ex quo non datur restitutio. (§. 76.)

ARGUMENTVM.

- §. 6. 84. Aduersus libertatem quoque minori a praetore subueniri impossibile est. *L. 9. §. 6. b.* (*L. 4. tit. 3. §. 22.*) Nam praetor est iuris priuati custos, (*L. 1. tit. 14. §. 1.*) Libertas autem status est, (*L. 1. tit. 5. §. 4.*) et publici iuris.

ARGUMENTVM.

- Paul. L. 11. ad Ed. L. 10.* 85. Nisi ex magna causa hoc a principe fuerit consecutus. *L. 10. b.* (*L. 1. tit. 7. §. 121.*)

ARGUMENTVM.

- Vlp. L. 11. ad Ed. L. 11. pr.* 86. Verum vel de dolo, vel utilis actio in id, quod minoris interfuit, non manumitti: proinde, quicquid hic haberet, si non manumisisset, id ei nunc praestabitur. *L. 11. pr. b.* (§. 66.)

ANNOTATIO.

87. De dolo agit, si dolo impetrata libertas nocet, (*L. 4. tit. 3. §. 21.*) si dolo non est nocitum, vtilis actiones praestantur: e. gr. haereditatis petitio, *Legis Aquiliae*, etc.

ARGUMENTVM.

88. Sed et nomine earum rerum, quas dominicas seruus manumisus supprimebat, competunt aduersus eum actiones ad exhibendum, et furti, et condictio: Videlicet, quoniam et manumisus eas contrectabat. *L. 11. pr. b.* nam perseverantia suppressionis contrectatio est. (*L. 3. tit. 5. §. 124.*) et re obligatur. (*Ib. §. 121.*)

A R G V M E N T V M.

89. Caeterum ex delicto in seruitutem facto domino aduersus eum post libertatem actio non competit: (quia exhibitio tanto beneficio delicto venia data esse censetur. (L. 1. tit. 1. §. 240.) et hoc rescripto Diui Seueri continetur. L. 11. pr. h. Alexandri Seueri. L. 1. C. de noxal. act. qui etiam in sequentibus intelligitur.

O B S E R V A T I O.

90. Ius Romanum aetatum diuisiones et subdivisiones agnoscit. Pubertas habet diuisionem in annos pubertati proximos (L. 4. tit. 3. §. 62.) et latitudo quaedam tribuitur maiorenitati, ita vt 20 annis minores et maiores distinguantur in lege Aelia Sentia. §. 4. Inst. *Qui et ex quib. causis. Lege 1. ff. Quib. ad libert. proclam. non licet.* In lege 9. §. 4. et sequenti textu huius tituli. Proximi pubertati doli capaces iudicantur. (§. 82.)

A R G V M E N T V M.

91. Quid si minor viginti quinque annis maior viginti hac lege vendiderit: (seruum) vt manumittatur. (Ideo proposui maiorem viginti, quoniam et Scaeuola scribit libro quarto decimo Quaestionum:) Et magis est, vt sententia constitutionis Diui Marci ad Aufidium Victorinum, hunc, (id est minorem viginti annis) non complectatur. Quare videndum, an maiori viginti annis subueniatur. Et si quidem ante desideret restitui, quam libertas competat, (quando emtor nondum manumissus) audietur: sin vero postea, non possit. L. 11. §. 1. b. (L. 4. tit. 3. §. 22.) §. 1.

A N N O T A T I O.

92. Editiones quaedam habent: *se vendiderit*: quod reliqua textus non admittunt, et emendatiores non agnoscunt. Dum seruus nondum manumissus est, nec re libertati mora facta (§. 35. 36.) restitutio statum non tangit, sed nudam gestionem, et hoc casu partes praetoris sunt; sed libertate iam collata, vel existentia conditionis aut diei competente, contra libertatem restitutio non indulgetur. (L. 4. tit. 3. §. 22.) §. 84.)

A R G V M E N T V M.

93. Item, quaeri potest, si is, qui emit hac lege, (vt manumittatur) minor sit, an restitui possit? Et siquidem nondum libertas competit, erit dicendum, posse ei subueniri: sin vero posteaquam dies venit, voluntas maioris venditoris libertatem imponit. L. 11. §. 1. b. (L. 4. tit. 3. §. 22.) et praesens libertas non potest reuocari. (§. 36.)

A R G V M E N T V M.

94. Ex facto quaesitum est: Adolescentes acceperant curatorem, Saluianum quendam nomine. Hic cum curam administrasset, beneficio principis vrbicam procurationem erat adeptus, et apud praetorem se a cura adolescentium excusauerat absentibus eis. Adolescentes adierant praetorem, desiderantes in integrum aduersus eum restitui, quod esset contra constitutiones excusatus. Cum enim susceptam tutelam non

non alii soleant deponere, quam qui trans mare reipublicae causa ab-
sunt, vel hi, qui circa principem sunt occupati, vt in consiliarii Menan-
dri Arrii persona est indultum: meruisset autem Saluianus excusatio-
nem, adolescentes quasi capti in integrum restitui a praetore desidera-
uerant. Aetrius Seuerus, quia dubitabat ad Imperatorem Seuerum
retulit, ad quam consultationem Successor (Cuiacius: successori) eius Be-
nidio Quietio rescripsit: nullas partes esse Praetoris: neque enim con-
tractum (gestionem) §. 38.) proponi eum minore annis viginti quin-
que, sed principem interuenire et reducere hunc ad administra-
tionem (tutela) qui perperam esset a praetore excusatus. *L. II. §. 2. b. (§. 85.)*

ARGUMENTVM.

- §. 3. 95. Sciendum est autem, non passim minoribus subueniri, sed
causa cognita, si capti esse proponantur. *L. II. §. 3. b.* Nam captio non
praesumitur. (*L. 3. tit. 3. §. 22.*) maxime cum contra ordinarium et praesumptum
hominum morem affirmatur. (*L. 2. tit. 14. §. 61.*)

ARGUMENTVM.

- §. 4. 96. Item, non restituetur, qui sobrie rem suam administrans, (ita
vt casum fortuitum nequidem imprudentia informauerit,) occasione damni
non inconsulte (non ex inconsulta et imprudenti gestione) accidentis, sed
fato velit restitui: nec enim euentus (fortuitus) damni restitutionem
indulget, sed inconsulta facilitas, (Casus fortuitus non geritur. §. 38.) et
ita Pomponius libro vicesimo octauo scripsit. *L. II. §. 4. b.*

ANNOTATIO.

97. Vnde Marcellus apud Iulianum notat: si minor sibi seruum
necessarium comparauerit, mox decesserit, non debere eum restitui.
Neque enim captus est emendo sibi rem pernecessariam, licet morta-
lem. *L. II. §. 4. b.* Nam casus est. (§. 96.)

ARGUMENTVM.

- §. 5. 98. Si locupletis haeres existit, et subito haereditas lapsa sit, puta,
praedia fuerunt, quae chasinate perierunt, insulae exustae, serui fuge-
runt aut decesserunt: Iulianus quidem libro quadragesimo sexto sic lo-
quitur, quasi possit minor in integrum restitui. Marcellus autem apud
Iulianum notat, cessare in integrum restitutionem: neque enim aetatis
lubrico captus est. (§. 1.) adeundo locupletem haereditatem: Et quod
fato contingit, cuius patrifamilias, quamuis diligentissimo, possit con-
tingere. *L. II. §. 5. b.*

ARGUMENTVM.

99. Sed haec res afferre potest restitutionem minori, si adiit haereditatem in qua res erant multae mortales, (mortalitatis periculo exposi-
tae) vel praedia urbana (terrae motibus obnoxia, quae res in Italia frequens pe-
riculum adfert,) aes autem alienum graue; quod (per aetatis imbecillita-
tem) non prospexit posse euenire, vt demorianatur mancipia, praedia
ruant:

ruant: vel quod non cito distraxerit haec, quae multis casibus obnoxia sunt. *L. 11. §. 5. b.*

REGVLA.

100. Rationes aequales secum pugnantes, quiescunt.

ANNOTATIO.

101. Item quaeritur, si minor aduersus minorem restitui desiderat, an sit audiendus: Et Pomponius simpliciter scribit, non restituendum. *L. 11. §. 6. b. (§. 100.)* §. 6.

ARGVMENTVM.

102. Puto autem inspiciendum a praetore, quis captus sit. *L. 11. §. 6. b.* Nam eripiendum, quod quis inique tenet, (*L. 1. tit. 7. §. 138.*) *L. 3. tit. 5. §. 121.*

ARGVMENTVM.

103. Proinde si ambo capti sunt, verbi gratia, minor minori pecuniam dedit, et ille perdidit: melior est causa, secundum Pomponium eius, qui accepit, et (vel) dilapidauit vel perdidit. *L. 11. §. 6. b.* et cessat restitutio. (§. 100.)

DEFINITIO.

104. SCtum Macedonianum est ius quo cauetur, ne creditoribus filiorum familias efficax actio detur.

REGVLA.

105. Eorum quae ius confirmant, ratio potior esse debet, quam eorum, quae praeter ius, vel quae contra rationem iuris, vtilitatis priuatae causa, recepta sunt. (*L. 1. tit. 1. §. 243.*)

ARGVMENTVM.

106. Ergo actiones praetoriae annales sunt.

ARGVMENTVM.

107. Plane si minor annis cum filiofamilias maiore contraxerit, et Iulianus libro quarto Digestorum et Marcellus libro secundo Digestorum scribit, posse in integrum restitui: vt magis aetatis ratio, quam Senatus consulti habeatur. *L. 11. §. 7. b. (§. 105.)* Etenim ratio iuris et aequitatis postulat obligationem minoris vitiosam non sustineri a praetore: (*L. 4. tit. 2. §. 2.*) sed creditori filiofamilias actionem denegare, consilium prudentiae est, contra ius receptum, secundum quod suum cuique restituendum est. §. 7.

DEFINITIO.

108. Senatusconsultum Velleianum est ius a Senatu Romano constitutum, quo foeminis pro aliis intercedentibus auxilium praestatur contra sexus leuitatem. (*L. 2. tit. 8. §. 31. seq.*)

ARGVMENTVM.

109. Ideo SCtum Velleianum ius naturae confirmat, dum obligationem iocuiam, et per inconsiderantiam sexus fragilis claudicantem infirmit. (*L. 4. tit. 1. §. 2.*)

OBSERVATIO.

110. Quia foeminae tantum leues esse solent in obligationibus effectus non praesentis: minores autem semper: ideo minorum fauor in restitutionibus maior est, quam foeminarum.

ARGUMENTVM.

Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 12. 111. Si apud minorem mulier pro alio intercesserit, (L. 2. tit. 14. §. 196.) non est ei actio in mulierem danda, sed perinde atque caeteri per exceptionem submoueri debet: scilicet, quia communi iure in priorem debitorem ei actio restituitur. (Nam restitutio in hunc etiam competit, quia minor gestione sua eum liberauerat.) Haec (obtinent,) si soluendo sit prior debitor, alioquin mulier non vtetur Senatus Consulti (Velleiani) auxilio. L. 12. b. (§. 110.) L. 4. tit. 3. §. 18.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 11. ad Ed. L. 13. pr. 112. In causae cognitione versabitur vtrum soli ei succurrendum sit, an etiam his, qui pro eo obligati sunt, vt puta fideiussoribus. Itaque, si cum scirem minorem, et ei fidem non haberem, tu fideiusseris pro eo, non est aequum, fideiussori in necem meam subueniri: (Fideiussor, qui sciens pro minore intercedit, cui creditor alias non credidisset, tacite videtur renunciaisse beneficio, ex conditione minoris competente) sed ipsi potius deneganda erit mandati actio. L. 13. pr. b. Ita minor contra fideiussorem restitutione non indiget mandati agentem. (L. 3. tit. 2. §. 59.) L. 2. tit. 12. §. 8.) quia redire non potest fideiussor ad id, cui renunciandum putauit. (L. 1. tit. 7. §. 92.)

ANNOTATIO.

113. Ordinarie fideiussor in debitum, quale in principali est, succedit, (L. 2. tit. 2. §. 16.) et minoris fideiussor restitui deberet. At hic tacite conuentum est, ne in hanc qualitatem fideiussor accedat. Nisi hoc ponimus, minor mandati obligabitur, et restitutione opus habebit, sic vt actionem exceptione elideret. Hic autem deneganda plane erit mandati actio. In alio fideiussore aliter obseruari debet. Ergo. In summa perpendendum erit praetori, cui potius subueniat, vtrum creditori an fideiussori? nam minor captus neutri tenetur. L. 13. pr. b.

ARGUMENTVM.

114. Facilius in mandatore dicendum erit, non debere ei subuenire. Hic enim velut affirmator fuit et suasor, vt cum minore contraheretur. L. 13. pr. b. Mandator non succedit in qualitatem debiti minoris, sed sit auctor periculo suo. (L. 3. tit. 5. §. 28.)

ANNOTATIO.

115. Vnde tractari potest, minor in integrum restitutionem vtrum aduersus creditorem, an et aduersus fideiussorem implorare debeat, et puto tutius aduersus vtrumque. L. 13. pr. b.

ARGVMENTVM.

116. Caussa enim cognita (L. 4. tit. 1. §. 3.) et praesentibus aduersariis (§. 193. infra) vel si per contumaciam desint, (L. 2. tit. 12. §. 6.) in integrum restitutiones perpendendae sunt. L. 13. pr. b.

ARGVMENTVM.

117. Interdum autem restitutio et in rem datur minori, id est, aduersus rei eius possessorem, licet cum eo non sit contractum, vt puta, rem a minore emisti, et alii vendidisti, potest desiderare interdum aduersus possessorem restitui, ne rem suam perdat, vel re sua careat, (dum ex ipsa re ipse interest, (§. 73.) et hoc vel cognitione praetoria, (extraordinaria) vel rescissa alienatione dato in rem iudicio. (L. 3. tit. 5. §. 213.) Pomponius quoque libro vicesimo octauo scribit, Labeonem existimasse, si minor 25. annis fundum vendidit, et tradidit, si emtor rursus eum alienauit, si quidem emtor sequens scit, rem ita gestam, restitutionem aduersus eum faciendam, (et quidem statim, siue prior emtor soluendo sit, siue non; nam periculum restitutionis in se recepit, (L. 3. tit. 5. §. 107.) Si ignorauit, et prior emtor soluendo esset, non esse faciendam. (Hic rem a secundo emtore comparare potest, et restituere.) Sin vero non esset soluendo, aequius esse minori succurri, etiam aduersus ignorantem, (ne minor rei inopia laedatur) quamuis bona fide emtor est. L. 13. §. 1. b. (§. 73.)

ARGVMENTVM.

118. Plane quamdiu is, qui a minore rem accepit, aut haeres eius idoneus sit, (vt rem a secundo emtore pretio redimere possit) nihil noui constituendum est in eum, (restitutio minoris in secundum non est admitenda) qui rem bona fide emerit. Idque et Pomponius scribit. L. 14. b. Restitutio aduersus gestionem fit. (L. 2. tit. 8. §. 36.) quare prius aduersus gerentem dabitur, vel eius haeredem. Praeterea quoque restitutio iuri eius detrahit, qui innocenter et bona fide emit, ideo restrictius aduersus hunc admitti debet. (L. 1. tit. 1. §. 243.)

ANNOTATIO.

119. Sed vbi restitutio datur (in posteriorem emtorem) posterior emtor reuerti ad auctorem suum poterit. L. 15. b. qui de euictione tenetur. (L. 3. tit. 3. §. 225.)

ARGVMENTVM.

120. Per plures quoque personas si emtio ambulauerit, idem iuris erit. L. 15. b. (§. 117.)

ARGVMENTVM.

121. In caussae cognitione etiam hoc versabitur, num forte alia actio possit competere (qua minor indemnitas praestetur) citra in integrum restitutionem. Nam si communi (ordinario) auxilio et mero iure (ciuili) munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium, (L. 2. tit. 10. §. 16.) vt puta, cum pupillo contractum est sine tutoris auctoritate: nec

locupletior factus est. *L. 16. pr. b.* Nam tutus est exceptione. (*L. 2. tit. 14. §. 178.*)

DEFINITIO.

122. Ipso iure nullum est, quod sui contradictorium inuoluit.

DEFINITIO.

123. Contradictorium inuoluit, quod eandem rem sui contrariam esse dicit, et quod idem simul ponit et tollit.

POSITIO.

Contractus bonae fidei dolo malo initus est ipso iure nullus.

PROBATIO.

Contractus bonae fidei dolo malo initus sui contrarium inuoluit, et aequitatem simul iniquitatem esse dicit. (*L. 1. tit. 7. §. 137.*) *L. 4. tit. 2. §. 127.*) ideo contradictorius est (*§. 123.*) Quod autem contradictorium est, ipso iure nullum est, (*§. 122.*) ergo contractus bonae fidei, dolo malo initus, est ipso iure nullus.

ANNOTATIO.

§. 1. 124. Item relatum est apud Labeonem, si minor circumscriptus societatem coiërit, vel (etiam) donationis causa, (quae per *L. Cinciam* non licebat) nullam esse societatem, nec inter maiores quidem. *L. 16. §. 1. b.*

OBSERVATIO.

125. *Lex Cincia* muneris donationibus modum statuit. Excepit certas personas: reliquis sine sollemnitate mancipationis vel traditionis donare vetuit. *L. 4. Cod. Theodos. De donat. siquidem clandestinis ac domesticis fraudibus facile quidvis pro negotii opportunitate confingi potest*, ait *L. 5. ib.* nimirum in fraudem aliorum. Quae certae illae personae fuerint ignoratur: alias de donatione inter virum et uxorem irrita, propior ratio reddi posset, quam quae supra data est. (*L. 4. tit. 1. §. 2.*)

ARGUMENTVM.

126. Et ideo cessare partes praetoris. Idem et *Ofilius* respondit: satis enim ipso iure munitus est. *L. 16. §. 1. b.* Hinc subsidiarium remedium cessat. (*L. 2. tit. 10. §. 16.*) *L. 2. tit. 12. §. 8.*)

ARGUMENTVM.

§. 2. 127. *Pomponius* quoque refert libro viceesimo octauo: cum quidam haeres rogatus esset, fratris filiae (minori) complures res dare ea conditione, vt si sine liberis decessisset, restitueret eas haeredi: et haec defuncto haerede haeredi eius cauisset, se restitutam: (noluit autem testator haeredis haeredi restitui, et laesa est minor hac cautione) *Aristonem* putasse: in integrum restituendam. Sed et istud *Pomponius* adiicit, quod potuit incerti condici haec cautio, (*L. 2. tit. 2. §. 26.*) condicit autem cautionem, quae incerta est. (*L. 2. tit. 3. §. 15.*) etiam a maiore; non enim ipso iure, sed per conditionem munitus est. *L. 16. §. 2. b.*

REGVLA.

128. Et generaliter probandum est, vbi contractus non valet, pro certo praetorem se non debere interponere. *L. 16. §. 3. b.* Nam restitutio solummodo laeso succurrit. (*L. 2. tit. 8. §. 36.*) (*L. 2. tit. 12. §. 8.*)

§. 3.

ANNOTATIO.

129. Ipso iure munitus dicitur, qui tutus est, ab intentione actoris ex ea ipsa gestione, qua obligatus esse videtur, aut alia iuris dispositione, sine facto aliquo provisorio, quod tutum eum sistat.

OBSERVATIO.

130. Pretia rerum ab aestimatione hominum pendent: variant pro raritate, abundantia, aliisque circumstantiis. Quando ergo carius vendo quam emi, quam alii vendidi, quam alius vendit, dolum non committo, quoniam emtor scire debet, an rei emtae vsus sui pretium valiturus sit. Vnde emtio venditio sua natura lucrum secum fert: cum lucro et damno venditur interdum, idemque ita emitur; Nouella 97. dicit hoc circumuenire *ἐμπροκίως*, quod puto significare, quasi ex consueta emtionis natura.

ARGVMENTVM.

131. Idem Pomponius ait: in pretio emtionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumuenire. *L. 16. §. 4. b.* (§. 130.)

§. 4.

ANNOTATIO.

132. Nam et res minima restitutionem et laesionis mentionem non meretur.

OBSERVATIO.

133. Nunc videndum, qui in integrum restituere possunt. Et tam praefectus vrbi, quam alii magistratus pro iurisdictione sua restituere in integrum possunt, tam in aliis causis, quam contra sententiam suam. *L. 16. §. 5. b.* (*L. 1. tit. 12. §. 1.*)

§. 5.

OBSERVATIO.

134. Praefecti etiam praetorio ex sua sententia (contra suam sententiam) in integrum possunt restituere, quamuis adpellari ab his non possit. (*L. 1. tit. 11. §. 4.*) Haec idcirco tam varie, quia appellatio quidem iniquitatis sententiae querelam (*L. 2. tit. 8. §. 87.*) in integrum vero restitutio erroris proprii veniae petitionem, vel aduersarii circumventionis allegationem continet. *L. 17. b.*

*Hermog. L. 1.
Iur. Epis.
L. 17.*

ANNOTATIO.

135. Dubitatum fuit, an is restituere queat contra propriam sententiam, a cuius sententia non datur appellatio, quasi huius sententia sit immutabilis, vel immunis ab omni grauaminis querela: Rationem, quod restitutio datur, Ictus reddit: diuersa esse, sententiam et magistratum non appellabilem atque irreprehensibilem, et ex aduerso reprehensionem malitiae alienae, vel etiam confessionem erroris proprii. Proinde verba: *ex sua sententia*: alium sensum non recipient, quam eum, *contra suam sententiam*.

ARGVMENTVM.

136. Quod restitutio in integrum neque meri neque mixti imperii fit, facile apparet. (*L. 1. tit. 21. §. 8. 11.*) Verum restitutio ad aequitatem reducit rigorem stricti iuris

iuris quod proprie iurisdictionis est: (L. 2. tit. 1. §. 7.) Itaque magistratus vi iurisdictionis contra propriam sententiam restituere potest. (§. 133. sequ.) Minor autem magistratus contra sententiam maiorum non restituet. *L. 18. pr. b.* Absurdum foret, minori in maioris sententiam potestatem esse.

OBSERVATIO.

§. 1. 137. Sin autem princeps sententiam dixit, perraro solet permittere, restitutionem, et induci in auditorium suum eum, qui per infirmitatem aetatis captum se dicat, dum ea, quae pro causa sunt, dicta (in prima audientia) non allegat, (captum se dicit, quod ea, quae pro causa sunt, in prima audientia non dicta esse, allegat) vel ab aduocatis proditum queratur. Denique Glabrimonem Acilium Diuus Seuerus et Imperator Antoninus non audierunt, incolorate (allegata saltem aetate minore et damno ex sententia non autem demonstrato grauamine iniusto) restitui desiderantem aduersus fratrem, post speciem in auditorio eorum finitam. *L. 18. §. 1. b.* Alias contra rescriptum ad falsa narrata impetratum, Imperator restitutionem non pollicetur, sed veritate probata, rescriptum retro nullum fore pollicetur. *L. 1. §. 1. ff. de appell. (§. 207. infra.)*

OBSERVATIO.

§. 2. 138. Sed et Percennio Seuero contra res bis iudicatas (a iudicibus non a Principe) in integrum restitui, Diuus Seuerus et Imperator Antoninus permiserunt in auditorio suo examinari, (*L. 18. §. 2. b.* Idem Imperator Licinnio Frontoni rescripsit, insolitum esse post sententiam vice sua (principis) ex appellatione dictam aliam in integrum restitutionem tribuere, nisi solum principem. *L. 18. §. 3. b. (§. 136.)* Sed etsi ab Imperatore iudex datus cognoscat, restitutio ab alio nisi a principe, qui iudicem destinauit, non fiet. *L. 18. §. 4. b.* Nam iudex non habet iurisdictionem, et alius magistratus inferior contra maiorem nempe principem restituere nequit. (§. 137.)

ANNOTATIO.

139. Etiam praefectum vrbi vice principis sententiam dixisse ex inscriptionibus docet CUIACIUS *Com. ad h. l. EVCHARIUS EPIFANIUS V. C. PRAEF. VRB. VICE SACRA IVD. Et: ANITIO PAVLINO PRAEF. VRBI VICE SACRA IVDICANTI.*

ARGUMENTVM.

§. 5. 140. Non solum autem minoribus, verum successoribus quoque minorum, datur in integrum restitutio, et si sint ipsi maiores. *L. 18. §. 5. b. (L. 4. tit. 1. §. 6.)*

ANNOTATIO.

Id. L. 13. ad Ed. L. 19. 141. Interdum autem successoribus plusquam annum (vtilem (L. 4. tit. 1. §. 11.) (L. 3. tit. 6. §. 30. 31.) dabimus, vt est edicto expressum: si forte aetas ipsius (successoris) subueniat. Nam post annum (suum) vicensimum quintum habebit legitimum tempus. (quadriennium, siue annum vtilem, ex persona defuncti.) Hoc enim ipso deceptus videtur, quod cum posset

posset restitui intra tempus statutum ex persona defuncti, hoc non fecit. Plane si defunctus ad in integrum restitutionem modicum tempus ex anno utili habuit, huic haeredi minori post annum vicensimum quintum (suum) completum, non totum statutum tempus ad in integrum restitutionem, sed id duntaxat tempus, quod habuit is, cui haeres extitit. *L. 19. b.* Succedit enim in ius defuncti, quod fuit tempore mortis. (L. 1. tit. 7. §. 75.)

DEFINITIO.

142. Exul est, qui ciuitatis suae solum vertit, vel. voluntarie vel ex necessitate: saluo tamen iure gentium et ciuili.

ARGUMENTVM.

143. Papinianus libro secundo responforum ait: exuli reuerso (inaiori) non debere prorogari tempus in integrum restitutionis statutum (quadriennium, post adeptam maiorem aetatem) quia absuit: cum potuerit adire praetorem per procuratorem, nec dixit: vel praesidem (prouinciae) vbi erat. *L. 20. pr. b.* Nam ius actionum saluum habebat, (L. 2. tit. II. §. 25. 26.) sed derelinquendo praescriptioni locum fecit. (L. 3. tit. 6. §. 26.)

*Id. L. 11.
ad Ed.
L. 20. pr.*

ANNOTATIO.

144. Sed quod idem dicit, et indignum esse propter irrogatam poenam, (exilii) non recte. Quid enim commune habet delictum cum venia (priuilegio) aetatis? *L. 20. pr. b.*

ARGUMENTVM.

145. Si quis tamen maior viginti quinque annis intra tempus restitutionis (ex persona minoris competens, cui successor existit) statutum contestatus (prouocans ad restitutionem) postea destiterit, nihil ipsi proficit ad in integrum restitutionem contestatio: vt est saepissime rescriptum *L. 20. §. 1. b.* Si restitutionem petiit et destitit, vel si impetrauit, et contestatus poenituit: maior annis hoc fecit, ex sua persona, non defuncti minoris, et non restituitur.

§. 1.

ANNOTATIO.

146. Destitisse autem is videtur, non qui distulit, sed qui liti renunciauit in totum. *L. 21. b.*

*Id. L. 10.
ad Ed.
L. 21.*

ARGUMENTVM.

147. In integrum vero restitutione postulata aduersus aditionem a minore factam, si quid legatis expensum est, vel pretia eorum, qui ad libertatem aditione eius peruenerunt, a minore refundenda non sunt. *L. 22. b.* Quia in his vltima voluntas seruata est, (L. 3. tit. 5. §. 14.) quia fauor libertatis versatur, (L. 2. tit. 12. §. 14.) et quia nihil lucratur minor (C. 52.)

*Id. L. 11. ad
Ed.
L. 22.*

ARGUMENTVM.

148. Quemadmodum per contrarium, cum minor restitutus ad adeundam haereditatem, quae antea gesta erant per curatorem bonorum, decreto praetoris ad distrahenda bona, secundum iuris formam consti-

constitutum, rata esse habenda, Calpurnio Flacco Seuerus et Antoninus rescripserunt, *L. 22. b.* Hunc textum cum temperamento 'paragraphi 73. accipiendum puto.

A R G V M E N T V M.

Paul. L. 11. ad Ed. L. 23. 149. Cum mandatu patris filius familias res administraret, non habet beneficium restitutionis: (§. 18. sequ.) nam si et alius ei mandasset, non succurreretur, cum eo modo maiori potius confuleretur. (§. 17.) cuius damno res sit cessura. *L. 23. b.*

A R G V M E N T V M.

150. Sed si euentu damnum minor passurus sit, quia quod praestiterit (impenderit) seruare ab eo, cuius negotia gessit, non potest, quia is non erit soluendo, sine dubio praetor interueniet. *L. 23. b. (§. 17. 18.)*

A R G V M E N T V M.

151. Si autem ipse dominus (negotii) minor sit, procurator vero maioris aetatis, non potest facile dominus audiri, (ae procurator per eum restituatur. (§. 17.) nisi si mandatu eius gestum erit, nec a procuratore seruari res possit, (§. 117. 118.) Ergo, et si procuratorio nomine minor circumscriptus sit, imputari debet hoc domino, qui tali commisit sua negotia. (Restituetur enim minor procurator contra mandati actionem directam, manente contraria contra dominum.) Idque et Marcello placet. *L. 23. b.*

A R G V M E N T V M.

Paul. L. 1. Sent. L. 24. pr. 152. Quodsi minor sua sponte negotiis maioris (vt negotiorum gestor) interuenierit, (ita) restituendus erit, ne maiori (ignoranti) damnum accidat. *L. 24. pr. b.* Si res male gesta, et minor non restitutus fuerit. Hic ipse maior aetate ob ignorantiam restitutionem meretur, est enim circumscriptio. (*L. 4. tit. 1. §. 1.*)

A R G V M E N T V M.

153. Quodsi hoc facere recusauerit, (restitui se non passus sit) tunc si conuentus fuerit negotiorum gestor, aduersus hanc actionem non restituitur, (forte quod dolus eius arguitur: (*L. 4. tit. 3. §. 61.*) vel quod alio remedio saluus esse potest, vti hic docetur.) sed compellendus est sic (ei) cedere auxilium in integrum restitutionis, vt procuratorem eum in rem suam (*L. 2. tit. 2. §. 12.*) faciat, vt possit per hunc modum damnum sibi propter minorem contingens resarcire. *L. 24. pr. b.*

A N N O T A T I O.

§. 1. 154. Non semper autem ea, quae cum minoribus geruntur, rescindenda sunt, sed ad bonum et aequum redigenda sunt, (iniquitas gestionis corrigenda salua gestione) ne magno incommodo huius aetatis homines adficiantur, nemine cum his contrahente, et quodammodo commercio eis interdicitur. Itaque, nisi aut manifesta circumscriptio sit, aut tam negligenter in ea causa versati sunt, praetor interponere se non debet. *L. 24. §. 1. b. (§. 57.)*

A R G V M E N T V M.

155. Scaeuola noster aiebat: si quis iuuenili leuitate ductus, omiserit vel repudiauerit haereditatem, vel bonorum possessionem, si quidem omnia in integro sint, omnimodo audiendus est. *L. 24. §. 2. b.* In lucro restituendus est minor, si alius non capiatur: id est, si res adhuc integra est. (§. 59.) §. 2.

A R G V M E N T V M.

156. Si vero iam distracta haereditate et negotiis finitis ad partem pecuniam laboribus substituti (haeredis) veniat, repellendus est, (Haereditate distracta, in haereditatem quae desit, restitui nequit. (L. 1. tit. 1. §. 216.) multoque parcus ex hac causa haereditatem minoris restituendum esse. *L. 24. §. 2. b.* (§. 140.) L. 2. tit. 12. §. 10.)

A R G V M E N T V M.

157. Si seruus vel filius familias minorem circumscripserit, pater, dominusue, quod ad eum peruenerit, restituere iubendus est. *L. 24. §. 3. b.* Nam re obligatur. (L. 3. tit. 5. §. 121.) L. 1. tit. 7. §. 138.) §. 3.

A R G V M E N T V M.

158. Quod non peruenerit ex peculio eorum praestare: *L. 24. §. 3. b.* Nam peculium gestione filii vel serui oneratur. (L. 2. tit. 4. §. 21.) L. 2. tit. 13. §. 23.)

A R G V M E N T V M.

159. Si ex neutro satisfiet, et dolus serui interuenerit, (ita ut fraus delictum fiat, (L. 1. tit. 1. §. 72.) aut verberibus castigandus, aut noxae dandus erit, (L. 2. tit. 1. §. 33. sequ.) sed et si filius familias hoc fecit, ob dolum suum condemnabitur. *L. 24. §. 3. b.* (L. 2. tit. 1. §. 24.) §. 18.)

A R G V M E N T V M.

160. In integrum restitutio est abolitio gestionis, (L. 2. tit. 8. §. 36.) Restitutio autem ita facienda est, ut unusquisque in integrum ius suum recipiat. Itaque si in vendendo fundo circumscriptus restituetur, iubeat praetor emptorem fundum cum fructibus reddere, et pretium recipere. *L. 24. §. 4. b.* (§. 52.) §. 4.

A N N O T A T I O.

161. Nisi si tunc dederit, cum eum perditurum non ignoraret, sicuti facit in ea pecunia, quae ei consumturo creditur. *L. 24. §. 4. b.* si emptor tunc pretium soluit minori, cum perdere poterat, restitutio etiam solutionem hanc nociuam complectitur, adeoque emptor pretium non recipit.

A R G V M E N T V M.

162. Sed parcus in venditione, quia aes alienum ei soluitur, quod facere necesse est, credere autem non est necesse. (si consumturo minori pecunia creditur, donasse et perituram iactasse videtur credens: qui vero soluit ex emptoris obligatione, rationem facti sui allegare potest.) Nam et si origo contractus ita constitit, ut infirmata sit, (si gestio non fuit nulla,) si tamen
 PAR. IIII. B b necesse

necesse fuit pretium solui, non omnimodo emtor damno adficiendus est. *L. 24. §. 4. b.* (L. 2. tit. 12. §. 10.)

ANNOTATIO.

163. Quod dicitur: *contractus origo ita constitit, ut infirmanda sit*: aperte confirmat, contractum summo iure subsistentem vitio aliquo latente, vel quasi laborare et claudicare. (L. 4. tit. 2. §. 35. 48.)

OBSERVATIO.

§. 5. 164. Ex hoc edicto nulla propria actio vel cautio proficiscitur: totum enim hoc pendet ex praetoris cognitione. *L. 24. §. 5. b.*

ARGUMENTVM.

Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 25. pr. 165. Illud nullam habet dubitationem, quin minor, si non debitum soluerit, ex ea causa, ex qua iure civili repetitio (condictio) non est danda, (si auctoritate rei iudicatae indebitum soluit. (L. 1. tit. 5. §. 61.) *L. 29. §. 5. ff. mand. fit ei utilis actio ad repetendum: (ex restitutione (§. 87.) cum et maioribus viginti quinque annis iustis ex causis dari solet repetitio. L. 25. pr. b.*

DEFINITIO.

166. Mandatum vniuersale vel generale est, quod de vniuersitate bonorum datur, non enumeratis negotiis.

DEFINITIO.

167. Mandatum speciale illud est, quod de negotiis vel gestionibus sigillatim enumeratis datur.

DEFINITIO.

168. Probatio est rei non praesumtae iudici facta fides.

ARGUMENTVM.

§. 1. 169. Si talis interueniat iuuenis, cui praestanda sit restitutio, ipso postulante praestari debet. *L. 25. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

170. Septendecim annis minor postulare non potest. (L. 3. tit. 1. §. 3.) Ergo legem sic intelligo: si talis iuuenis, eius nempe aetatis, interueniat, cui ipso postulante restitutio praestari debet. &c.

POSITIO.

171. Aut procuratore eius, cui id ipsum nominatim mandatum sit. *L. 25. §. 1. b.*

PROBATIO.

Restitutio in integrum est modus indemnitate subsidiarius adeoque extraordinarius (L. 2. tit. 10. §. 16.) et non praesumitur, nec intelligitur, quando generaliter, mandatum est. (L. 1. tit. 1. §. 224.) quod autem in mandato generali comprehensum esse non praesumitur, nec intelligitur, certe speciali mandato opus habet, quia tertium non datur (§. 167.) Igitur procuratori restitutionem postulanti specialiter mandatum esse debet.

ANNOTATIO.

172. Qui vero generale mandatum de vniuersis negotiis gerendis allegat, non debet audiri. *L. 25. §. 1. b.*

ARGV-

ARGVMENTVM.

173. Quodsi de speciali mandatu dubitetur, (propter obscuritatem vel aliam caussam, modo constet mandatum esse) cum restitutio postuletur, interposita stipulatione, ratam rem dominum habiturum, rei potest meri. *L. 26. pr. b. (L. 2. tit. 13. §. 61.)* *Paul. L. 11. ad Ed. L. 26. pr.*

ARGVMENTVM.

174. Quodsi is, qui circumscripsisse dicitur, absit, defensor eius satis iudicatum solui dare debet. *L. 26. §. 1. b. (L. 2. tit. 8. §. 84.)* §. 1.

ARGVMENTVM.

175. Patri pro filio omnimodo praestanda restitutio est, licet filius restitui nolit, (eadem imprudentia, qua in gestione captus est,) quia patris periculum agitur, qui de peculio tenetur. *L. 27. pr. b.* Nam pater legitimus filii defensor est, iure potestatis, et restitui nolenti, voluntatem supplet. (L. 1. tit. 5. §. 29.) Postulat secundum verum sensum huius legis pro filio restitutionem, uti antecedentia et consequentia de defensore indicant: Quoniam ipsius interest, cautionem de rato non praestabit. Adeo nulla contradictio est inter nostrum textum et superiores. (§. 17. sequ.) *Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 27. pr.*

ARGVMENTVM.

176. Ex quo apparet, caeteros agnatos vel adfines alterius esse conditionis, (non enim sunt defensores) nec aliter audiri oportere, quam si ex voluntate adolescentis postulent, (tanquam mandatarii) aut eius vitae sit iste adolescens, ut merito etiam bonis ei debeat interdici: (tanquam curatores lege vocati.) *L. 27. pr. b. (L. 2. tit. 2. §. 10.)*

ARGVMENTVM.

177. Si pecuniam quam mutuam minor accepit, dissipavit, denegare debet proconsul creditori aduersus eum actionem, *L. 27. §. 1. b. (§. 204.)* §. 1.

ARGVMENTVM.

178. Quodsi egenti minor crediderit, vltius procedendum non est, quam ut iubeatur iuuenis actionibus suis, quas habet aduersus eum, cui ipse credidisset, cedere creditori suo. *L. 27. §. 1. b.* Eandem pecuniam mutuam (§. 177.) si minor cuidam egenti rursus credidit: sed aduersus mutuum restitui desiderat; restituetur: sed in restitutione praetor eo non procedet, ut minoris creditorem penitus inanem dimittat, sed iubere debet minorem actionibus creditori suo cedere, quas habet aduersus debitorem suum. (L. 2. tit. 12. §. 10.)

ANNOTATIO.

179. Praedium quoque, si ex ea mutua pecunia pluris quam operet, emit, ita temperanda res erit, ut iubeatur venditor reddito pretio recipere praedium, ita ut sine alterius damno etiam creditor a iuvene suum consequatur. *L. 27. §. 1. b.* quia ius singulare non debet nocere aliis. (L. 2. tit. 11. §. 10.)

OBSERVATIO.

180. Domino licet rem suam negligere, (L. 1. tit. 19. §. 4.) at rem alienam negligentia deteriore reddere non licet: nec permittitur cuiquam versari in alieno in damnum domini: quia sic inuito domino rem tractaret, et iniuriam ei faceret, (L. 1. tit. 8. §. 58.) E contrario vero, si quis benefice et vtiliter versatur in re aliena, dominum id velle, et in administrationem talem consentire praesumitur. (L. 3. tit. 5. §. 3.) Non tantum quando nouit, rem alienam esse, verum etiam, quando suspicatur fore, vt res aliena deprehendatur, negligentem esse non conuenit. Exinde culpam leuissimam praestat negotiorum gestor, (L. 3. tit. 5. §. 25.) et ex eodem principio regula vulgaris dimanauit: *Per litis contestationem bonae fidei possessorem fieri malae fidei possessorem*: quae quidem per omnia vera non est, quia suspicio rei alienae exactissimam tantum diligentiam ei imponit: alias enim non tenetur rem bona fide possessam statim deferere.

REGULA.

181. Nemo tenetur temere ius suum indefensum relinquere. *L. 40. pr. ff. De haered. petit.*

ARGUMENTVM.

182. Quoniam bonae fidei possessor non est in mora, regulariter casum non praestat. (L. 3. tit. 5. §. 25. in fine.)

ARGUMENTVM.

183. Ex quo scilicet simul intelligemus, quid obseruari oporteat, si sua pecunia pluris, quam oportet emerit. *L. 27. §. 1. b.* Seruatur enim quod dictum est. (§. 179.) (160.)

ARGUMENTVM.

184. Vt tamen hoc et superiori casu venditor, qui pretium reddidit, etiam vsuras, quas ex ea pecunia percepit, aut (exactiori diligentia praestita) percipere potuit, reddat. *L. 27. §. 1. b.* (§. 180. 160.)

ARGUMENTVM.

185. Et fructus, quibus locupletior factus est iuuenis, recipiat item ex diuerso, si minore pretio, quam oportet, vendiderit adolescens: emtor quidem iuberi debet, praedia cum fructibus (perceptis et percipiendis, si sciuit conditionem minoris, (§. 180.) restituere, iuuenis autem eatenus ex pretio reddere, quatenus ex ea pecunia locupletior est. *L. 27. §. 1. b.* (L. 3. tit. 5. §. 121.) §. 160.)

ARGUMENTVM.

- §. 2. 186. Si minor annis viginti quinque sine caussa (L. 1. tit. 1. §. 228.) debitori acceptum tulerit, non solum in ipsum, sed et in fideiussores, et in pignora actio restitui debet. (§. 160.) Et si ex duobus reis (debeti) alteri acceptum tulerit, in vtrumque restituenda est actio: (Nam acceptilatio in rem est, et correo alteri quoque proficit. (L. 2. tit. 14. §. 133.) *L. 27. §. 2. b.* Ex hoc intelligimus, si damnosam sibi nouationem (L. 2. tit. 14. §. 143.) fecerit, forte, si ab idoneo debitore ad inopem, nouandi caussa,

caussa, transtulerit obligationem, oportere eum in priorem debitorem restitui. *L. 27. §. 3. b.* Per remedium rescindens. (*L. 4. tit. 1. §. 16.*)

ANNO TATIO.

187. Si qua correctio praeter rationem et necessitatem tentata est, certe illa est, quod quidam loco *nouationem*, legerunt: *donationem*.

ARGVMENTVM.

188. Aduersus eos quoque restitutio praestanda est, (ob minorem aetateni) quorum de dolo agere non permittitur. (*L. 4. tit. 3. §. 54. sequ.*) Haec enim ex aetate competens restitutio propriam imprudentiam acculat, alterius dolum non expresse arguit) nisi quaedam personae speciali lege exceptae sint. *L. 27. §. 4. b.* vt parens, patronus *L. 2. C. Qui et aduersf. quos.* Vtrum in vltimis verbis Emblemata Triboniani sit, secundum *CVIACIVM in Comm. ad b. textum*, an non, quod *BYNKERSHOEK* defendit, *L. 7. Obsf. c. 112.* nihil turbat.

§. 4

REGVLA.

189. Connexa eadem patiuntur accidentia.

ARGVMENTVM.

190. Cum minor (quam) quinque et viginti annis aduersus eum, cum quo tutelae egit, restituitur, non ideo tutori contrarium tutelae iudicium restituendum est. *L. 28. b.* Actiones tutelae, directa et contraria, non sunt connexae nec mutuae relationis, consistit vna sine altera, neque altera alteri praecipuat; quare nec vna restituta altera restituitur. (*§. 189.*) Aliter se res habet in merce et pretio, quae relatione mutua connexa sunt.

Celf. L. 2.
Dig.
L. 28.

ARGVMENTVM.

191. Etiam si patre eodemque tutore (fiduciario) auctore, pupillus (a tertio quodam) captus probari possit; curatorem postea ei datum nomine ipsius in integrum restitutionem postulare, non prohiberi. *L. 29. pr. b.* (*Conf. Tit. I. de fiduc. tut.*)

Modest. L. 2.
Resp.
L. 29. pr.

ARGVMENTVM.

192. Ex causa curationis condemnata pupilla aduersus vnum caput sententiae restitui volebat: (et) quia videtur in caeteris litis speciebus releuata fuisse, Actor maior aetate, (qui proinde restitutionem petere non poterat) qui acquieuit tunc temporis sententiae, dicebat, totam debere litem restaurare, (omnem litem in integrum restitui, colore (*§. 160.*) Herennius Modestinus respondit: si species, in qua pupilla in integrum restitui desiderat, caeteris speciebus non cohaeret, nihil proponi, cur a tota sententia recedi actor postulans audiendus est. *L. 29. §. 1. b.* Si reliquae species ex hac non pendent, restitutione totum non euertitur, nec ei in parte praecipuat. (*L. 1. tit. 6. §. 26. (§. 188. 189.)* In cit. *§. 160.* gestio in diuina intelligitur.

§. 1.

REGVLA.

193. Eius praesentia requiritur, cuius praecipuat in actu versatur.

A R G V M E N T V M.

194. Si haereditate patris aetatis beneficio in integrum restitutus, abstinuit se, nemine de creditoribus paternis (contra quos adeo minor restituebatur) praesente, vel ad agendum a praeside euocato, an ea restitutio recte facta videatur, quaeritur. Herennius Modestinus respondit: cum non euocatis creditoribus in integrum restitutionis decretum interpositum proponatur, minime id creditoribus praeciudicasse. *L. 29. §. 2. b. (§. 193.)*

D E F I N I T I O.

195. Bonorum possessio contra tabulas est modus consequendi rem haereditariam, quo praeter sollemnitate[m] testamentorum et fundamentum iuris ciuilibus bona defuncti adipiscitur, qui sanguine propior est.

A N N O T A T I O.

196. Filius emancipatus a familia exul erat, et haeres parenti non erat, nisi ex testamento. Ergo praeteritus, iure ciuili ad haereditatem aspirare non poterat. (*L. 1. tit. 6. §. 34.) L. 3. tit. 5. §. 14.)*

A R G V M E N T V M.

*Papin. L. 3.
Quaest.
L. 30.*

197. Si filius emancipatus contra tabulas non accepta possessione post inchoatam restitutionis quaestionem (dum adhuc minor annis erat) legatum ex testamento patris, maior viginti quinque annis, petiisset, liti renunciare videtur: cum et si bonorum possessionis tempus largiretur, electo iudicio defuncti, repudiatum beneficium praetoris existimaretur. *L. 30. b. (L. 2. tit. 14. §. 8.) L. 1. tit. 1. §. 213.)*

A N N O T A T I O.

198. Tempus petendae bonorum possessionis liberis et parentibus praefinitum fuit anni spatium; caeteris centum dierum. *§. 4. I. De possess. bonor.*

A R G V M E N T V M.

*Id. L. 9.
Resp.
L. 31.*

199. Si mulier, postquam haeres existit, propter aetatem abstinendi causa in integrum restituta fuerit: Seruos haereditarios ex fidei commisso ab ea recte manumissos, (quia libertati mora fieri non potest, (§. 36.) retinere libertatem respondi: (nam contra eam non datur restitutio. (§. 84.) nec erunt cogendi viginti aureos (pretium serui vulgaris: *L. 1. §. 5. C. de comm. seruo man.*) pro libertate retinenda dependere, quam iure optimo (sine omni onere) consecuti videntur. *L. 31. b.*

A R G V M E N T V M.

200. Nam et si quidam ex creditoribus pecuniam suam ante restitutionem ab ea reciperassent, caeterorum querela contra eos, qui acceperunt, vt pecunia communicetur, non admittetur. *L. 31. b. (§. 147.)* Neque enim consensu creditorum, neque legis dispositione debita haec communia facta sunt.

A R G V M E N T V M.

*Paul. L. 1.
Quaest.
L. 32.*

201. Minor viginti quinque annis adito praeside ex aspectu corporis falso probauit perfectam aetatem: curatores cum intellexissent esse

esse minorem, perseverauerunt in administratione: medio tempore post probatam (falso) aetatem, ante impletum vicesimum quintum annum, solutae sunt adolescenti pecuniae debitae, easque male consumpsit: quaero, cuius sit periculum: Et quid, si curatores quoque in eodem errore perseverassent, et putarent maiorem esse, et abstinuissent se ab administratione, curationem etiam (minori tanquam maiori) restituisent; an periculum temporis, quod post probatam aetatem cessit, ad eos pertineat? Respondi: hi, qui debita exsoluerunt, liberati iure ipso non debent iterum conueniri, (quia, quod praetor causa cognita decernit, pro veritate accipi potest. (L. 1. tit. 5. §. 61.) Plane curatores qui scientes eum minorem esse, perseverarunt in eodem officio, non dubitauerunt eum pati accipere pecunias debitas: (L. 3. tit. 3. §. 167.) et debebunt hoc nomine conueniri. Quodsi et ipsi decreto praesidis crediderunt, et administrare cessauerunt, vel etiam rationem reddiderunt: similes sunt caeteris debitoribus: (per hoc, quod impune et recte decretum magistratus pro veritate acceperunt) ideoque non conueniuntur. *L. 32. b.*

ARGUMENTVM.

202. Si minor viginti quinque annis seruum suum, qui pluris, quam in testamento ei legatum sit, manumittere rogatus fuerit, et legatum acceperit, non cogendum praestare libertatem (quia fauor fideicommissariae libertatis, modo nondum praestita sit, minoris restitutioni non obstat. (§. 91. 93.) si legatum reddere paratus sit: Iulianus respondit. *L. 33. b.* (§. 160.)

*Aburn. Va-
lens L. 6.
Fideic.
L. 33.*

ANNOTATIO.

203. Vt quemadmodum maioribus liberum sit, non accipere si nolint manumittere: sic huic reddenti legatum, necessitas manumittendi remittatur. *L. 33. b.*

ARGUMENTVM.

204. Si minor viginti quinque annis filiofamilias minori pecuniam credidit, melior est causa consumentis. (§. 103.) nisi locupletior ex hoc inueniatur litis contestatae tempore is, qui accepit. *L. 34. pr. b.* Nam locupletior factus, (L. 3. tit. 5. §. 37.) laesionem non patitur, et per hoc restitui nequit. (L. 2. tit. 8. §. 36.)

*Paul. L. 1.
Sens.
L. 34. pr.*

POSITIO.

205. Minores, si in iudicem compromiserunt, et tutore auctore stipulati sunt: integri restitutionem aduersus talem obligationem iure desiderant. *L. 34. §. 1. b.*

PROBATIO.

Minor compromittens tutore auctore se rite obligauit, quod ius suum opinioni arbitri committere velit: quo ipso viae iuris et iustitiae renunciat. (L. 2. tit. 8. §. 62.) Sed et inidonea eius esset actio, si tutorem vellet conuenire, quia stipulatio extra administrationem est. (L. 2. tit. 13. §. 81.) At minor, cui ordinario remedio sub-

subueniri nequit, quando laesus est, restitui iure desiderat (§. 1.) ergo minores proposito casu restitutionem recte desiderant.

ARGUMENTVM.

*Hermog. L. 1.
Jur. Ep.
L. 35.*

206. Si in emtionem, penes se collatam, (quam occupauerat. Legit enim CVIACIVS *Comment. ad h. l.* collocatam: at occupare idem est quod collocare. NON. MARCELLVS *L. 4. Lit. O. de propr. Serm.*) minor adiectione (pretii) ab alio superetur: implorans in integrum restitutionem audietur, si eius interesse emtam ab eo rem fuisse, adprobetur: veluti, quod maiorum eius fuisset: ita tamen, vt quod ex licitatione accessit, ipse offerat venditori. *L. 35. h.* Quippe restituito eius etiam in lucro fit. (§. 54.) sed ex aequo et bono fieri debet. (§. 154. 160.)

ARGUMENTVM.

*Paul. L. 5.
Sent.
L. 36.*

207. Minor viginti quinque annis omissam allegationem (iuris, facti imo et ipsius minorennitatis) per in integrum restitutionis auxilium repetere potest. *L. 36. h.* Puta, aetatis deliquio captus. (§. 137.)

ARGUMENTVM.

*Tryph. L. 3.
Disp.
L. 37. pr.*

208. Auxilium in integrum restitutionis executionibus poenarum (ad vindictam) paratum non est: ideoque iniuriarum iudicium semel omissum repeti non potest. *L. 37. pr. h.* Nam vindictam negligere gestio non est. (L. 3. tit. 5. §. 1.)

ARGUMENTVM.

§. 1.

209. Sed (et) in sexaginta diebus praeteritis, in quibus iure mariti sine calumnia vir accusare mulierem adulterii potest, denegatur ei in integrum restituito. (§. 208.) Quod ius omissum, si nunc repetere vult, quid aliud quam delicti veniam, id est, calumniae deprecatur. Et cum neque in delictis, neque in calumniatoribus: (nam calumnia dolum continet, (L. 2. tit. 7. §. 17.) praetorem succurrere oportere, certi iuris fit, cessabit in integrum restituito. *L. 37. §. 1. h.* (L. 4. tit. 3. §. 61.) Calumnia est iniustae litis attentatum, (cit. §. 17.) Mariti iure saltem intra 60. dies accusare licuit: *L. 14. §. 2. ff. ad L. Iul. de adult.* Perempta actione, si maritus in integrum restitui petat, vt post iure mariti accuset, calumniae, siue litis iniuste mouendae licentiam vel veniam, sibi exorat.

ANNOTATIO.

210. In delictis autem minor annis viginti quinque non meretur in integrum restitutionem, vtique atrocioribus (iure naturae prohibitis:) Nisi quatenus interdum miseratio aetatis ad mediocrem poenam iudicem produxerit. *L. 37. §. 1. h.*

ARGUMENTVM.

211. Sed vt ad Legis Iuliae de adulteriis coercendis praecepta veniamus, vtique nulla deprecatio adulterii poenae est, si se minor annis adulterum fateatur. *L. 37. §. 1. h.* (§. 76.)

REGVLA.

212. Leges et Iura non patrocinantur delictis.

A R G V M E N T V M.

213. Dixi: nec si quid eorum deliquerit, quae pro adulterio eadem lex ponit: Veluti, si adulterii damnatam sciens vxorem duxerit, aut in adulterio deprehensam vxorem non dimiserit, quaestumue de adulterio vxoris fecerit, pretiumue pro comperto stupro acceperit, aut domum praebuerit ad stuprum: Adulteriumue in eam committendum: et non sit aetatis excusatio aduersus praecepta legum ei, qui dum leges inuocat, contra eas committit. *L. 37. §. 1. b. (§. 212.) (L. 3. tit. 2. §. 18.)*

A N N O T A T I O.

214. Aemilius Larianus ab Obinio fundum Rutilianum lege commissoria emerat, data parte pecuniae, ita, vt si intra duos menses ab emptione reliqui pretii partem dimidiam non soluisset, inemptus esset: item, si intra alios duos menses reliquum pretium non numerasset, similiter esset inemptus. Intra duos priores menses Lariano defuncto, Rutiliana pupillaris aetatis successerat, cuius tutores in solutione cessauerunt. Venditor, denunciationibus tutoribus saepe datis, post annum eandem possessionem Claudio Telemacho vendiderat. Pupilla in integrum restitui desiderabat, victa tam apud Praetorem quam apud Praefectum vbi prouocauerat, (ad Principem). Putaui bene iudicatum, quod pater eius, non ipsa, contraxerat. (Praetor aetatis fragilitati, non tutorum in administrando negligentiae subuenit: (§. 1.) Imperator autem motus est, quod dies committendi in tempus pupillae incidisset, (ducto a contrario argumento minoris contrahentis, si contractus in tempus maioris aetatis incidit. (§. 9.) Neaque effecisset, ne pareretur legi venditionis. Dicebam, posse magis ea ratione restitui eam, quod venditor denunciando post diem quo placuerat esse commissum, et pretium petendo recessisse a lege sua (commissoria) videretur, (quasi nouus contractus erat; cunq̄ue hunc minus adimpleret pupilla, restituenda in rem (§. 117.) contra factum suum videbatur.) Non me moueri, quod dies postea transisset, non magis, quam si creditor pignus distraxisset, post mortem debitoris, die solutionis finita. (Quod pretium secundum legem commissoriam solutum non fuit, effecit, vt venditio nulla esset; quod species proposita satis demonstrat: proinde sine gestione pupillae. Ergo ex sententia Pauli Icti ei nulla restitutio danda fuit, quae sine sua gestione in contractum ipso iure nullum incidit. Ideo supra dixit: *quod pater eius contraxerat.*) Quia tamen lex commissoria displicebat ei, pronunciauit in integrum restituendam. Mouit etiam illud Imperatorem, quod priores tutores, qui non restitui desiderassent, suspecti pronuntiati erant. *L. 38. pr. b.*

*Paul. L. 1.
Decr.
L. 38. pr.*

A N N O T A T I O.

215. Quod dicitur: Non solere filiis familias post emancipationem adhuc minoribus, succurri in his, quae omisissent manentes in potestate; tunc recte dicitur: cum patri acquirere possunt. *L. 38. §. 1. b.*

§. 1.

(§. 17.) Patri autem acquireret, quando vellet restitui aduersus gesta, quibus peculium onerauerat, si hoc ipse pater in emancipatione ademerat.

ARGUMENTVM.

*Sacu. L. 2.
Dig.
L. 39. pr.*

216. Intra vtile tempus restitutionis apud Praesidem petierunt in integrum restitutionem minores, et de aetate sua probauerunt. Dicta pro aetate sententia, aduersarii, vt impedirent cognitionem praesidis, ad Imperatorem appellarunt, (super sententia de aetate.) Praeses in euentum appellationis caetera cognitionis distulit. Quaesitum est, si finita appellationis apud Imperatorem cognitione, et iniusta appellatione pronunciata, egressi aetatem deprehendantur, an caetera negotia (nempe restitutio) impleri possunt: cum per eos non steterit, quo minus res finem accipiat. Respondi, secundum ea, quae proponuntur, perinde cognosci, ac si nunc intra aetatem essent. *L. 39. pr. b.* Facto enim alieno, praesertim doloso, nemo suo iure priuatur. (L. 2. tit. 14. §. 262.) Et sententia praesidis per principem approbata, retro valet.

ARGUMENTVM.

§. 1.

217. Vendentibus curatoribus minoris fundum, (quem seruare conueniens erat) emtor extitit Lucius Titius, et sex fere annis possedit, et longe longeque rem meliorem fecit. Quaero cum sint idonei curatores, an minor aduersus Titium emtorem in integrum restitui possit? Respondi, ex omnibus quae proponerentur vix esse eum restituendum: nisi (si) maluerit omnes expensas, quas bona fide emtor fecisse, adprobauerit, ei praestare. (§. 160.) maximè cum sit ei paratum (promptum) auxilium, curatoribus eius idoneis constitutis. *L. 39. §. 1. b.* (L. 2. tit. 10. §. 16.) §. 121.)

ARGUMENTVM.

*Vlp. L. 5.
Opin.
L. 40. pr.*

218. Minor annis viginti quinque cui fideicommissum solui pronunciatum erat, cauerat id se accepisse, et cautionem eidem (minori) debitor quasi creditae pecuniae fecerat, (nouatione fideicommissi debitum in mutuum conuerterat. (L. 2. tit. 14. §. 143.) in integrum restitui potest, quia paratam ex causa iudicati persecutionem nouo contractu ad initium alterius petitionis (actionis mutui siue certi conditionis) redegerat. *L. 40. pr. b.* Laesus in eo erat, quia rem iudicatum in obligationem mutauerat.

ARGUMENTVM.

§. 1.

219. Praedia patris sui minor annis viginti quinque ob debita rationis tutelae aliorum, quam pater administrauerat, in solutum inconsulte dedit: ad suam acquitatem per in integrum restitutionem reuocanda res est, vsuris pecuniae, quam constitit, ex tutela deberi, repu-

reputatis, et cum quantitate fructuum perceptorum compensatis. *L. 40. §. 1. b. (§. 160. 52.)*

ARGUMENTVM.

220. Si iudex (restitutionis, id est, ipse Praetor) circumuento in venditione adolescenti iussit fundum restitui, eumque pretium emtori reddere, et hic nolit vti hac in integrum restitutione, poenitentia acta: exceptionem vtilem aduersus petentem pretium, quasi ex causa iudicati adolescens habere poterit, quia vnicuique licet contemneret haec, quae pro se introducta sunt, (L. 1. tit. 1. §. 199.) Nec queri poterit venditor (emtor) si restitutus fuerit in eam causam, in qua se ipse constituit, (emendo) et quam mutare non potuisset, si minor auxilium praetoris non implorasset. *L. 41. b.*

Iul. L. 45. Dig. L. 41.

ARGUMENTVM.

221. Praeses Prouinciae minorem in integrum restituere potest, etiam contra suam vel decessoris sui sententiam (§. 133.) quod enim appellatio interposita, (ad superiorem iudicem) maioribus praestat, hoc beneficio aetatis consequuntur minores, (tam ab ipso magistratu pronunciante, quam a superiore.) *L. 42. b.*

Vlp. L. 2. de Off. Praef. L. 42.

ARGUMENTVM.

222. De aetate eius, qui se maiorem annis viginti quinque dicit, causa cognita probandum est, (L. 1. tit. 7. §. 61.) quia per eam probationem in integrum restitutioni eiusdem adolescentis, et in aliis causis praeiudicatur. *L. 43. b.*

Marc. L. 1. de Off. Praef. L. 43.

ARGUMENTVM.

223. Non omnia, quae minores annis viginti quinque gerunt, irrita sunt, (per id, quod cum minore gesta sunt,) sed ea tantum, quae causa cognita eiusmodi deprehensa sunt, vel ab alio circumuente, vel sua facilitate decepti, aut quod habuerunt, amiserunt, aut quod acquirere emolumentum potuerunt, omiserunt, aut se oneri, quod non suscipere licuit, obligauerunt. *L. 44. b.* In his enim omnibus gestio est. (L. 3. tit. 5. §. 1.) Gestio autem non est ipso iure nulla, sed annihilatur. (L. 1. tit. 7. §. 34.)

Vlp. L. 5. Opin. L. 44.

ARGUMENTVM.

224. Etiam ei, qui prius quam nasceretur, vsucaptum amisit, restituentam actionem Labeo scribit. *L. 45. b.* Quia nascendo omnia iura integra seruantur. (L. 1. tit. 5. §. 20.)

Callistr. L. 1. Ed. mon. L. 45.

ARGUMENTVM.

225. Imperator Titus Antoninus rescriptis, eum, qui fraude tutoris aduersarium suum diceret absolutum, et (restitutione impetrata contra assertum suum) agere cum eo ex integro vellet, licentiam habere prius cum tutore (tutela) agere. *L. 45. b.* Nam de dolo non potuit, superflite restitutione. (L. 4. tit. 3. §. 13.)

ARGUMENTVM.

Paul. L. 2.
Resp.
L. 46.

226. Eum, qui ex sua voluntate (non iuris necessitate (L. 3. tit. 3. §. 93.) minorem annis in iudicio defendit, (eoque nomine iudicatum solui satisdedit, (ib. §. 63. 180.) et condemnatus est, ex causa iudicati posse condenari: nec eius quem defendit aetatem ad restitutionem impetrandam ei prodesse, (nec enim successor minoris est, (§. 140.) nec fideiussor (§. 20.) cum causam iudicati (ex sua stipulatione in eum dandam) recusare non possit. Ex quo apparet, nec eum (minorem) cuius nomine condemnatus est, auxilium restitutionis propter eam sententiam, (ex qua eius non interest,) implorare posse. L. 46. b.

ARGUMENTVM.

Scæv. L. 1.
Resp.
L. 47. pr.

227. Tutor vrgentibus creditoribus rem pupillarem bona fide vendidit: denunciante tamen matre (et) emtoribus (quod res pupillares sint.) Quaero, cum vrgentibus creditoribus distracta sit, nec de sordibus tutoris merito quippiam dici potest, (§. 59.) an pupillus in integrum restitui potest? Respondi, cognita causa aestimandum, nec idcirco, si iustum sit restitui, denegandum id auxilium, quod tutor delicto vacaret. L. 47. pr. b. Quia tutelae actio in tutorem probe administrantem non datur, in rem procedere licet. (§. 160.)

ARGUMENTVM.

§. 1.

228. Curator adolescentium praedia communia sibi et his, quorum curam administrabat, vendidit, (quod potuit in parte sua). Quaero: si decreto praetoris adolecentes in integrum restituti fuerint, an eatenus venditio rescindenda sit, quatenus adolescentium pro parte fundus communis fuit: Respondi, eatenus rescindi: (eatenus enim laesi dicuntur) nisi si emtor a toto contractu velit discedi, quod partem emturus non esset. L. 47. §. 1. b. Nam restitutio in alterius iniuriam non conceditur. (L. 2. tit. 12. §. 10.) §. 57. 160.)

ARGUMENTVM.

229. Item quaero: emtor vtrum a Seio et Sempronio pupillis pretium cum vsuris recipere deberet, an vero ab haerede curatoris? Respondi: haeredes quidem curatoris teneri (ad vsuras integrae Sortis (§. 184.) ob culpam hoc loco leuissimam (§. 180.) verum in Seium et Sempronium pro parte, qua eorum fundus fuit actiones dandas, vtique (scilicet) si ad eos accepta pecunia, (id est fors cum vsuris, si quas perceperunt) pro eadem parte peruenisset. L. 47. §. 1. b. (L. 4. tit. 2. §. 121.) (L. 3. tit. 5. §. 121.)

ANNOTATIO.

230. Tenentur curatores, nec tamen conueniuntur, si minores lucrum rei tenent: hoc ideo, ne praetor minores lucrum facere patiat, data in curatores vel haeredes eorum actio.

A R G V M E N T V M.

231. Minor se in id, quod fideiussit vel mandauit, (L. 3. tit. 5. §. 28.) in integrum restituendo, reum principalem non liberat. *L. 48. pr. b.* Principalis debitor non item succedit in debitum fideiussoris, ut hic in illius. (L. 2. tit. 2. §. 16.) *Paul. L. 1. Sent. L. 48. pr.*

A R G V M E N T V M.

232. Minor ancillam vendidit: si eam emtor manumiserit, ob hoc in integrum restitui non poterit. (L. 4. tit. 3. §. 22.) Sed aduersus emtorem quanti sua interest, actionem (in factum) habebit. *L. 48. §. 1. b.* (L. 2. tit. 7. §. 23.) §. 2.

A R G V M E N T V M.

233. Mulier minor viginti quinque annis, si pactioe dotis deterior conditio eius fiat, et tale pactum inierit, quod nunquam maioris aetatis constitutae paciscerentur, atque ideo reuocare velit, audienda est. *L. 48. §. 2. b.* (§. 23.) et fauor dotis cedit obligationi claudicanti. §. 2.

A R G V M E N T V M.

234. Si res pupillaris vel adolescentis distracta fuerit, quam lex distrahi non prohibet, (mobiliu: alias distractio esset nulla, nec opus esset restitutione (§. 124. 126.) venditio quidem valet: veruntamen, si grande damnum pupilli vel adolescentis versatur, etiamsi collusio (emtoris cum tutore) non intercessit, distractio per in integrum restitutionem reuocatur. *L. 49. b.* Sufficit, laesum esse pupillam. (§. 117.) *Vlp. L. 35. ad Ed. L. 49.*

A R G V M E N T V M.

235. Inius Diophantus Pomponio suo salutem. Minor 25. annis nouandi animo intercessit (§. 186.) pro eo, qui temporali actione tenebatur. (L. 3. tit. 5. §. 83.) tunc, cum adhuc supererant decem dies, et postea in integrum restitutus est: vtrum restitutio, quae creditori aduersus priorem debitorem datur, decem dierum sit, an plenior? (Supererant creditori 10. dies, intra quos adhuc agere poterat. Nouatione facta proprium tempus nouae actionis incipiebat. Sed restitutione secuta atque antiquae actionis termino interim elapso, quaeritur: an creditor in pristinum ius, quod fuit tempore nouationis, et adeo in istos decem dies restituatur.) Ego didici, ex tempore in integrum restitutionis tantundem temporis praestandum, quantum supererat: (id est: decem dies, qui tempore nouationis supererant. Nouatione ergo rescissa ius in tempus nouationis restituitur. (§. 160.) Tu, quid de eo putas, velim rescribas. Respondit: sine dubio, quod de temporali actione, in qua intercessit minor, sensisti, puto veritas esse: Ideo et pignus, quod dederat prior debitor, manet obligatum. *L. 50. b.* Sunt enim relata et connexa, debitum et pignus. *Pomp. L. 9. Epist. (et var. Lect.) L. 50.*

(§. 189.)

SS) o (SS

DE CAPIT E MINVTIS.

TIT. V.

DEFINITIO.

*Cui. L. 4. ad
Ed. pr.
L. 1.*

1. Capitis minutio est status permutatio. *L. 1. h. (L. 1. tit. 9. §. 16.)*

ANNOTATIO.

2. Ad hunc textum Gothofredus dubium mouet: Annon eodem modo status permutatio est capitis deminutio? quia filius morte patris statum mutat, non tamen capite minuitur: *L. 3. inf. ff. De Scto Macedon.* At vero filius familias, siue haeres sius siue exhaeredatus, familiae ius retinet, nec sui iuris effectus capite minuitur, imo magis augetur: (*L. 1. tit. 9. §. 16.*) ergo statum familiae non mutat, capitisque deminutionem non patitur. Siquidem statum non mutat, eiusdem familiae esse patrem familias vel filium familias. (*L. 1. tit. 1. §. 278.*) caput autem nihil est aliud, quam status.

OBSERVATIO.

*Vlp. L. 12.
ad Ed.
L. 2. pr.*

3. Pertinet hoc edictum ad eas capitis diminutiones, quae salua ciuitate contingunt: (reliquae enim iuris publici sunt, et iurisdictioni praetoris in has nulla potestas. (*L. 1. tit. 14. §. 1.*) Caeterum siue amissione ciuitatis, siue libertatis amissione contingat capitis diminutio, cessabit edictum: neque possunt hi penitus conueniri, (non seruus effectus, qui iure ciuili nullus (*L. 2. tit. 7. §. 10.*) non etiam ciuitate exutus, quia actiones ciuium erant. (*L. 2. tit. 14. §. 1.*) Dabitur plane actio (vtilis) in eos, ad quos bona peruenerunt eorum. *L. 2. pr. h. (L. 1. tit. 2. §. 39.)*

OBSERVATIO.

§. 1.

4. Ait praetor: Qui, quaeue, posteaquam quid actum contractumve sit, capite diminuti, diminutae, esse dicentur: in eos easue perinde, quasi id factum non sit, iudicium dabo. *L. 2. §. 1. h.* Na ex facto alieno quis laedatur. (*L. 3. tit. 1. §. 66.*)

ARGUMENTVM.

§. 2.

5. Hi, qui capite minuuntur ex his causis, quae capitis deminutionem praecesserunt, manent obligati naturaliter (non attenda mutatione iuris ciuilis ex capitis deminutione nata. (*L. 3. tit. 5. §. 128.*) Caeterum si postea (cum capite minuto contrahat) imputare quis sibi debet, cur contraxerit, quantum ad verba huius edicti pertinet. (*L. 2. §. 2. h. (§. 4.)*)

ARGUMENTVM.

6. Sed interdum, si contrahatur cum his post capitis diminutionem, danda est actio. Et quidem, si adrogatus sit, nullus labor: (nulla difficultas vel dubitatio oritur) nam perinde obligabitur vt filius familias. *L. 2. §. 2. h. L. 1. tit. 7. §. 2.)*

ARGV.

ARGVMENTVM.

7. Nemo delictis exuitur, quamuis capite minutus sit. *L. 2. §. 3. b.* §. 3.
 Nam capitis deminutio est ciuile quid, (*L. 1. tit. 9. §. 16.*) sed delictum personale
 est, (*L. 1. tit. 1. §. 70.*) quod personam comitatur de statu in statum. (*L. 3. tit. 2.*
§. 34.)

POSITIO.

8. Ei, qui debitorem suum adrogauit, non restituitur actio in eum, postquam (emancipatione) sui iuris fiat. *L. 2. §. 4. b.* §. 4.

PROBATIO.

Quia nemo simul debitor et creditor in idem subiectum existere potest, (*L. 3. tit. 3. §. 159.*) et nemo seipsum sibi obligatum habere, (*L. 1. tit. 1. §. 202.*) ideo actio mutui arrogatione debitoris per confusionem extinguitur. Quae ergo actio non erat emancipationis tempore, illa per emancipationem non erat amissa. (*L. 1. tit. 1. §. 216.*) At praetor non restituit actionem, quae capitis deminutione per emancipationem non erat amissa, (*§. 4.*) Ergo ei, qui debitorem suum adrogauit, non restituitur actio in eum, postquam emancipatione sui iuris factus est.

ARGVMENTVM.

9. Hoc iudicium perpetuum est, (nam causam bonorum habet (*L. 3. tit. 5. §. 82.*) cum et actiones in bonis esse censentur) et in haeredes (*L. 1. tit. 7. §. 75.*) et haeredibus datur. *L. 2. §. 5. b.* §. 5.

ARGVMENTVM.

10. Liberos, qui arrogatum parentem sequuntur, placet minui caput, cum in aliena potestate sint, et cum familiam mutauerint. *L. 3. pr. b.* (*§. 1. 2.*) (*L. 1. tit. 7. §. 10.*) *Paul L. 11. ad Ed. L. 3. pr.*

ARGVMENTVM.

11. Emancipato filio et caeteris personis (filia, nepote &c.) capitis minutio manifeste accidit: cum emancipari nemo possit, nisi in imaginariam seruilem causam deductus. *L. 3. §. 1. b.* (*L. 1. tit. 6. §. 34.*) sed et familiam et potestatem mutat. (Ibidem.) §. 1.

ANNOTATIO.

12. Aliter atque cum seruus manumittitur, quia seruile caput nullum ius habet, (*L. 3. tit. 5. §. 102.*) ideo nec minui potest. *L. 3. §. 1. b.* Status enim, est participatio iuris. (*L. 1. tit. 1. §. 278.*) Hodie enim (die *Modest. L. 1. Pand. L. 4.*) quo per manumissionem particeps fit iuris gentium et naturalis, quo omnes homines liberi sunt,) incipit statum habere. *L. 4. b.*

ARGVMENTVM.

13. Amissione ciuitatis fit capitis minutio, vt in aqua et igni interdictione. *L. 5. pr. b.* (*L. 2. tit. 4. §. 63.*) §. 1. hic.) *L. 1. tit. 5. §. 45. 49.* *Paul L. 11. ad Ed. L. 3. pr.*

ANNOTATIO.

14. Qui deficiunt, (a societate et communione ciuitatis Romanae) capite minuuntur. *L. 5. §. 1. b.* §. 1.

DEFINITIO.

15. Deficere autem dicuntur, qui ab his, quorum sub imperio sunt, deficiunt, et in hostium numerum se conferunt. Sed et hi, quos Senatus hostes iudicavit, (vel) lege lata, vtrique vsque eo, (capite minuuntur) vt ciuitatem amittant. *L. 5. §. 1. b.* (L. I. tit. 1. §. 213.)

ARGUMENTVM.

§. 2. 16. Nunc respiciendum, quae capitis deminutione pereant: et primo de ea capitis deminutione, quae salua ciuitate accidit, per quam publica iura non interuerti constat: (id est: de deminutione status familiae) nam manere magistratum, vel sepatorem, vel iudicem, certum est. *L. 5. Vlp. L. 51. ad §. 2. b.* (L. I. tit. 7. §. 13.) Nam et caetera officia, quae publica sunt, in eo non finiuntur. Capitis enim minutio priuata hominis, (non ciuis) et familiae eius iura, non ciuitatis amittit. *L. 6. b.*

DEFINITIO.

17. Tutela legitima est, quae deficiente testamentaria proximis pupilli successoribus immediate a lege defertur.

ARGUMENTVM.

Paul. L. 11. ad Ed. L. 7. pr. 18. Tutelas etiam non amittit capitis minutio (familiae) *L. 7. pr. b.* est enim munus publicum (L. I. tit. 7. §. 53.) quod ad ciuitatem spectat, non ad familiam.

ANNOTATIO.

19. Equidem arrogatione pupilli tutorum officium desinit, (L. I. tit. 7. §. 55.) at vero tutoris arrogati officium non finitur.

ARGUMENTVM.

20. Exceptis his, quae in iure alieno (potestate aliena) personis positae deferuntur. *L. 7. pr. b.* Quoniam hae familiam mutant, et iure antiquo ius successionis amittunt. (L. 3. tit. 5. §. 14.) §. 17.) Notatur Tribonianus quod notas Pauli in hoc textu perperam legerit: I. A. P. P. id est: *iure agnationis proximis.* *Tit. Inst. De legit. Agnat. tut.*

ARGUMENTVM.

21. Igitur testamento dati vel ex Senatusconsulto, vel ex lege, (non tamen ex lege XII. Tabularum, quae successoribus, in familia constitutis, tutelam deferebat,) erunt nihilominus tutores. *L. 7. pr. b.*

ARGUMENTVM.

22. Sed legitimae tutelae ex duodecim tabulis interuertuntur, eadem ratione, qua et haereditates exinde legitimae, quia (ambae) agnatis deferuntur. (L. 3. tit. 5. §. 14.) qui desinunt esse, familia mutati. *L. 7. pr. b.* (L. I. tit. 7. §. 21. 22.)

ANNOTATIO.

23. Ex nouis autem legibus et haereditates et tutelae plerumque sic deferuntur, vt personae naturaliter (secundum proximitatem sanguinis) designentur, vt ecce, deferunt haereditatem senatusconsulta matri et filio. *L. 7. pr. b.*

ANNOTATIO.

24. Ex Senatusconsulto Tertulliano mater filio ciuili iure succedebat, cum antea Legibus XII. Tabb. sexus sequior a successione penitus excluderetur, et solo praetorio iure bonorum possessionem adipisci posset. Scto autem haeres erat mater, quae ius liberorum habebat, ingenua trium, libertina quatuor. §. 2. I. De Scto Tertull. PAVLVVS L. 4. Sent. tit. 9.

ARGVMENTVM.

25. Iniuriarum et actionum ex delicto venientium obligationes cum capite ambulant. L. 7. §. 1. b. (§. 7.) (L. 2. tit. 1. §. 33.) (L. 3. tit. 2. §. 34.) §. 1.

ANNOTATIO.

26. Alia ratio est domini in seruum actionem non habentis ex delicto, quod in seruitute admittit. (L. 4. tit. 4. §. 89.)

ARGVMENTVM.

27. Seruus iure ciuili nullus est, (L. 2. tit. 7. §. 10.) ergo, si libertate adempta, (vt L. 4. tit. 1. §. 10.) §. 13.) capitis deminutio subsequuta sit: nulli restitutioni aduersus seruum locus est, (§. 3.) quia nec praetoria iurisdictione, (multo minus iure ciuili) ita seruus obligatur, vt cum eo actio sit, sed utilis actio aduersus dominum danda est, (L. 1. tit. 7. §. 69.) (L. 4. tit. 4. §. 66. 86.) §. 3.) vt Iulianus scribit: et nisi in solidum defendatur, permittendum mihi est, in bona, quae habuit, (seruus iste) mitti. L. 6. §. 2. b. (L. 2. tit. 1. §. 4.) §. 2.

ANNOTATIO.

28. Quia seruus non ex damno dato, sed gestione et obligatione tenebatur. (L. 2. tit. 1. §. 33.) ergo in solidum defendere iubebatur dominus, et noxae dedicationem praecipere ipsi non licuit, praecipue quia bona, quae per seruum domini facta sunt, lucratiue domini sint. (L. 1. tit. 7. §. 138.)

ARGVMENTVM.

29. Item, cum ciuitas amissa est, nulla restitutionis aequitas est aduersus eum, qui amissis bonis et ciuitate relicta nudus exulat. L. 7. §. 3. b. (§. 3.) §. 3.

ARGVMENTVM.

30. Eas obligationes, quae naturalem (iure naturae debitam) praestationem habere intelliguntur, palam est, capitis deminutione non perire, quia ciuilis ratio naturalia iura corrumpere non potest. L. 8. b. (L. 1. tit. 1. §. 29.) Si quidem status ciuilis hominem naturalem et personalia non mutat. Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 8.

ARGVMENTVM.

31. Itaque de dote (exigenda) actio, quia in bonum et aequum concepta est, nihilominus, durat, etiam post capitis deminutionem. L. 8. b.

ANNOTATIO.

32. Dotis actio in aequum et bonum concepta dicitur, quoniam dos loco alimentorum (L. 2. tit. 1. §. 165.) eiusque constituendae ratio pietatis et officii est, non gestionis quaestuariae. (L. 4. tit. 2. §. 128. 129.)

ANNOTATIO.

Paul. L. 11. ad Ed. L. 2. 33. Vt quandoque (quandocunque: aliquando) emancipata agat. L. 9. b. Dos filiae est, itemque actio dotis, (L. 2. tit. 14. §. 130.) unde et ipsa filia emancipata a patre dotem petere potest. Quamdiu in potestate est lis inter ipsam et patrem esse nequit. (L. 2. tit. 4. §. 19.) (L. 2. tit. 14. §. 194.)

OBSERVATIO.

34. Nexus, in iure cessio, mancipatio et alia quaedam ciuium Romanorum proprii modi obligationis fuerunt, (L. 2. tit. 14. §. 26.) reliquas iuris gentium acquirendi rationes, vsu, id est, facto contingere dixerunt. Hoc sensu capio PLAVTVM, Epidico Actu 4. Sc. 1. v. 9.

me nominat haec:

Illi hospitio vsus inuenit.

Quasi diceret: factum, casus, euentus me illi hospitio inuenit. Et LVCRETIVS L. 13.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus vsu.

id est: facto continuo et perdurante. Quod vsu fieri, dicitur, facto fieri, dictum fuit. Vulgari quoque loquendi more vsu venire dicitur, quod fieri consuevit, quod facto frequentatur. (L. 2. tit. 9. §. 24.)

OBSERVATIO.

35. Annua vel menstrua et quae statis temporibus redeunt, quasi fructus se habent, qui vsu id est facto occupantur, percipiuntur: hinc vsusfructus nominatus est: item vsucapio.

DEFINITIO.

36. Habitatio est facultas facti naturalis inhabitandi aedes alienas, seque in eas recipiendi, ex vsu habitandi certae personae competens.

ARGVMENTVM.

Modest. L. 8. Diff. L. 10. 37. Legatum in annos singulos vel menses (singulos) relictum, vel si habitatio legatur, morte quidem legatarii legatum intercidit, (mortuo enim nec tempus, nec vsus vel factum est,) capitis deminutione tamen interueniente perseverat: videlicet, quia tale legatum in facto (vsu) potius quam in iure consistit. L. 10. b. (§. 30.)

ANNOTATIO.

38. Habitatio magis in facto consistit, quia de momento in momentum habitatur, et quia facultas habitandi in persona habitantis singulis momentis renascitur, dum viuit. Minus autem in iure consistit: nam qualitas aedium hanc facultatem non producit. (L. 2. tit. 3. §. 23.)

ANNOTATIO.

39. Adeoque legatum habitationis antiquo iure tantum sinendi modo reliqui potuit (L. 4. tit. 3. §. 109.)

DEFINITIO.

40. Capitis deminutionis tria genera sunt, maxima, media, minima, tria enim sunt, quae habemus, (iura ex statu) libertatem, ciuitatem, familiam. Igitur, cum omnia haec amittimus, hoc est, libertatem et ciuitatem et familiam, maximam esse capitis deminutionem: cum vero amittimus ciuitatem, libertatem retinemus, mediam esse capitis deminutionem: cum et libertas et ciuitas retinetur, familia tantum mutatur, minimam esse capitis deminutionem constat. L. 11. b.

Paul. L. 2. ad Sab. L. 11.

EX QVIBVS CAVSSIS MAIORES
VIGINTI QINQVE ANNIS IN INTEGRVM
RESTITVVNTVR.

TIT. VI

OBSERVATIO.

1. Huius edicti causam nemo non iustissimam esse confitebitur. Laesum enim ius per id tempus, quo quis reipublicae operam dabat, vel aduerso casu laborabat, corrigitur: nec non et aduersus eos succurritur, ne vel oblit vel prosit, (cum lucro altero damno) quod euenit. L. 1. pr. b.

Vlp. L. 12. ad Ed. L. 1. pr.

OBSERVATIO.

2. Verba autem edicti talia sunt: si cuius quid de bonis, cum is metu, aut sine dolo (malo) reipublicae causa abesset, inue vinculis, seruitute, hostiumque potestate esset: siue cuius actionis eorum, cui dies exisse dicitur; item si quis quid vsu suum fecisset, aut quod non vtendo amisit, consecutus: actioneue qua solutus, ob id, quod dies eius exierit, cum absens non defenderetur, inue vinculis esset, secumue agenti potestatem non faceret, aut cum eum inuitum in ius vocari non liceret, neque defenderetur: (cumue magistratus de ea re appellatus esset, siue cui) pro magistratu sine dolo ipsius actio exenta esse dicitur: earum rerum actionem intra annum, quo primum de ea re experiundi potestas erit. Item, si qua alia mihi iusta causa esse videbitur, in integrum restituiam, quod eius per leges, plebiscita, senatus consulta, edicta, decreta principum licebit. L. 1. §. 1. b. Absentes memorati coacti absunt (L. 2. tit. 11. §. 55. 56.) et eis ignosci debuit, vel imputari absentia non potuit.

§. 1.

L. 1. tit. 1. §. 61.) quam non affectarunt vel informarunt (L. 2. tit. 9. §. 15.) vti nec alia quaeuis necessitas, impotentia, &c. (L. 1. tit. 1. §. 73.)

A N N O T A T I O.

Callistr. L. 2. Ed. mon. L. 2. pr. 3. Hoc edictum, quod ad eos pertinet, qui eo continentur, minus frequentatur; huiusmodi enim personis extra ordinem ius dicitur ex fenusconsultis et principalibus constitutionibus. *L. 2. pr. b. (L. 3. tit. 5. §. 213.) vide Legem 8. b. r.*

A R G V M E N T V M.

§. 1. 4. Hoc autem capite adiuuantur, inprimis hi, qui metus causa abfuissent: scilicet, si non superuacuo timore deterriti abfuissent. *L. 2. §. 1. b. (L. 4. tit. 2. §. 11.)*

A R G V M E N T V M.

Vlp. L. 22. ad Ed. L. 3. 5. Metus autem causa abesse videtur, qui iusto timore mortis vel cruciatus corporis conterritus abest: et hoc ex affectu eius intelligitur, (L. 4. tit. 2. §. 1.) Sed non sufficit, quolibet terrore abductum timuisse, sed huius rei disquisitio iudicis est. *L. 3. b. (L. 4. tit. 2. §. 7.)*

A R G V M E N T V M.

Callistr. L. 2. Ed. mon. L. 4 6. Item hi, qui reipublicae causa sine dolo malo abfuissent. Dolum malum eo pertinere accepi, vt qui reuerti potest, neque reuertetur, (quia tum reipublicae causa et bono abesse desinit, vel timore solutus est) in eo, quod per id tempus aduersus eum factum est, non adiuuetur: veluti si alterius grandis commodi captandi gratia id egerit, vt reipublicae causa abesset, (et) reuocatur ab isto priuilegio. *L. 4. b.*

A R G V M E N T V M.

Vlp. L. 12. ad Ed. L. 5. pr. 7. Et qui data opera et (si) sine lucro hoc affectauerit (is non haberi potest pro eo, qui necessitate urgente abest, (L. 2. tit. 11. §. 57.) vel qui maturius profectus est, vel litis (in alia prouincia peragendae) gratia coepit reipublicae causa abesse. *L. 5. pr. b.* Hi sui commodi causa lubentes absunt. (§. 2.)

A N N O T A T I O.

8. Sed haec adiectio doli mali ad reipublicae causa absentes refertur: non (etiam) ad eum, qui metus causa: quoniam nullus metus est, si dolus intercedit. *L. 5. pr. b.* Nam affectata absentia a dolo non excusat. (L. 2. tit. 9. §. 15.)

O B S E R V A T I O.

9. Roma communis ciuium patria est. *L. 33. ff. Ad municipal.*

A R G V M E N T V M.

§. 1. *Paul. L. 12. ad Ed. L. 6.* 10. Sed qui Romae reipublicae (causa) operam dant, reipublicae causa non absunt. *L. 5. §. 1. b.* Nam domi suae sunt. (§. 9.) vt sunt magistratus. *L. 6. h. (Consul, praetor, Aedilis, &c.)*

O B S E R V A T I O.

11. Quoad effectum ille abest, qui praesens corpore, rebus vel negotiis suis superesse non potest.

A R G V -

A R G V M E N T V M.

12. Milites plane, qui Romae militant, pro reipublicae causa absentibus habentur. *L. 7. b.* *Vlp. L. 12. ad Ed. L. 7.*

A N N O T A T I O.

13. Ergo dum Romae sunt, et non militant, praesentes sunt negotiis suis, quia his per munus militiae vacare non impediuntur. Absentia adeo effectu tenus hic accipitur.

A N N O T A T I O.

14. Legatis quoque municipiorum succurritur ex principum Marci et Commodi constitutione. *L. 8. b.* Aut, quando in municipio per absentiam laesi sunt, aut quia negotium municipii omnem operam consumsit, ut adeo priuata sua Romae curare non potuerint. *Paul. L. 3. Brev. L. 8.*

A R G V M E N T V M.

15. Quoniam absentia ex effectu aestimatur (§. II.) Succurritur etiam ei, qui in vinculis fuisset: (§. 2.) quod non solum ad eum pertinet, qui publica custodia coeretur, sed ad eum quoque, qui a latronibus aut praedonibus vel potentiore vi oppressus vinculis coercebatur. *L. 9. b.* *Callistr. L. 2. Ed. mon. L. 9.*

A N N O T A T I O.

16. Vinculorum autem appellatio latius accipitur: nam etiam inclusos, veluti lautumias, vincitorum numero haberi placet, quia nihil interfit (ad absentiae effectum) parietibus, an compedibus teneatur. Custodiam autem (id est: vocabulum) solam publicam accipi, Labeo putat. *L. 9. b.*

A N N O T A T I O.

17. Lautumiae sunt ergastula lapidinarum. CUIACIUS *L. 6. Obs. c. 7.* vel loca exsecta lapidinarum. ASCONIUS *Pedianus in Verrem de praet. urb. v. Lautumias.* Carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno Dionysio factus Syraculis. CICERO *L. 5. in Verrem. p. 342.* PRAEVS *in Pand. legem 9.* historiam Philoxeni e Plutarcho refert, relatu dignam. *Dionysius in poetica laude praeter modum ambitiosus tragoediam quandam parum emendatam composuerat: quam cum ab omnibus laudari vellet, et obtinisset, nouissimo Philoxeno nobili poetae egregiique spiritus viro emendandam tradidit. Homo assentationis imperitus, tragoediam protinus totam a fronte ad calcem, ut dicitur, una litura circumduxit. Ob id cum Dionysius in lautumias detruxit. Cum aliquanto post e tenebris illis extractus, a Dionysio interrogaretur: quale sibi videretur poema quoddam eius (existimabat enim ferociam illam spirituum Philoxeni in carcere perdomitam) confestim exclamasse: Mitte me in lautumias: videlicet significans, nullum carceris deterrimi cruciatum viro celsi animi tam grauem esse, quam ad laudes dignissimas cogi.*

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 12. ad Ed. L. 10. 18. In eadem caussa sunt, qui a militibus, statoribusque, vel a municipalibus ministeriis adieruantur, si probentur rei suae superesse non potuisse. *L. 10. b. (§. II.)*

ARGUMENTVM.

19. In vinculis autem etiam eos accipimus, qui ita alligati sunt, ut sine dedecore in publico comparere non possint. *L. 10. b. (L. 4. tit. 2. §. 140. 141.)*

ARGUMENTVM.

Call. L. 2. Ed. mon. L. 11. 20. Ei quoque succurritur, qui in seruitute fuerit, (detentus) siue bona fide seruiat (*L. 2. tit. 14. §. 115.*) homo liber, siue (iniuria) detentus sit. (liberum se esse gnarus) *L. 11. b. nam effectu absunt. (§. II.)*

POSITIO.

Vlp. L. 12. ad Ed. L. 12. 21. Is autem, qui de statu suo litigat, ex quo lis inchoata est, hoc edicto non continetur. *L. 12. b. et adeo non restituitur, quasi per seruitutem abfuerit.*

PROBATIO.

Naturale omnino ordinarium est atque adeo praesumitur. (*L. 1. tit. 1. §. 224.*) Libertas cum status naturalis sit, (*L. 1. tit. 1. §. 320.*) etiam magis praesumenda erit. Quoniam autem ius possidentis vacillat ex eo saltem tempore, quo lis contestata est, (*L. 4. tit. 4. §. 180.*) ergo ex eo demum libertas praesumitur. Iam statu liber talem libertatem habet, sed sub euentu litis resolutiuam. (*L. 2. tit. 9. §. 32.*) haec tamen nihilominus libertas est, (*L. 1. tit. 1. §. 205.*) *L. 24. pr. ff. De liberali caussa.* at vero non restituatur ex caussa seruitutis, qui libertatem habet, quod per se clarum est: ideo, qui de statu suo litigat, hoc edicto non continetur, ex eo tamen demum tempore, quo lis est inchoata.

ARGUMENTVM.

22. Tamdiu igitur in seruitute esse videtur, quamdiu non est eiusmodi lis coepta. *L. 12. b.*

ARGUMENTVM.

Paul. L. 12. ad Ed. L. 13. 23. Alia est eius caussa, qui in iusta seruitute est: vnde Recte Labeo ait: eum non contineri, (edicti verbis), et proinde ex ciuili absentia non restitui) qui liber et haeres institutus sit, antequam sit haeres, (neque enim statu liber est *L. 2. tit. 9. §. 32.*) dum dubitatur an testamentum valiturum sit) quia nec bona habeat, (bonorum possessio serua nulla iure praetorio competat (*L. 2. tit. 1. §. 1.*) et praetor de liberis hominibus loquitur. *L. 13. pr. b.*

ARGUMENTVM.

§. 1. 24. Si pater filium circa negotium rei castrensis prohibeat, dubium quidem est, an metus reuerentialis sufficiat ad restitutionem: puto tamen filiumfamilias in castrensi peculio pertinere ad hoc edictum. *L. 13. §. 1. b.* Est enim iniusta coactio, quia patris in castrense peculium nullum imperium est. (*L. 2. tit. 4. §. 22.*)

A R G V M E N T V M.

25. Item ei succurritur, qui in hostium potestate fuit, id est ab hostibus captus, (seruus, sed extra familiam vere absens) Nam transfugis nullum credendum est beneficium tribui, (a praetore) quibus negatum est postliminium. (L. 1. tit. 7. §. 40.) Poterant tamen, qui in hostium potestate essent, illa parte edicti contineri, qua loquitur de his, qui in seruitute fuerint. *L. 14. b.* quia magis absunt, quam qui bona fide vel vi detenti seruiunt. (§. 20.)

*Call. L. 2. ad
Ed. mon.
L. 14.*

A R G V M E N T V M.

26. Ab hostibus (autem) captis postliminio reuerfis (L. 3. tit. 5. §. 134.) succurritur, aut ibi mortuis: (Ib. §. 103.) quia nec procuratorem habere possunt, (L. 3. tit. 3. §. 87.) cum aliis supra scriptis (qui metu vel reipublicae causa vel propter vincula absunt) etiam per procuratorem possit subueniri: praeter eos, qui in seruitute detinentur. Ego autem etiam nomine eius, qui hostium potitus est, si curator (vt plerumque) bonis fuerit constitutus, auxilium competere existimo. *L. 15. pr. b.*

*Vlp. L. 12.
ad Ed.
L. 15. pr.*

A N N O T A T I O.

27. Hostium potiri: significat ab hostibus capi. *PLAVTVS in Captiuis, Act. 1. sc. 1. vers. 24.*

Nam postquam meus rex est potitus hostium,

Ita nunc belligerant Aetoli cum Aliis.

Nam Aetolia haec est: illic captus, 'st in Alide

Philopolemus.

Curator autem est, qui bonorum seruandorum causa datur. Putat autem Vlpianus, restitui posse durante captiuitate vniuersitatem bonorum, tanquam personam mysticam, si iniquam deminutionem passa sit. (L. 2. tit. 13. §. 90.)

A R G V M E N T V M.

28. Non minus autem ab hostibus capto, quam ibi nato, qui postliminium habet, (i. e. modo postliminium habeat) succursum videtur. *L. 15. §. 1. b.* Eius enim par ratio est, vti capti. (L. 1. tit. 7. §. 40.)

§. 1.

D E F I N I T I O.

29. Damnum infectum est periculum ex opere iam facto probabiliter imminens.

A R G V M E N T V M.

30. Si damni infecti missus sit in aedes militis (L. 2. tit. 1. §. 4.) si quidem praesente eo (§. 12.) iussit praetor possideri, non restituitur: (non tantum ideo, quia praesens est (§. 13.) verum etiam, quia iuri singulari in grauumen tertii vergente parcius indulgetur. (L. 2. tit. 12. §. 10.) Sin vero absente eo, dicendum, subueniri ei debere. *L. 15. §. 2. b.* (§. 12.)

§. 2.

A N N O T A T I O.

31. Sed quod simpliciter praetor edixit: posteaue: ita accipiendum est, vt si inchoata sit bonae fidei possessoris detentio ante absentiam,

§. 3.

tiam, finita vero reuerso, restitutionis auxilium locum habeat, non quandoque, (quandocunque) L. 4. tit. 5. §. 33.) sed ita demum, si intra modicum tempus, quam rediit, hoc contigit: id est: dum hospitium quis conducit, sarcinulas componit, quaerit aduocatum. L. 15. §. 3. b. Nam continentia absentiae sunt. (L. 4. tit. 4. §. 189.)

ARGUMENTVM.

32. Nam eum, qui differt restitutionem, non esse audiendum, Neratius scribit. L. 15. §. 3. b. (L. 4. tit. 2. §. 62.) L. 3. tit. 6. §. 26.)

REGVLA.

Paul. L. 12.
ad Ed.
L. 16.

33. Non enim negligentibus subuenitur, sed necessitate rerum impeditis. L. 16. b.

ANNOTATIO.

34. Totumque istud arbitrio praetoris temperabitur, id est: vt ita demum restituat, si non negligentia sed temporis angustia non poterit litem contestari. L. 16. b.

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 12.
ad Ed.
L. 17. pr.

35. Iulianus libro quarto scribit, non solum aduersus possessorem succurrendum militi, (absenti) verum aduersus eos quoque, qui a possessore emerunt, vt vindicari res possint, (haereditatis petitione) si miles haereditatem adgnouerit. L. 17. pr. b. (L. 2. tit. 8. §. 75.)

ARGUMENTVM.

36. Quodsi non agnouerit, ex post facto vsucapionem processisse manifestatur. L. 17. pr. b. vsucapionem non interruptam a primordiis possessionis processisse ex facto non agnoscentis cognoscitur. (L. 1. tit. 5. §. 66.) Nam retro trahitur. (L. 4. tit. 8. §. 18. infra.)

ARGUMENTVM.

§. 1.

37. Eum quoque, cui sic legatum sit: vel in annos singulos, quibus in Italia esset: (cum per absentiam necessariam ibi non fuisset,) restituendum, vt capiat, atque si in Italia fuisset, et Labeo scribit, et Iulianus libro quarto, et Pomponius libro trigesimo primo probant. Non enim dies actionis, (quid, si legeres: exactionis) exiit, vbi praetoris auxilium necessarium erat: sed conditio in causa est. L. 17. §. 1. b. Dies actionis ex testamento non exiit, quia legatum repetitum est in singulos annos, et actio singulis annis redit, et in hanc non opus est restitutione: sed ex condicione sua ex necessitate absentiae restitui debet.

OBSERVATIO.

Paul. L. 12.
ad Ed.
L. 18.

38. Sciendum est, quod in his casibus restitutionis auxilium maioribus damus, in quibus rei duntaxat persequendae gratia queruntur non cum et lucri faciendi (L. 4. tit. 4. §. 208.) ex alterius poena vel damno auxilium sibi impertiri desiderant. L. 18. b.

ARGUMENTVM.

39. Postliminium ad iura adquisita recuperanda proficit. (L. 3. tit. 5. §. 134.) non autem ad ea, quae meri facti sunt, vt infecta facta fiant: horum nempe nec

lumen,

finem nec reditus datur. Hinc ait textus : Denique, si emtor prius quam per vsum (vscupationem (L. 4. tit. 5. §. 34.) sibi acquireret, ab hostibus captus sit : placet interruptam possessionem postliminio non restitui, quia haec sine possessione (L. 1. tit. 1. §. 216.) non constitit : possessio autem plurimum facti habet : (nisi enim actu possideatur, possessio non subsistit, (L. 4. tit. 3. §. 104.) causa vero facti non continetur postliminio. L. 19. b.

Pap. L. 3.
Quaest.
L. 19.

ARGUMENTVM.

40. Ideo, Nec vtilem actionem ei tribui oportet : cum sit iniquissimum auferre domino, quod vsum non abstulit, neque enim intelligitur amissum quod ablatum alteri non est. L. 20. b. Vtilis actio datur ex aequitate et similitudine directae, (L. 1. tit. 7. §. 69.) sed interrupta possessione, nec praesenti datur directa, vnde actionis plane non existentis nulla similitudo datur. (L. 1. tit. 1. §. 216.)

Id. L. 13.
Quaest.
L. 20.

OBSERVATIO.

41. Item ait praetor : si quis vsum suum fecisset, (vscupisset) aut, quod non vtendo sit amissum, consecutus : (e. gr. libertatem contra seruitutem praedii) actione qua (aliqua) solutus, ob id, quod dies eius exierit, cum absens non defenderetur. Quam clausulam praetor inseruit, vt quemadmodum succurrit supra scriptis personis, ne capiantur, ita et aduersus ipsas succurrit ne capiant. L. 21. pr.

Vlp. L. 12.
ad Ed.
L. 21. pr.

ANNOTATIO.

42. Titius est in possessione seruitutis negatiuae aduersus me, vt, altius non tollendi : volo me vindicare in libertatem, sed abest : requiruntur necessarii eius ad defendendum eum, sed nemo defensionem suscipit, interea vscupatio completur. Praetor pollicetur restitutionem in integrum, ne per absentiam praesentes capiantur ; sin defendatur, cessat restitutio.

ANNOTATIO.

43. Et erit notandum, quod plus praetor expressit, cum aduersus eos (absentes) restituit, quam cum ipsis subuenit, nam hic non certas personas enumerauit, aduersus quas subuenit, vt supra : sed adiecit clausulam, qua omnes, qui absentes non defenduntur, complexus est. L. 21. §. 1. b. Per hoc plus expressit praetor, quod dixit se restitutum contra omnem absentem, cum hic non defendetur.

§. 1.

ANNOTATIO.

44. Haec autem restitutio locum habet, siue per se, siue per subiectas sibi personas, (filium, seruum) vsum acquisierunt, qui absentes non defendebantur, et ita, si nemo eorum (erat) defensor. Nam si fuit procurator, cum habueris quem conuenias, (L. 3. tit. 3. §. 92.) non debet inquietari, (is qui absens vscupit.) Caeterum si non existerat defensor, aequissimum erat subueniri : eo potius, quod (eorum) qui non defenduntur, siquidem latitent praetor ex edicto pollicetur in bona eorum mittere. (L. 2. tit. 1. §. 4.) vt, si res exegerit, etiam distrahantur. Si

§. 2.

vero non latitent, licet non defendantur, in bona tantum mitti.
L. 21. §. 2. b.

A R G V M E N T V M.

§. 3. 45. A suspecto nemo recte defenditur. (L. 3. tit. 3. §. 52.) Defendi autem non is videtur, cuius se defensor ingerit, a necessariis et amicis non requisitus, (quorum omnino imaior ad defendendum propensio esse debet,) sed qui requisitus ab actore, non (est) defensionis defuturus. L. 21. §. 3. b.

A R G V M E N T V M.

46. Plenaque defensio accipietur, si et iudicium non detrectetur, (si defensor hoc in se transferri patiat. (L. 3. tit. 3. §. 105.) et iudicatum solui satisfidetur. L. 21. §. 3. b. (L. 2. tit. 8. §. 48.) L. 3. tit. 3. §. 37.)

A R G V M E N T V M.

Paul. L. 12. ad Ed. L. 22. pr. 47. Ergo dicendum est, non aliter hoc edictum locum habere, (et restitutionem contra absentem permitti) quam si amici eius interrogati fuerint, an defendant, aut si nemo sit, qui interrogari potest. L. 22. pr. b. (§. 45.)

A R G V M E N T V M.

48. Ita enim absens defendi non videtur, (absentem non esse defensum, ita dicitur) si actor ultro interpellat, nec quisquam defensionis se offerat: eaque testatione complecti oportet. L. 22. pr. b. testibus adhibitis, defensorem non extitisse.

O B S E R V A T I O.

§. 1. 49. Sicut igitur damno eos affici non vult, (qui per absentiam aliorum laederentur) ita lucrum facere non patitur. L. 22. §. 1.

A R G V M E N T V M.

§. 2. 50. Quod edictum etiam ad furiosos et infantes, (qui certe sensu et mente absunt,) et ciuitates (propter fauorem, (L. 3. tit. 4. §. 11.) pertinere Labeo ait. L. 22. §. 2. b. Nam personae sunt. (L. 3. tit. 4. §. 1.)

O B S E R V A T I O.

Vlp. L. 12. ad Ed. L. 23. pr. 51. Ait praetor: inue vinculis esset: (secumue agendi potestatem non faceret.) Haec persona merito adiecta est, fieri enim poterat, ut quis in vinculis praesens esset, (qui adeo per absentiam stricte acceptam, non restitueretur,) vel in publica vel in priuata vincula ductus. Nam et eum, qui in vinculis est, si modo non sit in seruitute, (§. 23.) posse vsu acquirere constat. L. 23. pr. b. Si is, qui in vinculis est, quasi absens vsucapere potest, (§. 41. 42.) etiam contra eum restitutio concedetur: nam absens est.

A R G V M E N T V M.

52. Sed et is, qui in vinculis est, (effectu tenus absens, (§. 13.) si defendatur, cessat restitutio. L. 23. pr. b.

P O S I T I O.

§. 1. 53. Is autem, qui apud hostes est, nihil per vsum sibi acquirere potest. L. 23. §. 1. b. (L. 4. tit. 5. §. 34.)

P R O B A T I O.

Servus iure civili nullus est, (L. 2. tit. 7. §. 10.) vsucapio vero meri iuris civilis est, (L. 1. tit. 5. §. 66.) Cumque servus sit, qui ab hostibus captus est, (ib. §. 10.) ideo vsucapere nequit, qui apud hostes est.

A R G V M E N T V M.

54. Nec coeptam possessionem poterit implere, (ad acquisitionis effectum) dum est apud hostes, (§. 53.) (L. 4. tit. 3. §. 104.) Hoc amplius, nec postliminio reuersus recuperabit per vsu dominii acquisitionem. L. 23. §. 1. b. (§. 39.)

A R G V M E N T V M.

55. Item ei, qui per captiuitatem fundi possessionem vel vsusfructus quasi possessionem amisit, succurrendum esse, Papinianus ait: L. 23. §. 2. b. Haec enim non sunt facti acquisitiui (§. 39. 54.) sed conseruatiui, eaque in facto iure naturali non consistunt. (L. 3. tit. 5. §. 136.) Possessio et seruitus rem afficiunt, et sunt iura rei adhaerentia, quae reuerso ab hostibus ex ipsa rei seruentis qualitate debentur. Qualitas eiusmodi subsistit in re adfecta et potest recuperari. At quod quis facere captiuitate impeditus fuit, quia non factum et non ens est, recipere nequit. (§. 39.)

A R G V M E N T V M.

56. Et fructus quoque medio tempore ab alio ex vsufructu perceptos debere captiuo restitui aequum putat. L. 23. §. 2. b. Notanter dicit: ex vsufructu; est enim vsufructus seruitus realis, quae est ex qualitate praedii vel rei resultans ius. (L. 2. tit. 9. §. 20.) nec adeo meri facti est: vnde postliminio cum omni causa recipitur. (L. 3. tit. 5. §. 136.)

D E F I N I T I O.

57. Iustus titulus est nomen causae, quae iure gentium vel civili apta est, ad quaerendum rei dominium vel possessionem.

P O S I T I O.

58. Hi plane, qui fuerunt in potestate captiui, vsu rem (iure peculii quaesitam) acquirere possunt, ex re peculiari. L. 23. §. 3. b.

P R O B A T I O.

Qui in potestate captiui fuit, rem ex peculio quaesitam, tanquam rem nullius detinet, (L. 1. tit. 1. §. 175.) L. 1. tit. 6. §. 3.) eamque rem iusto titulo possidet. (§. 57.) Qui autem rem iusto titulo possidet, eam vsucapere potest, (L. 1. tit. 5. §. 66.) ergo qui fuerunt in potestate captiui, vsu rem acquirere possunt ex re peculiari.

A R G V M E N T V M.

59. Et aequum erit ex hac clausula praesentibus, (id est, qui non sunt in captiuitate) subueniri, si cum non defenderentur (captiui) vsucapum quid sit. L. 23. §. 3. b.

A N N O T A T I O.

60. Captus est aliquis ab hostibus, res mea in bonis eius est: volo vindicare, sed nemine defensionem eius suscipiente res vsucapitur. (§. 51. 53.) In integrum restitutus sum ex hac clausula.

A R G V M E N T V M.

61. Sed etsi dies actionis, quae aduersus captiuum competebat, exierit, succurreretur aduersus eum. *L. 23. §. 3. b. (§. 41.)*

A N N O T A T I O.

§. 4. 62. Deinde adiicit praetor: secumue agendi potestatem non faceret, vt, si dum hoc faciat, (dum frustratur latitando) per vsum adquisitio impleta, vel quae ex supra scriptis contigit (dies actionis exiit) restitutio concedatur: merito: nec enim sufficit semper in possessionem bonorum eius mitti, quia et interdum species esse potest, vt in bonis latitantis mitti non possit, aut non latitet. Finge enim, dum aduocationes postulat, (*L. 2. tit. 1. §. 59. 60.*) diem exisse: vel dum alia mora iudicii contingit. *L. 23. §. 4. b.* Sed et ad eos pertinet, (hoc edictum) qui conuenti frustrantur, et qualibet tergiuersatione et solertia efficiunt, ne cum ipsis agi possit. *L. 24. b.* Quod quidem simili modo ad eum quoque pertinere dicemus, qui non frustrandi gratia id faceret, sed quod multitudo rerum distringeretur. *L. 25. b.* (Etenim non subuenitur, quod dolo vel facto alicuius exierit dies, sed sufficit exiisse diem in detrimentum actoris.) Sed etsi per praetorem stetit, restitutio indulgetur. *L. 26.*

Paul. L. 11. ad Ed. L. 24. Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 25. Vlp. L. 12. ad Ed. L. 26. pr. pr. b.

D E F I N I T I O.

63. Relegatus dicitur, cui ignominiae aut poenae causa necesse est, ab vrbe Roma abesse, alioque quo loco lege Senatusque Consulto aut edicto magistratus. *FESTVS ex Aelio Gallo: voce: Relegati.*

O B S E R V A T I O.

64. Relegatus statum integrum retinet. *L. 18. ff. De interd. et releg.*

A R G V M E N T V M.

§. 1. 65. Aduersus relegatum restitutionem faciendam ex generali clausula (edicti §. 41.) Pomponius ait. *L. 26. §. 1. b.*

A R G V M E N T V M.

66. Sed non et ipsi concedendum: (vt restituatur) quia potuit procuratorem relinquere: (§. 26.) sed et necessitatem absentiae informauit. (§. 2.) ex causa (iusta suadentibus singularibus circumstantiis) tamen puto etiam ipsi succurrendum. *L. 26. §. 1. b. (L. 3. tit. 2. §. 121.)*

A N N O T A T I O.

§. 2. 67. Ait praetor: aut cum eum in ius vocare non liceret (neque defenderetur.) Haec clausula ad eos pertinet, quos more maiorum sine fraude (*L. 2. tit. 14. §. 57.*) in ius vocare non licet: vt consulem, praetorem caeterosque, qui imperium potestatemue quam habent. *L. 26. §. 2. b. (L. 2. tit. 4. §. 2.)* Harum personarum, si qua ob id actioni aduer-

aduersarii praescripsit, quia vocari noluit, restitutionem edictum pollicetur. Nam impotentia agendi locum facit edicto. (§. 62.)

A R G V M E N T V M.

68. Sed nec ad eos pertinet hoc edictum, quos praetor prohibet sine permisso suo vocari: quoniam aditus (praetor) potuit permittere: patronos puta et parentes. *L. 26. §. 2. b.* Si noluit adire, facto et voluntate sua actionem amisit.

A N N O T A T I O.

69. Deinde adiicit: neque defenderetur: quod ad omnes superscriptos pertinet, (nam et praesentium defensores esse possunt: (*L. 3. tit. 3. §. II.*) praeterquam ad eum, qui absens quid suscepit: quoniam plene supra (§. 41. sequ.) de eo cautum est. *L. 26. §. 3. b.*

A N N O T A T I O.

70. Ait praetor: siue cui per magistratus sine dolo malo ipsius actio exempta esse dicetur. Hoc quo? Ut si per dilationes iudicis effectum sit, ut actio eximatur, fiat restitutio. Sed etsi magistratus copia non fuit, Labeo ait, restitutionem faciendam. (§. 62.) Per magistratus autem factum ita accipiendum est, si ius non dixit: alioquin si causa cognita denegavit actionem, restitutio cessat. Et ita Seruio videtur. Item (et) Magistratus factum videtur, si per gratiam aut sordes magistratus ius non dixerit. *L. 26. §. 4. b.*

A R G V M E N T V M.

71. Et haec pars (edicti) locum habebit, nec non et superior: secumue agendi potestatem non faciat: nam id egit litigator, ne secum agatur, dum iudicem corrumpit. *L. 26. §. 4. b.* Si a corrupto impetrat dilationes, vel ut sui copiam minus faciat, interimque actio extinguatur.

D E F I N I T I O.

72. Actio exempta sic erit accipienda, si desit agere posse. *L. 26. §. 5. b.*

A R G V M E N T V M.

73. Et adiicitur: sine dolo malo ipsius, videlicet, ut si dolus eius interuenit, (Exemplum est in §. sequ.) ne ei succurratur: ipsis enim delinquentibus praetor non subuenit. *L. 26. §. 6. b.* vi tenoris edicti (*L. 4. tit. 4. §. 212.*)

A N N O T A T I O.

74. Proinde si, dum vult ad sequentem Praetorem agere, (cuius forte fauorem sperat: uti Cicero de Verre ostendit) tempus frustratus est, non ei subuenietur: (non enim per impotentiam agendi actio desit. §. 62.) Sed etsi, dum decreto praetoris, (quo iudicium constituit et ordinat: (*L. 3. tit. 3. §. 62.*) ordinatio enim ante litis contestationem fiebat, et ita actio nondum perpetuata intercidere poterat. Vel in poenam, quod in alia causa non obtemperasset. (*L. 2. tit. 3. §. 2. sequ.*) non obtemperat, iurisdictionem ei denegaverit, non esse eum restituendum, Labeo scribit. Idemque, si ex alia

iusta causa non fuerit ab eo auditus. *L. 26. §. 6. b.* quando praetor iustam causam habuit, cur eum non audiret.

ARGUMENTVM.

§. 7. 75. Si feriae extra ordinem sunt indictae, ob res puta prospere gestas, vel in honorem principis, et propterea magistratus ius non dixerit: Caius Cassius nominatim edicebat: restitutum se, quia per praetorem videbatur factum. *L. 26. §. 7. b.*

ANNOTATIO.

76. Haec de feriis repentinis: Sollemnium (ordinarium) enim feriarum rationem haberi non debere, quia prospicere eas potuerit, (et cavere ne actio praescribatur) et debuerit actor, ne in eas incidat: quod verius est. Et ita Celsus *L. 2. Digestorum* scribit. *L. 26. §. 7. b.*

ARGUMENTVM.

77. Sed cum feriae tempus eximunt, restitutio duntaxat ipsorum dierum facienda est, non totius temporis: (quia cum tempus extra ferias voluntate actoris transierit, ex solis feriis laesus fuit: ergo et in harum tempus solummodo restituetur: (*L. 4. tit. 4. §. 235.*) Et ita Iulianus *Libro 4. Digestorum* scribit: Ait enim, rescissionem usucapionis ita faciendam, ut hi dies restituantur, quibus actor agere voluit, et interuentu feriarum impeditus est. *L. 26. §. 7. b.* Iterum impotentia agendi in potentiam restituitur, ut saepissime supra.

ARGUMENTVM.

§. 8. 78. Quotiens per absentiam quis non toto tempore aliquem exclusit: ut puta, rem tuam possedi vno minus die statuto in usucapionibus tempore: deinde reipublicae causa abesse coepi: restitutio aduersus me vnius diei facienda est. *L. 26. §. 8. b. (§. 77.)*

OBSERVATIO.

§. 9. 79. Item (inquit praetor) si qua alia iusta causa mihi videbitur, in integrum restituam: Haec clausula edicto inserta est necessario: multi enim casus euenire potuerunt, qui deferrent restitutionis auxilium, nec singulatim enumerari potuerunt, ut quotiens aequitas restitutionem suggerit, ad hanc clausulam erit descendendum, ut puta: legatione quis pro ciuitate functus est, aequissimum est, eum restitui, licet reipublicae causa non absit, et saepissime constitutum est, adiuuari eum debere. (§. 14.) siue habuit procuratorem, siue non. *L. 26. §. 9. b.* Iusta causa est, quia manus nemini debet esse damnosum, (*L. 3. tit. 3. §. 30.*) nam et tum necessitate non adfectata nec informata (§. 2.) uti relegatus, abest, (§. 66.) Restitutio vero etiam absentibus, quorum bonis curator datus est (§. 26. 27.) siue ergo absens procuratorem habeat, siue non, ipsi subuenitur.

ARGUMENTVM.

80. Idem puto, et si testationis causa sit euocatus, ex qualibet provincia, vel in urbem vel ad principem, (nam et haec euocatio imperio magistrat-

gistratus vel principis fit. (§. 62.) nam et hic saepissime est rescriptum sub-
veniri. Sed et his, qui cognitionis gratia (nimirum et cognitor testis est.
(L. 2. tit. 1. §. 60.) (L. 4. tit. 2. §. 141.) vel appellationis peregrinati sunt,
similiter subuentum. L. 26. §. 9. b.

REGVLA.

81. Et generaliter, quotiescunque quis ex necessitate, non ex volun-
tate abfuit, dici oportet, ei subueniendum. L. 26. §. 9. b. (§. 2.)

ARGVMENTVM.

82. Et siue quid amiserit, vel lucratus non sit, (si sic amisit, vt cum *Paul. L. 12.*
iure largiente acquirere posset, per absentiam minus adquisiuerit) restitutio fa- *ad Ed.*
cienda est, etiamsi non ex bonis quid amissum sit. L. 27 b. *L. 27.*

ANNOTATIO.

83. Diuersa caussa et fauorabilior est minorum, qui etiam fauore aetatis in
lucrum repudiatum restituuntur. Maiores contra factum suum non restituuntur,
sed saltem aduersus id, quod lucri facere per necessitatem non potuerunt. (L. 4.
tit. 4. §. 54.)

ARGVMENTVM.

84. Nec non et si quis de caussa probabili (in republica adprobata et *Vlp. L. 12.*
fauorabili) abfuerit, deliberare debet praetor, an ei subueniri debeat, pu- *ad Ed.*
ta, studiorum caussa, forte procuratore suo defuncto, ne decipiatur *L. 28. pr.*
per iustissimam absentiae caussam. L. 28. b. (L. 1. tit. 1. §. 245.)

ARGVMENTVM.

85. Item, si quis nec in custodia, nec in vinculis sit, sed sub fide-
iussorum satisfactione, (iudicio listi: (L. 2. tit. 8.) et dum propter hoc rece-
dere non potest, (per necessitatem obligationis) captus sit, restituetur, (§. 2.)
et aduersus eum dabitur restitutio. (§. 41. sequ.) L. 28. §. 1. b. §. 1.

ANNOTATIO.

86. Quod eius inquit praetor, per leges, plebiscita, Senatusconsulta,
edicta, decreta principum licebit: (L. 4. tit. 1. §. 2.) quae clausula non illud
pollicetur, restitutum si leges (expresse) permittant, sed si leges non
prohibeant. L. 28. §. 2. b. §. 2.

OBSERVATIO.

87. Tempus restitutionis maioris natu, annus est.

ARGVMENTVM.

88. Si quis saepius reipublicae caussa abfuit, ex nouissimo reditu
tempus restitutionis esse ei computandum, Labeo putat. L. 28. §. 3. b. §. 3.
Nam prioris temporis cursus ex sequenti praesentia interruptus fuit.

ARGVMENTVM.

89. Sed si omnes quidem absentiae (iunctim sumtae) annum colligant;
singulae minus anno, vtrum annum ei damus ad restitutionem, an
vero tantum temporis, quantum nouissima eius absentia occupauit, vi-
dendum: et puto annum dandum. L. 28. §. 3. b. Abfuit primum 3. men-
ses, deinde 4. postremo 8. an 8. menses tantum restituantur? Quia priora tempora
ne

ne quidem cucurrerunt, purgato curfu eorum per nouam praesentiam (§. 88.) integer annus restitutioni datur. Nam negligentia per partes non absoluitur, quas non habet, sed integro termino elapso commissa iudicatur: ergo et praescriptio inde pendens.

DEFINITIO.

90. Ius reuocandi domum est facultas priuilegiaria Legis Memniae, qua reus actorem ad forum domicilii speciale euocat. VALERIVS MAX. L. 3. c. 7. de M. Antonio.

ANNOTATIO.

91. Ius reuocandi domum competit Legatis, euocatis testimonii causa, conuentis extra forum domicilii vel contractus. L. 2. §. 3. 4. ff. De iudic. Nititur autem forum contractus aequitate. Obligationum atque contractuum leges conscribentur, et in tabulas referebantur, signacula, et testes accedebant. PAVLVS L. 5. Sent. 25. Quoniam ergo testes et ipsa rei gestae instrumenta in loco contractus regulariter praesto erant, alibi non, reus autem imparatus ad responsonem adigi non poterat. (L. 2. tit. 13. §. 4.) eapropter ius reuocandi domum concessum est. Sed et consuetudinum iurisque diuersitas in imperio Romano fuit. Quod ergo aliquo loco contractum erat, secundum ius eius loci contractum esse praesumebatur. L. 19. §. 2. inf. ff. de Iudic. Hinc forum contractus.

ARGUMENTVM.

§. 4. 92. Si cum in prouincia domicilium haberes, esses autem in vrbe, an mihi annus cedat, quasi experiundi potestatem habeam, (ob forum generale domicilii (§. 9.) ~~Et~~ ait Labeo: non cedere. Ego autem puto hoc ita verum, si ius reuocandi domum aduersarius habuit, (ad forum domicilii speciale (§. 90.) quo rei priuilegio impotentia in foro generali agendi mihi fuit imposita (§. 2.) sin minus, videri esse experiundi, potestatem, quia et Romae (in foro communi omnium ciuium Romanorum (§. 9.) contestari litem potuit. L. 28. §. 4.

ARGUMENTVM.

§. 5. 93. Exemplo rescissoriae actionis etiam exceptio ei, qui reipublicae causa abfuit. L. 28. §. 5. b. Absenti reipublicae causa rescissoria actio datur: id est: si quid contra ipsum vsucaptum fuit, praetor ipsi vindicationem restituit. Excepisse autem oportet exceptionem vsucapionis, quam possessor obieceret: (L. 3. tit. 3. §. 63.) qua ratione praetor vsucapionem non rescindebat, nec adeo remedium rescindens largiebatur, sed rescissorium. (L. 4. tit. 1. §. 15. 16.) siue autem praetor capto dum ageret, subueniret, siue dum conueniretur, eadem erat aequitas. Ergo ad similitudinem actionis rescissoriae, exceptionem rescissoriam dedit, vtrunque vno vocabulo apte nominarunt DD. remedium rescissorium.

ANNOTATIO.

94. Forte si res ab eo possessionem (eius) nactus, vindicetur, L. 28. §. 5. b. Haec exceptio doli vel in factum erit. (L. 2. tit. 10. §. 5.) Imaginariam huius legis absurditatem, quasi actori exceptionem tribueret, diluit. BYNKERS-

HOEK

HOEK. L. 8. *Obs. cap. 25.* Hic enim vsucapiens contra restitutum, possessionem rei vsucaptae nactum, actor existit.

ARGVMENTVM.

95. In actione rescissoria, quae aduersus militem competit, (qui per subiectas personas vsucepit, (§. 44.) aequissimum esse Pomponius ait, eius quoque temporis, quo absens (miles) defensus non est, fructus eum praestare. L. 28. §. 6. b. Nam et in his praefens per absentem militem captus est. (§. 82. 56.) §. 6.

ARGVMENTVM.

96. Quoniam eadem ratione caperetur miles reipublicae causa absens, si praesens aduersus eum vsucaperet fructusque perciperet: ergo et militi debebunt restitui. Vtrinque actio erit. L. 28. §. 6. b.

REGVLA.

97. Videlicet, ne cui officium publicum vel damno vel compendio sit. L. 29. b. (L. 3. tit. 3. §. 30.) L. I. tit. 7. §. 138.) *Afric. L. 7. Quaest. L. 29.*

ARGVMENTVM.

98. Haeres succedit in personam ciuilem defuncti, capropter continuat possessionem et vsucapionem, quam defunctus coeperat. (L. I. tit. 7. §. 75.)

POSITIO.

99. Cum miles, qui (dum absens conueniri non poterat) vsucapiebat, decesserit, et haeres impleuerit vsucapionem, aequum est rescindi, quod postea vsucaptum est. L. 30. pr. b. *Paul. L. 12. ad Ed. L. 30. pr.*

PROBATIO.

Certum est, quod vsucapio in haerede militis impleta, alteri ius suum auferat, dum per impotentiam a se non informatam (§. 2.) istud tueri nequit. At illo actu, qui hoc modo alteri ius suum adimit, alter ille capitur (§. 2.) atque ideo aequum est eiusmodi actum rescindi, (L. 2. tit. 8. §. 36.) Exinde, quando haeres militis vsucapionem compleuit, aequum est rescindi, quod vsucaptum est.

ANNOTATIO.

100. Vt eadem in haeredibus, qui in vsucapionem succedant, seruanda sint, (quae in ipsis defunctis.) Quia possessio defuncti quasi iuncta (per fictam possessionem hereditatis iacentis. (L. 3. tit. 5. §. 14.) descendit ad haereditatem, et plerumque nondum hereditate adita completur. L. 30. pr. b.

ARGVMENTVM.

101. Si is, qui reipublicae causa abfuit, vsucepit, et post vsucapionem alienauerit rem, restitutio facienda erit, (§. 35.) Et licet sine dolo abfuerit, et vsuceperit, lucro eius occurri oportet. (L. I. tit. 7. §. 138.) Item, ex reliquis omnibus causis restitutio facienda erit: veluti si aduersus eum pronunciatum sit. L. 30. §. 1. b. §. 1.

P O S I T I O.

*Id. L. 53.
ad Ed.
L. 31.*

102. Si is, cuius rem vsucepit reipublicae causa absens, (§. 44.) possessionem suae rei (ex aequitate adhuc suae, quamvis summo iure) ab illo vsucaptae, nactus sit, etsi postea amiserit (tertio, vel eodem vsucapiente, de novo possidente) non temporalem, (rescissoriam annalem) sed perpetuam habet actionem, *L. 31. b.*

P R O B A T I O.

Non imputari potest domino rei per absentem reipublicae causa, vsucaptae, quod vsucapionem impleri passus sit, (§. 2.) quare ex aequitate res summo iure vsucapta eius mansit. Iam rem recuperavit, nec opus habet restitutione, dum laesus esse desiit. (L. 2. tit. 8. §. 36.) possessionem non suo facto iterum amisit, et possessio cessit moderno possessori: dubium non est, quin detur actio rei persecutoria (L. 4. tit. 2. §. 45.) nam aduersus hunc, qui nondum vsucepit, restitutione non eget. Sunt autem actiones rei persecutoriae perpetuae, (L. 3. tit. 5. §. 82.) Ergo actionem perpetuam habet, qui rei suae, per absentem reipublicae causa vsucaptae, possessionem nactus, ea iterum excidit.

A N N O T A T I O.

103. Vna eademque actio, e. gr. Rei vindicatio vel Publiciana annua erat, quando per modum restitutionis competebat concedente Praetore: sed perpetua, quando ordinario iure instituebatur.

A N N O T A T I O.

*Modest. L. 9.
Resp.
L. 32.*

104. Abesse reipublicae causa intelligitur, qui ab vrbe (Roma) profectus est: Licet (antecessor) nondum prouinciam excesserit. (Dubitatum fuit, an proconsul Roma profectus, reipublicae causa abesse intelligatur, dum decessor reipublicae idem munus curat, cuius causa ille profectus est) Sed et is, qui excesserit, (decessor, eatenus reipublicae causa abest.) donec in urbem reuertatur. (L. 1. tit. 16. §. 34.) Et hoc ad Proconsules, Legatosque eorum, et ad eos, qui prouinciis praesunt, procuratoresue principum, qui in prouinciis tenentur, pertinet, et ad Tribunos militum, et praefectos, et comites legatorum, qui ad aerarium (delati) aut in commentarium Principis delati sunt. *L. 32. b.* Magistratum Comitumque eorum, quibus ex publico salaria et cibaria annua praestabantur, nomina, ad aerarium deferrebantur, FRONTINVS *de Aquaeduct. L. 2.* et qui in Prouinciis Caesaris magistratuungebantur, in eius commentarios vel catalogum deferrebantur. Urbem de Metropoli prouinciae explicat BYNKERSHOEK. *Lib. 6. Obs. c. 18.* vt legati, Romam missi, profecti, licet nondum prouinciam excesserint, reipublicae causa abesse censentur. At vero, hoc ad proconsules quoque pertinet: qui omnino e Metropoli non mittebantur, vbi cum imperio erant, (L. 1. tit. 17. §. 2.) L. 1. tit. 18. §. 6.) Cum explicatio per ipsum textum refutetur, credo intelligi antecessorem, qui prouinciam nondum excessit; nam verba manifeste de decessore loquuntur.

A N N O T A T I O.

*Id. L. sing. de
enucl. cas.
L. 33. pr.*

105. Inter eos, qui ex generali clausula iuuantur, (§. 79.) et fisci patronus connumeratur. *L. 33. pr. b.*

OBSER-

OBSERVATIO.

106. Habebant in familiis Romani notarios, quorum ministerio utebantur, ad excipiendas celeriter leges, orationes et similia. Haec scriptionis compendia MANILIUS L. 4. pingit:

*Hic et scriptor erit felix, cui littera verbum est:
Quisque notis linguam superet, versumque loquentis
Excipiens, longas noua per compendia voces.*

De his quoque SENECA Epistola 90. *Quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, et celeritatem linguae manus sequitur? vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.* Et D. HIERONYMVS ad Iulianum: *Ille apposito notario cogebat loqui, quae velociter edita, velox consequeretur manus, et linguae celeritatem prenderent signa verborum.*

ARGUMENTVM.

107. Notarii, qui liberi homines erant, quando mercede forte conducti a Proconsule, Praefide vel alio magistratu in prouinciam proficiscebantur, suae mercedis gratia aberant. Igitur, Eos, qui notis scribunt acta praesidium, reipublicae causa non abesse, certum est. L. 33. §. 1. b. (§. 6.) Serui autem notarii reipublicae causa abesse non potuerunt. (L. 2. tit. II. §. 59.) §. 1.

ARGUMENTVM.

108. Militum medici, (modo serui non sint) quoniam officium, quod gerunt, et publice prodest, et fraudem eis afferre non debet, (L. 3. tit. 3. §. 30.) §. 97.) restitutionis auxilium implorare possunt. L. 33. §. 2. b. §. 2.

ARGUMENTVM.

109. Miles commeatu (licentia, venia) accepto, si domi suae est, rei publicae causa abesse non videtur. L. 34. pr. b. quia muneris ratione non abest, sed voluntarie. (§. 7.) *Iuol. L. 15. ex Cass. L. 34. pr.*

ARGUMENTVM.

110. Lui operas in publico, quod vectigalium causa locatum est, dat, reipublicae causa non abest. L. 33. §. 1. b. quia lucro conductoris cedit, quod publico praestat, et locatori voluntarie seruit non reipublicae (§. 7.) Publicum enim hic est, quod vectigalium causa locatum est. *Hic te ita versari, ut et publicanis satisfacias, praesertim publicis male redemptis, &c.* CICERO ad Qu. Fratrem. Epist. 1. §. 1.

ARGUMENTVM.

111. Qui mittuntur, ut milites ducerent, aut reducerent, aut legem qui curarent, rei publicae causa absunt. L. 35. pr. b. (§. 2.) Hi quoque, qui missi sunt, ad gratulandum Principi. L. 35. §. 1. b. Item, procurator Caesaris, non solum cui rerum prouinciae cuiusque procuratio mandata erit: sed et is, cui rerum, (singularium, inopinate incidentium) quamuis non omnium. Itaque plures ibi procuratores diuersarum (rerum) reipublicae causa abesse intelliguntur: L. 35. §. 2. b. Praefectus quoque Aegypti reipublicae causa abest, quia aliam ob causam (extraordinariam) reipublicae gratia extra urbem aberit. L. 35. §. 3. b. Sed §. 3.

- §. 4. et in vrbanicianis militibus Diuus pius idem constituit. *L. 35. §. 4. b.* (cohortibus vrbanis adscriptis *L. 8. §. 9. ff. de excus. tutor.*) quas cohortes forte Augustus vigilibus nocturnis substituit. *L. 1. ff. De Offic. Praef. Vigil.* Praetoriani ex vrbanicis lecti videntur. *Petente quodam, vt militaret, Adrianus dixit: vbi vis militare? Illo dicente, in Praetorio: Adrianus interrogauit: quam statutam habes? dicente illo: quinque pedes et dimidium, Adrianus dixit: Interim in vrbana milita, et si bonus miles fueris, tertio stipendio poteris in praetorium transire.* DOSITHEVS *L. 3. Sent. D. Adriani Imp.* Quamuis officium eorum regulariter extra urbem non sit, reipublicae tamen negotiis a priuatis suis distrahuntur. (§. 12.)
- §. 5. Quaesitum est de eo, qui ad compescendos malos homines missus est, (ideo quaesitum est, quia ordinarium reipublicae munus non fuit,) an reipublicae causa abesset; et placuit reipublicae causa eum abesse. *L. 35. §. 5. b.* (quia sufficit, quod extraordinarium reipublicae munus obeat).
- §. 6. Item paganum, qui in expeditione consularis (magistratus) iussu transierat, (cum ordinario more in militem lectus non esset,) ibique in acie ceciderat: haeredi enim eius (§. 98.) succurrendum est. *L. 35. §. 6. b.* Horum omnium munus reipublicae extraordinarium est, quod reipublicae tanquam ciues, et proinde necessitate quadam adacti praestant. (§. 2.)

ARGUMENTVM.

- §. 7. 112. Qui reipublicae causa (ex prouincia) Romam profectus est, abesse reipublicae causa videtur: sed etsi extra patriam suam reipublicae causa profectus sit, etiam si per urbem iter ei competit (quae quidem patria ei est. (§. 9.) reipublicae causa abest, *L. 35. §. 7. b.* (§. 14.) Similiter, qui in prouincia est, vt primum aut domo sua (reipublicae causa) profectus est, aut cum in eadem prouincia degit, reipublicae administrandae causa, simul (ac) agere reipublicam coepit, ad similitudinem absentis habetur. *§. 8. b.* (§. 13. 14. III.)

REGVLA.

113. Adminiculum rei de ipsa re est.

DEFINITIO.

114. Adminiculum est, sine quo res esse nequit.

ARGUMENTVM.

- §. 9. 115. Et dum eat in castra et redeat, (miles) reipublicae causa abest: quod et eundem sit in castra militaturo et redeundum. *L. 35. §. 9. b.* (§. 113. 104.) *L. 4. tit. 4. §. 189.*

ARGUMENTVM.

116. Viuianus scribit, Proculum respondisse, militem, qui comeatu absit, (§. 109.) dum domum vadit aut redit, reipublicae causa abesse, dum domi sit, non abesse. *L. 35. §. 9. b.* quia tum rebus suis priuatis adesse potest, (§. 13.) dum vadit et redit, non potest.

ANNOTATIO.

117. Dubitari potuit, an miles ad priuata negotia profectus, reipublicae causa adhuc absit, quia eiusdem negotii esse creduntur, sine quibus negotium expedi

diri nequit; (§. 113.) Abest autem, quoniam et hanc vadendi redeundique necessitatem respublica ipsi imposuit.

A N N O T A T I O.

118. Reipublicae causa abesse eos solos intelligimus, qui non sui commodi causa, sed coacti absunt. *L. 36. b. (§. 2.)* *Vlp. L. 6. ad L. Iul. et Pap. L. 36.*

A R G V M E N T V M.

119. Hi, qui in provincia sua ultra tempus a constitutionibus concessum (quatuor menses, *L. 10. C. de Adfessor.*) adsident, publica causa abesse non intelliguntur *L. 37. b. (§. 7.) §. 118.* *Paul. L. 3. ad L. Iul. et Pap. L. 37.*

A R G V M E N T V M.

120. Si cui in provincia sua princeps assidere speciali beneficio permiserit: puto eum reipublicae causa abesse. (Nam principis permissio non efficit, ut libere assideat, sed cum inter Assessores legitur, licentia reipublicae muneri locum facit. (§. 11.) Quodsi non ex permisso hoc fecerit, consequenter dicemus, cum crimen admisit, non habere eum privilegia eorum, qui reipublicae causa absunt. *L. 38. pr. b. (§. 119.)* *Vlp. L. 6. ad L. Iul. et Pap. L. 38. pr.*

A R G V M E N T V M.

121. Tamdiu reipublicae causa abesse quis videbitur, quamdiu officio alicui (ordinario vel specialiter mandato) praestit. (§. 111.) Quodsi finitum fuerit officium, iam desinit abesse reipublicae causa (§. 119.) Sed ad reuertendum illi tempora computabimus, statim atque desuit reipublicae causa abesse (ea) quibus reuerti in urbem potuit, et erit moderatum, (modicum, et cum restrictione: NON. MARC. de propr. Serm. c. 4.) tempora ei dare, quae lex reuertentibus praestitit. Quare si quo deflexerit (si non recta Roman tetenderit) suae rei causa, non dubitamus, id tempus ei non proficere, habitaque dinumeratione temporis, quo reuerti potuit, statim eum dicemus desuisse reipublicae causa abesse. *L. 38. §. 1. b. (§. 6.) L. I. tit. I. §. 243.)* §. 1.

A R G V M E N T V M.

122. Plane, si infirmitate impeditus continuare iter non potuit, habebitur ratio humanitatis: sicuti haberi solet, et hyemis, et navigationis, et caeterorum, quae casu contingunt. *L. 38. §. 1. b. (cum etiam reipublicae causa in casum et necessitatem absentiae inciderit. (§. 33. 81.)*

A R G V M E N T V M.

123. Is, qui reipublicae causa a futurus erat, (nondum profectus) si procuratorem reliquerit, per quem defendi potuit, (sed non reliquit,) in integrum volens restitui, non auditur. *L. 39. b. Nam desitit (L. 4. tit. 4. §. 146.)* *Paul. L. 1. Sent. L. 39.*

A N N O T A T I O.

124. Antinomiam statuunt inter hanc legem, et legem 26. §. fin. b. 1. (§. 79.) STRUVII conciliatio *Exercit. VIII. th. 73.* item COCCII *lure controu. ad h. tit. Quaest. 2.* non satisfacit. Disparet autem putatiua pugna, si verbum: *reliquerit:* futurum, praeteritum coniunctiui modi intelligas potentialiter, ita: Wann er möchte

möchte oder könnte hinterlassen haben. GRAMMATICA GIESSENS. L. 1. cap. 16. pag. 168.

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 5. Opin. L. 40. pr. 125. Si qua militi accusatio competat (si eius prae aliis interest, aut ex alia causa iudici probata L. 16. ff. De accusat.) tempore quo (absens) reipublicae operam dedit, non perimitur. L. 40. pr. b. Nam et accusatio ipsa bono reipublicae cedit, (§. 125.) non suo commodo, quae circumstantia perimeret restitutionem. (L. 4. tit. 4. §. 208.)

DEFINITIO.

126. Vfurpatio est possessionis et usucapionis per usum facta interruptio. L. 2. ff. de usurp. et usucap.

ARGUMENTVM.

§. 1. 127. Quod eo tempore, quo in insula aliquis fuit, (relegatus) ex poena ei irrogata, cuius restitutionem, (L. 2. tit. 4. §. 64.) impetrauit, ab alio usurpatum ex bonis, quae non erant ademta, (§. 63.) probatum fuerit, suae causae restituendum est. L. 40. §. 1. b. Quia clementia principis latissime intelligenda. (L. 1. tit. 1. §. 237.)

ANNOTATIO.

128. Suae causae restitui debet, quod usurpatum est, nempe in priorem circumstantiam restituitur, ita ut absens conditionem usucapendi recipiat. (L. 1. tit. 1. §. 228.)

ARGUMENTVM.

Iul. L. 35. Dig. L. 41. 129. Si quis Titio legauerit, si mortis suae tempore in Italia esset, aut in annos singulos, quod (Pandectae Florentinae habent, quo D. hoc legendum puto: quoad: uti in lege 43. sequ.) in Italia esset, et ei succursum fuerit, quia ob id, quod reipublicae causa abfuit, exclusus fuerit a legato (§. 37.) fideicommissum ab eo relictum praestare cogitur. L. 41. b. Sic enim voluntas testatoris accipitur, quod ciuem reipublicae deesse noluerit, et quod absentiam eius causa exceperit. (L. 1. tit. 1. §. 237.)

ANNOTATIO.

130. Marcellus notat: Quis enim dubitauit, salua legatorum et fideicommissorum causa militi restitui haereditatem, quam ob id perdidit, quod reipublicae causa abfuit? L. 41. b.

ARGUMENTVM.

Alf. L. 5. Dig. L. 42. 131. Non vere dicitur reipublicae causa abesse (eum) qui sui privati negotii causa in legatione est. L. 42. b. (§. 6.)

ARGUMENTVM.

Afric. L. 7. Quaest. L. 43. 132. Si quis stipulatus sit, in annos singulos, quoad in Italia esset, vel ipse, vel promissor: et alteruter reipublicae causa abesse coeperit: officium praetoris est, introducere (L. 3. tit. 3. §. 62.) in iudicii ordinatione) vtilem actionem (rescissoriam (L. 4. tit. 1. §. 16.) Eadem dicemus, et si ita concepta stipulatio fuerit: Si quinquennio proximo Romae fuerit: vel ita: si (Romae) non fuerit, centum dare spondes? L. 43. b.

ARGV-

ARGVMENTVM.

133. Is, qui reipublicae causa abest in aliqua re laesus, non restituitur, in qua etiam si reipublicae causa non abfuisse, damnum erat passurus. *L. 44. b.* Quoniam non absentia, sed fatum aut iuris defectus nocuit. (*§. 20.*) Restituuntur autem tantum laesi per gestionem (*L. 2. tit. 8. §. 36.*) *Paul. L. 2. ad Sab. L. 44.*

ANNOTATIO.

134. Milites omnes, qui discedere signis sine periculo non possunt, reipublicae causa abesse intelliguntur. *L. 45. b.* Necessitas enim reipublicae eos cogit. (*§. 2.*) *Scæv. L. 1. Reg. L. 45.*

ARGVMENTVM.

135. Qui reipublicae causa abfuit, etiam aduersus eum, qui pariter reipublicae causa abfuerit, restituendus est, si aliquid damni iuste queritur. (*L. 46. b. §. 49.*) *Marc. L. 2. Reg. L. 46.*

REGVLA.

136. Tantum quisque praestat, quantum iniuria nocuit.

DE

ALIENATIONE IVDICII MUTANDI
CAVSSA FACTA.

TIT. VII.

OBSERVATIO.

1. Omnibus modis Proconsul id agit, ne cuius deterior causa fiat ex alieno facto. (*L. 3. tit. 1. §. 66.*) Et cum intelligeret, iudiciorum exitum interdum duriores (nobis) constitui, opposito nobis alio aduersario, in eam quoque rem prospexit: ut si quis alienando rem, alium nobis aduersarium suo loco substituerit, idque data opera in fraudem nostram fecerit, tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostra interfit, alium aduersarium nos non habuisse. *L. 1. pr. b. (L. 2. tit. 7. §. 23.)* *Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 1. pr.*

ARGVMENTVM.

2. Itaque si alterius provinciae (et fori) hominem, aut potentior rem nobis opposuerit aduersarium, tenebitur. *L. 1. tit. 1. b.* Aut alium, qui vexaturus sit aduersarium. *L. 2. b.* Quia etiam, si cum eo, qui alterius provinciae sit, experiar, in illius provinciae experiri debeo (quod molestum) et potentiori pares esse non possumus. (gratia, fauore, largitione.) *L. 3. pr. b.* *§. 1. Paul. L. 13. ad Ed. L. 2. Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 3. pr.*

ARGV-

ARGUMENTVM.

- §. 1. 3. Sed et si hominem, quem petebamus, manumiserit, durior nostra conditio fit, quia praetores faueant libertatibus. *L. 3. §. 2. b. (L. 2. tit. 12. §. 14.)*

DEFINITIO.

4. Actio aquae pluuiarum arcendae est postulatio eius, cuius ager damnum ex aqua pluuia per opus alterius accipit, aduersus opus habentem ad huius destructionem.

ARGUMENTVM.

- §. 2. 5. Item, si locum, in quo opus feceris, cuius nomine interdicto quod vi aut clam (*L. 3. tit. 3. §. 235.*) vel actione aquae pluuiarum arcendae (§. 4.) tenebaris, alienaueris, durior nostra conditio facta intelligitur, quasi tecum ageretur, tuis impensis id opus tollere deberes: (quoniam fecisti (*L. 2. tit. 7. §. 23.*) nunc vero, cum incipiat mihi aduersus alium actio esse, quam qui fecerit, compellor meis impensis id tollere. *L. 3. §. 2. b.*

REGVLA.

6. Reipublicae interest agros coli.

POSITIO.

7. Quia, qui ab alio factum possidet, hactenus istis actionibus (interdicto quod vi aut clam, et actione aquae pluuiarum arcendae) tenetur, ut patiat id opus tolli. *L. 3. §. 2. b.*

PROBATIO.

Opus clam vel vi extractum, quod per aquam pluuiam agris priuatis vicinis nocet, etiam reipublicae nocinum est, (§. 6.) adeoque tolli et destrui debet. (*L. 2. tit. 12. §. 10.*) At vero emtor fundi eiusmodi opus non fecit (per hypoth.) et quod non fecit non praestat (*L. 4. tit. 6. §. 134.*) quare non tenetur tollere opus in suo ab alio factum, unde nec sumtus praestat, sed pati tantum tenetur, ut tollatur. Sumtus autem regulariter praestat, qui aliquid fieri curat, ideo et actor sumtus destructionis feret.

ANNOTATIO.

8. Aduersus facientem venditorem agere non potest, quia hic non habet extractum. (§. 4.)

ARGUMENTVM.

- §. 3. 9. Opus quoque nouum, si tibi nunciauerim, tuque eum locum alienaueris, et emtor opus fecerit: dicitur, te hoc iudicio teneri: quasi neque tecum ex operis noui nunciatione agere possim, quia nihil feceris (*L. 2. tit. 14. §. 64.*) neque cum eo, cui id alienaueris, quia ei nunciatum non sit. *L. 3. §. 3. b.* In hac lege is locus alienatus est, ubi nouum opus parabatur: in *lege fin. ff. De op. noui munc.* integrum praedium alienatum proponitur. Pugnans hi textus secum, quos ita concilio: Nunciatio rei fit, non personae: *L. 8. §. 6. ff. eod.* praedio venditoris nunciatio facta est: vendita parte, iam duo praedia sunt, et parti, quod modo nouum praedium integrale emtoris consti-

constituit, nunciatio facta non est, sed venditoris. e. gr. fundo Corneliano: si emtor opus fecit, venditor nihil contra nunciationem et edictum praetoris fecit: destitit enim ab opere, et ex nunciatione cum eo agi non potest. E contrario, si totum praedium venditum est, ut in dicta lege finali proponitur, praedium nunciatione adfectum et prohibitum est, ne opus in eo paretur; ergo emtor, dominus praedii prohibiti, ex illa nunciatione tenetur. Nam et is, qui partem vendit, in fundo suo opus simile, quale in loco vendito moliebatur, vi nunciationis adhuc facere prohibetur. Non obstat, quod in parte prohibitum sit, quod in toto prohibebatur: nam alienata pars non amplius pars est, sed totum per se subsistens. Est autem haec philosophia Ictorum, ut ex vno aliquo et toto species iudicetur, et iura tam pereant quam tribuantur. *L. 76. ff. de iudiciis. L. 3. 6. ff. De R. V. L. 34. §. 1. L. 36. ff. De usufr. L. 10. §. 1. ff. Quib. mod. usufr. amitt.*

ANNO TATIO.

10. Ex quibus apparet, quod proconsul, in integrum restitutum pollicetur, ut hac actione officio tantum iudicis consequatur actor, quantum eius interfit, alium aduersarium non habuisse: forte si quas impensas fecerit (dum ad aliam provinciam agendi causa proficisci, aut suis sumptibus opus destruere necesse habuit) aut si quam aliam incommoditatem passus erit, propter potentiam noui aduersarii etc. alio aduersario substituto. *L. 3. §. 4. b. (§. 1.)*

§. 4.

ARGUMENTVM.

11. Quid ergo est, si is aduersus quem talis actio competit, (quae tamen per alienationem euauit, (§. 9.) paratus sit vtile iudicium pati, perinde ac si possideret? Recte dicitur: denegandam esse aduersus eum ex hoc edicto actionem. *L. 3. §. 5. b.* Ex multiplici ratione, quia cessat laesio ex alienatione metuenda, quia subsidiarium cessat, competente ordinario. (*L. 3. tit. 3. §. 172.*) quia per vtilem actionem demum liquidum fiet, vtrumnam iure suo recte usus sit, qui opus extruxit, et quia magis consultum est, actione vtili interesse consequi, quam opus suis sumptibus in fundo alieno destruere.

§. 5.

ARGUMENTVM.

12. Item, si res fuerint vsucaptae ab eo, cui alienatae sunt, (iudicii mutandi causa) nec peti ab hoc possint: locum habet hoc edictum. *L. 4. pr. b.* causa enim alienatione deterior facta est. (§. 1.)

Vlp. L. 13. ad Ed. L. 4. pr.

OBSERVATIO.

13. Itemque fieri potest, ut sine dolo malo quidem possidere defierit, verum iudicii mutandi causa id fiat. Sunt et alia complura talia. Potest autem aliquis dolo malo desinere possidere, nec tamen iudicii mutandi causa fecisse, nec hoc edicto teneri, neque enim alienat, qui duntaxat omittit possessionem. *L. 4. §. 1. b.*

§. 1.

ANNO TATIO.

14. Si seruus ex noxalibus causis a duobus petatur, et dominus eum vni noxae dederit, vel duci passus sit, ut defensionis molestia liberetur. *L. 14. pr. ff. De*

noxal. act. dolo vacat, quia iustam habuit alienandi causam, veruntamen iudici mutandi causa fecit.

A R G V M E N T V M.

15. Non tamen eius factum improbat praetor, qui tanti habuit re carere, ne propter eam saepius litigaret. *L. 4. §. 1. b.*

R E G V L A.

16. Haec enim verecunda cogitatio eius, qui lites execratur, non est vituperanda. *L. 4. §. 1. b.*

A N N O T A T I O.

17. Sed eius duntaxat, qui cum rem (sive lucrum ex re) habere vult, litem ad alium transfert, ut molestum aduersarium pro se subiiciat. *L. 4. §. 1. b.*

A R G V M E N T V M.

§. 2. 18. Quodcumque alienando aduersarius et per hoc iudicium mutatur ad molestiam actoris, hoc edictum locum habet. (§. 1. 17.) Hinc Sextus Pedius libro nono: Non solum ad dominii translationem hoc edictum pertinere ait, verum ad possessionis quoque: alioquin, cum quo in rem agebatur (inquit) si possessione cessit, non tenebitur. *L. 4. §. 2. b. (§. 30. infra.)*

A R G V M E N T V M.

§. 3. 19. Si quis autem ob valetudinem aut aetatem, aut occupationes necessarias litem in alium transfulerit, in ea causa non est, ut hoc edicto teneatur, cum in hoc edicto doli mali fiat mentio. *L. 4. §. 3. b. (§. 1.)*

A N N O T A T I O.

20. Caeterum erit (alioquin esset) interdictum et per procuratores litigare, dominio in eos plerumque ex iusta causa translato. *L. 4. §. 3. b. (L. 3. tit. 3. §. 62. sequ.) L. 2. tit. 2. §. 12.)*

A R G V M E N T V M.

§. 4. 21. Ad iura etiam praediorum hoc edictum pertinet, (ad iurisdictionem, ius venandi, seruitutes, ne opus nouum fiat. *L. 57. pr. ff. Fam. etc.*) modo si dolo malo fiat alienatio. *L. 4. §. 4. b.*

A N N O T A T I O.

§. 5. 22. Haec actio in id, quod interest competit, (per verba edicti: in fraudem: id est damnum, (§. 1.) *L. 2. tit. 14. §. 57.*) proinde, si res non fuit petitoris, aut si is, qui alienatus est, sine culpa deceffit, cessat iudicium, nisi (si) quid actoris praeterea interfuit. *L. 4. §. 5. b.*

A R G V M E N T V M.

§. 6. 23. Haec actio non est poenalis, (Nam fraus (§. 1.) dolus non est, sed damnum. (§. 22.) sed rei (eius quod interest (§. 22.) persecutionem, (quia venditor lucrum facti habet, et quidem sine gestione actoris,) arbitrio iudicis continet. *L. 4. §. 6. b.* Est enim vere arbitraria, utpote quae satisfactionis et petitionis quoque incertae est, quantum vero ad certum reducitur, arbitrio et determinatione iudicis (*L. 4. tit. 2. §. 79.*) Quid enim damni liquido probet actor,

actor, quod res petita alienata est, quod subiectus est potentior aduersarius, quod possessio translata?

ARGUMENTVM.

24. Detrimentum hoc causam bonorum habet, et reale est, quare et haeredi dabitur. (haec actio) *L. 4. §. 6. b.* (L. 2. tit. 3. §. 26.)

ARGUMENTVM.

25. In haerem autem *L. 4. §. 6. b.* vel similem *L. 5. b.* vel post annum non dabitur. *L. 6. b.* quia factum personale ad haerem vel aliam personam non transit, (L. 2. tit. 3. §. 25.) Est autem annalis, cum praeter ius ciuile sit. (L. 2. tit. 4. §. 103.) Quia pertinet quidem ad rei persecutionem, videtur autem ex delicto (facto in fraudem alterius tendente) dari. *L. 7. b.* (§. 1. 22.)

Paul. L. 12. ad Ed. L. 5. Vlp. L. 13. ad Ed. L. 6. Cai. L. 4. ad Ed. pr. L. 7.

ANNOTATIO.

26. Haec frustula legum merito pro difficilibus habeas. Actio ex delicto descendere dicitur, nec tamen poenalis est. Rei persecutoria est: sed alienans rei lucrum non habet. In haerem non datur, cum tamen haeredibus turpia, id est, dolose quaesita lucra extorqueri debeant. Resolutio superior haec forte dubia tollit.

ARGUMENTVM.

27. Ex hoc edicto tenetur, et qui rem exhibet, si arbitrato iudicis pristinam iudicii causam non restituit. *L. 8. pr. b.*

Paul. L. 12. ad Ed. L. 8. pr.

ANNOTATIO.

28. Vereor actionem quam Titius aduersus me in rem meditatur, interim eandem rem controuersam Caius exhiberi petit. Exhibeo rem quam Caius me data opera non defendente vindicat. Arbitrabitur nihilominus iudex, rem mutandi iudicii causa sub colore exhibitionis necessariae studiose alienatam fuisse. Nisi ergo rem in eandem causam (L. 1. tit. 1. §. 227.) restituam, in qua fuit ante exhibitionem atque desertam defensionem, hac in factum actione teneor.

ANNOTATIO.

29. Ait praetor: Quaeue alienatio iudicii mutandi causa facta erit, id est: (si) futuri iudicii causa, non eius quod iam sit. *L. 8. §. 1. b.* Nam litigiosi alienatio nullius momenti est. *L. 10. ff. Famil. hercisc.*

§. 1.

ANNOTATIO.

30. Alienare intelligitur etiam, qui alienam rem vendidit. *L. 8. §. 2. b.* (§. 18.)

§. 2.

DEFINITIO.

31. Alienatio est rei iusto titulo in alium facta translatio.

DEFINITIO.

32. Alienatio hic loci est quaelibet translatio possessionis, qua persecutio actoris deterior fit.

ARGUMENTVM.

33. Sed haerem instituendo vel legando, si quis alienat, huic edicto locus non erit. *L. 8. §. 3. b.* Testamenti causa publica est, contra quam

§. 3.

praetor restituendi potestatem non habet. (L. 4. tit. 5. §. 3.) et omnino abest animus vexandi, dum alia iusta causa demonstratur. (L. 1. tit. 1. §. 73.) Denique non videtur alienare, qui retinere nequit.

ARGUMENTVM.

- §. 4. 34. Si quis alienauerit, deinde receperit, non tenebitur hoc edicto. L. 8. §. 4. b. Nec etiam hoc casu actoris interest. Factum autem non puni-
tur. (§. 25. 22.)

ARGUMENTVM.

- §. 5. 35. Qui redhibet non transfert rem vel ius rei, sed translationem potius resolu-
atque tollit. Ergo: Qui venditori suo redhibet, non videtur iudicii mu-
Paul. L. 1. tandi causa alienare. L. 8. §. 5. b. Quia redhibito homine omnia re-
ad Ed. tro aguntur, et ideo non videtur iudicii mutandi causa alienare, (qui red-
Asd. cur. hibet. L. 9. b. (L. 3. tit. 5. §. 183.)
L. 9.

ARGUMENTVM.

36. Nisi si propter hoc ipsum redhibet (vt iudicium mutet) non red-
hibiturus alias. L. 9. b. (§. 17.)

ARGUMENTVM.

- Vlp. L. 12. 37. Nam et si obligatus (tertio cuidam) soluero, quod a me petere
ad Ed. velles, (actione apud praetorem) huic edicto locus non erit. L. 10. pr. b.
L. 10. pr. Nam fraudandi damnun inferendi animo non alieno. (§. 1.)

ARGUMENTVM.

- §. 1. 38. Si tutor pupilli vel agnatus furiosi (qui curator eius est,) aliena-
uerint, utilis actio competit, (L. 1. tit. 7. §. 69.) non directa quia (pupillus
aut furiosus) consilium huius fraudis inire non possunt. L. 10. §. 1. b.

ARGUMENTVM.

- Id. L. 5. 39. Cum miles postulabat suo nomine litigare de possessionibus,
Opin. quas sibi donatas esse dicebat, (et quas alius quoque petebat, atque orieba-
L. 11. tur suspicio an ne iudicii mutandi causa militi facta sit donatio) responsum est,
si iudicii mutandi causa donatio facta fuerit, priorem dominum (do-
nantem) experiri oportere: vt rem magis, quam litem transfuisse cre-
datur. L. 11. b. Si enim donans dominium probauerit, rem transfudit non li-
tem. Hanc ergo quaestionem praeiudicalem prius exequi oportebat. (L. 1. tit. 6
§. 27.)

OBSERVATIO.

- Marc. L. 14. 40. Si quis iudicii communi diuidendo euitandi causa rem (par-
Inst. tem suam) alienauerit, ex Lege Licinnia ei interdicitur, ne communi di-
L. 12. uidendo iudicio experiatur: (contra socium) verbi gratia: vt potentior
emtor per licitationem vilius eam accipiat, et per hoc iterum recipiat.
Sed ipse quidem, qui partem alienauerit, communi diuidendo iudicio,
si agere velit, non audietur. Is vero qui emit, si experiri velit, ex illa
parte edicti vetatur, qua cauetur: (in ipsam rem prohibitive:) Ne qua alie-
natio iudicii mutandi causa fiat. L. 12. b.

A N N O T A T I O.

41. Est, verbi gratia, domus communis, ipsam domum integram acquirere cupio. In speciem ergo vendo potentiori partem meam, et iam ad iudicium communi diuidendo prouoco, vt auctione facta contemplatione potentioris emtoris tam focii, quam alii licitatores desistant, domusque ipsi viliori pretio addicatur, quam per hoc artificium ab ipso eodem pretio recepturus sum. Obstat mihi actu- ro Lex Licinnia, et emtori dicta prohibitio. Ita lex commode ex- plicatur, quam Glossa cum ratione difficilem praedicat.

D E

RECEPTIS, QVI ARBITRIVM RECEPE-
RVNT, VT SENTENTIAM DICANT.

TIT. VIII.

D E F I N I T I O.

1. Compromissum est conuentio partium litigantium, qua vel euentui vel iu- stitiae arbitrii extraiudicialis causam committunt. (L. 2. tit. 8. §. 61. 62.)

O B S E R V A T I O.

2. Compromissum ad similitudinem iudiciorum et ad finiendas li- tes pertinet. *L. 1. b.* (L. 2. tit. 12. §. 29.)

*Paul. L. 2.
ad Ed.
L. 1.*

A R G V M E N T V M.

3. Quoniam exceptio rei iudicatae postulationis species est, (L. 2. tit. 10. §. 4.) quae non nisi ex sententia iudicis oritur. (L. 3. tit. 5. §. 89.) Ex compromisso placet exceptionem (rei iudicatae) non nasci. *L. 2. b.*

*Vlp. E. 4.
ad Ed.
L. 2.*

O B S E R V A T I O.

4. Compromissum non est pactum legitimum, nulla enim legis assistentia iuuatur, quod Digestorum textus produnt. Solet autem poena per stipulationem adijci, et dicit textus praesens, exceptionem rei iudicatae, ex compromisso non nasci, sed poenae petitionem, ex stipulatu.

A R G V M E N T V M.

5. Sed poenae petitionem *L. 2. b. r.* (nasci ex compromisso placet) quoniam ex contractu nascitur actio. (L. 2. tit. 14. §. 1.)

A N N O T A T I O.

6. Prolixior esset recensio dissensus Doctorum, Giphanii, Connani, Treut- leri, Bacchouii et aliorum, quorum quidam pactum compromissorium legitimum efficere satagunt per *legem 5. C. de recept. arbitris*. Nobis praecipue curae esse debet, quis sensus legum, quae Digestis continentur, olim et originarie fuerit: Com- promissum est nudum pactum: vnde nec actio inde prodire potuit, vt compro-
misse

missio inuito petitio nata sit, ut ad arbitrum iretur. Praetor igitur per modum restitutionis actionem proposuit compromittentibus, ne ex data ab arbitro fide in damno haerent. Ideo etiam titulus praesens in materiam de in integrum restitutione relatus fuit. (§. 8. infra.) (L. 2. tit. 14. §. 1.)

ARGUMENTVM.

*Id. L. 13.
ad Ed.
L. 3. pr.*

7. Labeo ait: si compromisso facto sententia dicta est, quo quis a minore 25. annis tutelae (iudicio) absolueretur, ratum id a praetore non habendum, neque poenae eo nomine commissae petitio dabitur. *L. 3. pr. h.* Restitutio rescindens datur aduersus rem iudicatam (L. 4. tit. 4. §. 71.) Sed arbitri sententia rem iudicatam non producit (§. 1.) unde nec restitutione in integrum rescindente opus erit, sed Praetor iudicium tutelae simpliciter dabit, sufficietque adeo remedium rescissorium. (L. 4. tit. 1. §. 16.)

ARGUMENTVM.

§. 1.

8. Tametsi neminem praetor cogat arbitrium recipere, (quoniam haec res libera et soluta est, et extra necessitatem iurisdictionis posita) attamen, ubi quis in se receperit arbitrium, ad curam ac sollicitudinem suam hanc rem pertinere putat: non tantum quod studeret lites finiri, (§. 2.) verum quoniam non deberent decipi, qui eum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt. Finge enim post causam semel atque iterum tractatam, post nudata vtriusque intima et secreta negotii aperta, arbitrum vel gratiae dantem, vel sordibus corruptum, vel alia, (qua) ex causa nolle sententiam dicere. Quisquamne potest negare aequissimum fore praetorem interponere se (deuisse) ut officium, quod in se recepit, implet. *L. 3. §. 1. b.* (L. 2. tit. 14. §. 1.) Ait praetor: qui arbitrium pecuniae compromissae receperit. *L. 3. §. 2. b.* (§. 6.)

§. 2.

ANNOTATIO.

§. 3.

9. Tractemus de personis arbitrantium. Et quidem arbitrum cuiuscunque dignitatis coget, officio quod susceperit perfungi, etiamsi sit consularis: (L. 4. tit. 3. §. 56.) nisi forte sit in aliquo magistratu positus vel potestate, Consul forte vel Praetor, quoniam in hoc imperium non habet. *L. 3. §. 3. b.* Nam magistratus superiore aut pari imperio (qui cum superiore aut pari imperio sunt) nullo modo possunt cogi. Nec interest, ante, an in ipso magistratu arbitrium susceperint. Inferiores possunt cogi. *L. 4. b.* (L. 4. tit. 4. §. 136.)

*Paul. L. 13.
ad Ed.
L. 4.*

ARGUMENTVM.

*Vlp. L. 13.
ad Ed.
L. 5.*

10. Sed et filius familias compelletur *L. 5. b.* nec patriae potestati per imperium magistratus derogabitur, quia arbitrium extra familiam est. (L. 1. tit. 6. §. 25.) et habet similitudinem iudicii quod publica causa est, et cuius respectu filius familias pro patre familias habetur.

ARGUMENTVM.

*Cai. L. 5.
ad Ed. pr.
L. 6.*

11. Quin etiam de re patris dicitur filium familias arbitrum esse: nam et iudicem eum esse posse (de re patris) plerisque placet. *L. 6. b.* (§. 10.)

ANNOTATIO.

12. Res dubitatione carere non potuit. Filius de re patris iudex constitutus, videtur imperium in rem familiae exercere: pater contestatione litis filii potestatem agnoscit. Enimuero, causa controuersa res familiae non est, quae et aduersarii est, capropter pater per litis contestationem potestatem filii confirmat, quae officii et reipublicae est, familiae vero non tribuit.

OBSERVATIO.

13. Pedius libro 9. et Pomponius libro 33. scribunt, parui referre, ingenuus quis, aut libertinus sit, integrae familiae, qui sit arbiter, an ignominiosus. In seruum Labeo compromitti non posse, libro II. scribit: et est verum. *L. 7. pr. b.* (L. 2. tit. 7. §. 10.)

Vlp. L. 13. ad Ed. L. 7. pr.

ANNOTATIO.

14. Ignominiosus iudex esse nequit, (L. 1. tit. 9. §. 9.) ob ordinis quoque dignitatem: nam Senatores iudices erant: CICERO *in Verrem 1. pag. mihi 242.* arbitri autem potestas mere priuata erat, voluntate compromittentium ei collata. (§. 1.)

POSITIO.

15. Vnde Iulianus ait: si in Titium et Seruum compromissum sit nec Titium cogendum sententiam dicere. *L. 7. §. 1. b.*

§. 1.

PROBATIO.

Compromissi in Titium et seruum modus resoluens cum ipso compromisso nascitur, nempe in adiecto seruo, qui iuris impossibilitate arbiter esse nequit (§. 13.) cuius autem rei modus resoluens cum ipsa re nascitur, ea est nulla. (L. 1. tit. 7. §. 35.) et compromissum tale nullum est. Quando autem compromissum nullum est, arbiter non cogitur dicere sententiam, (L. 1. tit. 1. §. 216.) ergo, si in Titium et seruum compromissum est, non cogitur.

ANNOTATIO.

16. Quia cum in alio receperit: quamuis serui (inquit) arbitrium nullum sit. Quid tamen, si dixerit sententiam Titius? poena non committitur, quia non vt receperit dixit sententiam. *L. 7. §. 1. b.* Serui quidem arbitrium nullum est, non tamen quasi accessorium vitatur. (L. 2. tit. II. §. 42.) sed nequidem Titii sententia valet, cuius solius potestas Titio, vi compromissi, non competit.

ARGUMENTVM.

17. Sed si ita compromissum sit, vt (vel) alterutrius sententia valeat, Titium cogendum. *L. 8. b.* Ita enim sententia dicta fuit, vt compromissum vult. (§. 16.)

Paul. L. 13. ad Ed. L. 8.

REGVLA.

18. Actus permanentis durationis ob impedimentum vel defectum anterioris temporis frustraneus, retro valet, impedimento vel defectu, posteriore tempore sublato.

ARGV-

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 13. ad Ed. L. 9. pr. 19. Sed si in seruum compromittatur, et liber sententiam dixerit: puto, si liber factus fuerit consentientibus partibus, valere. *L. 9. pr. b.* Durante compromisso in libertatem, quod ex consensu in eam colligitur, in ipsa libertate compromissum videtur. (§. 18.) pactum enim in seruo subsistit. *L. 3. c. De pact. L. 8. C. de lib. causs.*

ARGUMENTVM.

§. 1. 20. Sed neque in pupillum, neque in furiosum, aut surdum, aut mutum compromittetur vt Pomponius libro 33. scribit, *L. 9. §. 1. b.* In dictis personis ob. intellectus defectum nequidem pactum compromissi subsistit: vnde compromissum non retro trahitur, quamuis pupillus iustae aetatis, furiosus sanae mentis, aut prodigus bonae frugi factus sit.

ARGUMENTVM.

§. 2. 21. Litis contestatio, qua iudex recipiebatur, excludit compromissum, quo qui iudex est, arbiter fiat, quare compromissum nullum est. (§. 1.) Ergo: Si quis iudex sit, arbitrium eius rei, de qua iudex est, inue se compromittere iubere, prohibetur Lege Iulia. (de iudiciis priuatis: *L. 41. ff. h. t.*) Et si sententiam dixerit, non est danda poenae persecutio. *L. 9. §. 2. b.* quia, quod nullum est effectum non producit. (*L. I. tit. I. §. 216.*)

ARGUMENTVM.

§. 3. 22. Sunt et aliqui, qui non coguntur sententiam dicere, vt puta, si sordes aut turpitudine arbitri manifesta sit. *L. 9. §. 3. b.* propter similitudinem arbitri cum iudice. (§. 2.) (*L. I. tit. 9. §. 9.*)

ARGUMENTVM.

§. 4. 23. Iulianus ait, si eum infamauerunt litigantes non omnimodo praetorem debere eum excusare, (a dicenda sententia, ideo quod semel in eum compromissum sit, partesque aduersus factum proprium venire nequeant) sed causa cognita. *L. 9. §. 4. b.* (*L. I. tit. 7. §. 61.*) Idem, et si sprete auctoritate (existimatione et integritate) eius ad iudicium. *L. 9. §. 5. b.* Vel alium arbitrum *L. 10. b.* Litigatores ierint, mox ad eundem arbitrum redierint, praetorem non debere eum cogere, inter eos disceptare, qui ei contumeliam hanc fecerunt, vt eum spernerent, et ad alium irent. *L. 11. pr. b.* (Vti enim per fiduciam in eum eiusque officiositatem compromissum factum fuerat, ita per dissidentiam et dubitationem atque iniuriae dolorem solutum est. (*L. I. tit. I. §. 153.*) Arbitrum autem cogendum non esse sententiam dicere, nisi compromissum interuenerit. *L. 11. §. 1. b.* quod adhuc subsistat: solutum autem pro eo est, quasi non interuenerit.

ANNOTATIO.

§. 2. 24. Quod ait praetor: Pecuniam compromissam accipere nos debere, non si vtrisque poena nummaria, sed si et alia res vice poenae, si quis arbitri sententia non steterit, promissa sit (et ita) Pomponius scribit. *L. 11. §. 2. b.*

ARGVMENTVM.

25. Quid ergo, si res apud arbitrum depositae sunt, eo pacto, vt ei daret, qui vicerit, vel vt eam (rem) daret; si non pareatur sententiae, an cogendus sit sententiam dicere? Et puto cogendum. *L. II. §. 2. b.* (§. 8.)

ANNOTATIO.

26. Ratio dubitandi ex edicto praetoris est, qui tantum de pecunia compromissa edixit: comprehendit autem pecunia omnem poenam. Proinde cauillatio vocis arbitro nullam excusationem parit, quo minus sententiam dicat. (§. 24.)

ANNOTATIO.

27. Tantundem, et si quantitas certa ad hoc apud eum deponatur, (et interponatur stipulatio poenae) proinde et si alter rem, alter pecuniam stipulanti promiserit, plenum compromissum est, (quamuis non in idem subiectum poenae consentum sit) et cogetur sententiam dicere. *L. II. §. 2. b.* (§. 26.)

ARGVMENTVM.

28. Interdum, vt Pomponius scribit, recte nudo pacto (loco stipulationis poenae) fiet compromissum: vt puta, si ambo (compromittentes) debitores fuerunt et pacti sunt, ne petat quod sibi debetur, qui sententiae arbitri non paruit. *L. II. §. 3. b.* (*L. 2. tit. 14. §. 52.*) §. 3.

ANNOTATIO.

29. Alias, si affirmatiue poena statuitur, per stipulationem statui debet, vt petitio inde detur.

REGVLA.

30. Nulla ratio suadet id agere, quod non actum fuerit, vel agere, ne actum sit.

ARGVMENTVM.

31. Ergo tradere non cogor, quod mox recepturus sum.

ARGVMENTVM.

32. Item, Iulianus scribit, non cogendum arbitrum sententiam dicere, si alter promiserit, alter non. *L. II. §. 4. b.* Sententia enim foret frustranea. (§. 30.) §. 4.

ARGVMENTVM.

33. Idem dicit: et si sub conditione fuerit poena compromissa. Velut: si nauis ex Asia venerit, tot millia (dare spondes, nisi sententiae arbitri pareas.) Non enim prius arbitrum cogendum sententiam dicere, quam conditio extiterit: ne sit inefficax deficiente conditione. (§. 30.) Et ita Pomponius libro 33. ad Edictum scribit: *L. II. §. 5. b.* §. 5.

ANNOTATIO.

34. Quo casu ad Praetorem pertinebit, in eo forsitan solo, vt si pos-*Paul. L. 13.* sit dies compromissi proferri, proferatur. *L. 12. b.* Vt die et conditione commissa arbiter demum sententiam dicere iubeatur. Nam si arbiter prohibitus *L. 12.* sit in compromisso diem proferre, non potest.

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 13. ad Ed. L. 13. pr. 35. Pomponius ait: et si alteri accepto lata sit poena compromissi, non debere eum compelli sententiam dicere. *L. 13. pr. b. (§. 30.)* Quoniam is impune sententiae non pareret, cui accepto lata est poena, quo inanis redderetur sententia. (§. 30.)

ARGUMENTVM.

§. 1. 36. Idem Pomponius scribit: si de meis solis controuersis sit compromissum, et de te poenam sim stipulatus (non tu vicissim a me) videntum, ne non sit compromissum (efficax.) Sed cui rei moueatur, (quamobrem dubitet Pomponius) non video. Nam si ideo, quia de vnus controuersis solum compromissum est, nulla ratio est: licet enim, et de vna re compromittere: si vero (ideo) quia ex altera duntaxat parte stipulatio interuenit, est ratio, (§. 32.) Quamquam si petitor quis stipulatus est (poenam) possit dici, plenum esse compromissum, (quod effectu non destitueretur) quia is, qui conuenitur, tutus est (veluti) pacti exceptione (si petitor nolit stare sententiae arbitri, poterit reus, iudicio conuentus, opponere exceptionem pacti compromissi) is qui conuenit, si arbitrio non pareatur, (a conuento) habet stipulationem (poenae.) Sed id verum esse non puto, neque enim sufficit exceptionem habere, vt arbiter sententiam dicere cogatur. *L. 13. §. 1. b.* Nam effectu destitueretur sententia, et actum esset non actum, (§. 30.) ergo compromissum nullum est. (§. 32.) cum per hoc lis finire debeat. (§. 2.)

ANNOTATIO.

37. Sedulo cauit Vlpianus, ne reum, vel actorem nominaret, quae appellationes iudicio conueniunt.

DEFINITIO.

§. 2. 38. Recepisse autem arbitrium videtur, (vt Pedius libro 9. dicit) qui iudicis partes suscepit, (§. 2.) finemque se sua sententia controuersis impositurum, pollicetur. *L. 13. §. 2. b.*

ARGUMENTVM.

39. Quod si (inquit) haecenus interuenit, vt experiretur, an consilio suo vel auctoritate discuti litem paterentur, non videtur arbitrium recepisse. *L. 13. §. 2. b.* Aliud est compromissum, aliud transactionis tentatio.

ARGUMENTVM.

§. 3. 40. Arbiter ex compromisso his diebus (hoc dierum spatio) non cogitur sententiam dicere, quibus iudex non cogetur, (§. 2.) nisi dies compromissi (quando in certam diem partes compromiserunt in arbitrium *L. 2. tit. 6. §. 8.*) exitura sit, nec proferri (differri, dilatio concedi) possit. *L. 13. §. 3. b.* Non potest proferri dies, si hoc in compromisso non est expressum.

ARGUMENTVM.

§. 4. 41. Proinde, si forte vrgeatur a praetore ad sententiam, aequissimum erit, si iuret, sibi de causa nondum liquere: spatium ei ad pronunc-

nunciandum dari. *L. 13. §. 4. b.* Ad impossibile quidem nemo obligatur, (*L. 1. tit. 1. §. 204.*) tamen cautione opus est.

ARGVMENTVM.

42. Sed si compromissum sine die confectum est, necesse est arbitro omnimodo dies statuere, (quia compromissum litem finire debet (§. 2.) *Pomp. L. 11. ad Qu. Mus. L. 14.*) partibus (scilicet) consentientibus (cum omnis arbitri potestas ab harum voluntate pendeat. (§. 1.) et ita causam disceptari. Quod si hoc praetermiserit, omni tempore cogendus est sententiam dicere: *L. 14. b.*

ARGVMENTVM.

43. Licet autem praetor districte (sine exceptione) edicat: sententiam se arbitrum dicere coacturum: attamen interdum rationem eius habere debet, et excusationem recipere causa cognita. Vtputa, si fueit infamatus a litigatoribus (§. 23.) aut si inimicitiae capitales inter eum, et litigatores, aut alterum ex litigatoribus intercesserint, (quia arbitrium officiositas est, vti mandatum.) (*L. 3. tit. 3. §. 31.*) aut si aetas, aut valetudo, quae postea contingit, id ei munus remittat, aut occupatio negotiorum priorum, vel profectio vrgens, (reipublicae causa) aut munus aliquod reipublicae: et id Labeo *L. 15. b.* (*L. 3. tit. 3. §. 31.*) Et si qua alia incommoditas ei post arbitrium susceptum incidat. *L. 16. pr. b.* (*L. 3. tit. 3. §. 30.*) *Vlp. L. 13. ad Ed. L. 15. Paul. L. 13. ad Ed. L. 16. pr.*

ANNOTATIO.

44. Sed in causa valetudinis similibusue, causa cognita differre cogitur. *L. 16. pr. b.*

ANNOTATIO.

45. Arbitr, (qui post arbitrium receptum causae alii iudex datus est) iudicii sui nomine, quod publicum aut priuatum habet, excusatus esse debet a compromisso, vtique, si dies compromissi proferri non potest, (post iudicium peractum) quod si potest, quare non cogat eum (praetor) cum potest proferre? quod sine vlla distinctione (impedimento et molestia) ipsius interdum futurum est. *L. 6. §. 1. b.* §. L.

ARGVMENTVM.

46. Si dies compromissi exitura est, dum arbitr impedito detinetur, et cautum non est in compromisso, diem dicendae sententiae proferri: consentire denuo debet arbitr in se compromitti, vt cogi possit sententiam dicere, ne officio suo se subtrahat. (*L. 1. tit. 7. §. 56.*) et ne compromissum frustraneum efficiat. (§. 30.)

ANNOTATIO.

47. Hic est sensus legis: Si tamen vterque velit eum sententiam dicere, an quamuis cautum non sit de die proferenda, non alias impetret (arbitr excusationem) quia iudicium habeat, ne cogatur: quam si consentiat denuo in se compromitti? Haec. (affirmantur) (scilicet) si dies exitura est. *L. 16. §. 1. b.*

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 13.
ad Ed.
L. 17. pr.

48. Item, si vnus ex litigantibus bonis suis cedat, Iulianus Libro quarto Digestorum scribit, non esse cogendum arbitrum sententiam dicere, cum neque agere, neque conueniri possit. *L. 17. pr. b.* quia cedens nec actiones retinet, nec substantiam, inanis esset conuentio. (§. 30.)

DEFINITIO.

49. Cessio bonorum est omnis substantiae et iuris acquirendi creditoribus in solutum facta abdicatio.

ANNOTATIO.

50. Est ergo massa eiusmodi bonorum quaedam vniuersitas.

ARGUMENTVM.

§. 1. 51. Si multo post reuertantur ad arbitrum litigatores, non esse cogendum sententiam dicere, Labeo scribit: *L. 17. §. 1. b.* quia destituisse videtur. (*L. 3. tit. 6. §. 26.*) *L. 4. tit. 4. §. 146.*)

ARGUMENTVM.

§. 2. 52. Item, si plures sunt, qui arbitrium receperunt, nemo vnus cogendus erit, sententiam dicere, sed aut omnes aut nullus. *L. 17. §. 2. b.* (§. 15. 16.)

ARGUMENTVM.

§. 3. 53. Inde Pomponius Libro 33. quaerit, si ita sit compromissum, ut quod Titio disceptatori placet, id Seius pronunciet, quis sit cogendus? Et puto tale arbitrium non valere, in quo libera facultas arbitri sententiae non est futura. *L. 17. §. 3. b.* Titius non potest pronunciare sententiam, quod iudicio dissimile est, et in arbitrio non recipitur (§. 2.) Si Seius pronunciare nolit, sententia etiam inefficax erit. (§. 33.)

OBSERVATIO.

54. Quando compromissum alternatiuum est, partibus integrum semper est conuenire, et adeo certum designare arbitrum.

OBSERVATIO.

55. Si compromissum est in incertum arbitrum, caeteris paribus tollitur id, quod sententiam excludebat, et compromisso ipsi repugnabat, quando arbiter certus demonstratur.

POSITIO.

§. 4. 56. Sed si ita sit compromissum: Arbitratu Titii aut Seii fieri: Pomponius scribit: et nos putamus, compromissum valere. *L. 17. §. 4. b.*

PROBATIO.

Quando in compromisso incerti arbitri arbiter certus eligitur, tollitur, quod arbitrio obstat, (§. 55.) et sequi potest sententia, sublato nempe compromissi impedimento (§. 18.) At in compromisso alternatiuo arbitrium figi potest in vno arbitro electione partium (§. 54.) cumque valeat compromissum ex quo caeteris paribus cum effectu sequi possit sententia. (§. 1.) ideo compromissum: arbitratu Titii aut Seii fieri debere sententiam, valet.

ARGUMENTVM.

57. Sed is erit cogendus sententiam dicere, in quem litigatores consenserint. *L. 17. §. 4. b. (§. 56.)*

ARGUMENTVM.

58. Si in duos fuerit sic compromissum, vt si dissentiant, tertium adsumant, pato tale compromissum non valere, nam in adsumendo possunt dissentire. *L. 17. §. 5. b.* Compromissum tale est, vt exitu possit destitui, et in eam causam incidere, a qua incipere nequit. (*L. 2. tit. 1. §. 51.*) §. 5.

ARGUMENTVM.

59. Sed si ita sit: vt (eis) tertius adsumeretur Sempronius: valet compromissum: quoniam in adsumendo dissentire non possunt. *L. 17. §. 5. b. (§. 57.)*

OBSERVATIO.

60. Principaliter tamen (quaeramus) si in duos arbitros sit compromissum, an cogere eos Praetor debeat sententiam dicere, quia res fere sine exitu futura est, (§. 58.) propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem. In impari enim numero idcirco compromissum admittitur, non quoniam consentire omnes facile est, sed quia, et si dissentiant, inuenitur pars maior, cuius arbitrio stabitur. Sed vsitatum est etiam in duos compromitti, et debet praetor cogere arbitros, si non consentiant, tertiam certam eligere personam, cuius auctoritati pareatur. *L. 17. §. 6. b.* Cogente praetore in assumendo dissentire non possunt, quod accidere potest, si voluntate sua eligant. (§. 58.) §. 6.

ARGUMENTVM.

61. Celsus Libro secundo Digestorum scribit: Si in tres fuerit compromissum, sufficere (quidem) duorum consensum, si praesens fuerit et tertius: alioquin absente eo, licet duo consentiant, arbitrium non valere, quia in plures fuit compromissum, (*L. 2. tit. 6. §. 8.*) et potuit praesentia eius trahere eos in eius sententiam. *L. 17. §. 7. b.* §. 7.

ANNOTATIO.

62. Sicut tribus iudicibus datis, quod duo ex consensu absente tertio iudicauerunt, nihil valet, quod id demum, quod maior pars omnium iudicauit ratum est, cum et omnes iudicasse palam est. *L. 18. b.* Pars maior non intelligitur, nisi ex toto praesente. *Pomp. L. 18. Ep. (et var. lect.) L. 18.*

ARGUMENTVM.

63. Qualem autem sententiam dicat arbiter, ad praetorem non pertinere Labeo ait: dummodo dicat, quod ipsi videtur. *L. 19. pr. b.* Praetor auxilium vterius non pollicetur, quam ne arbiter fidem deserat. (*§. 6.*) *Paul. L. 13. ad Ed. L. 19. pr.*

ARGUMENTVM.

64. Et ideo, si sic fuit in arbitrum compromissum, vt certam (a partibus ipsi praefinitam) sententiam dicat: nullum esse arbitrium, nec cogendum sententiam (a partibus praescriptam, nec eam, quae sibi videretur:)

dicere: Iulianus scribit libro 4. Digestorum. *L. 19. pr. b.* Non enim esset arbitri sententia (§. 1.) et inter consentientes non esset controuersia, quo casu etiam iudicium cessat. (*L. 2. tit. II. §. 5. 6.*)

DEFINITIO.

§. 1. 65. Dicere autem sententiam existimamus eum, qui ea mente quid pronunciat, ut secundum id discedere eos a tota controuersia velit. *L. 19. §. 1. b.*

ARGUMENTVM.

66. Sed si de pluribus rebus sit arbitrium receptum, nisi omnes controuersias finierit, non videtur dicta sententia, sed adhuc erit a Praetore cogendus. *L. 19. §. 1. (L. 2. tit. 6. §. 8.)*

ANNOTATIO.

§. 2. 67. Vnde videndum erit, an mutare sententiam possit. Et alias quidem est agitatum, si arbiter iussit dari, mox vetuit, utrum eo quod iussit, an eo, quod vetuit, stari debeat? Et Sabinus quidem putauit, posse: Cassius sententiam magistri sui bene excusat, et ait: Sabinum non de ea sensisse sententia, quae arbitrium finiat, sed de praeparatione causae: ut puta, si iussit litigatores Calendis adesse, mox Idibus iubeat: nam mutare eum diem posse. *L. 19. §. 2. b.*

ARGUMENTVM.

68. Caeterum, si condemnauit vel absoluit, dum arbiter (per id ipsum) esse desierit, mutare (se) sententiam non posse. *L. 19. §. 2. b.*
Cai. L. 5. ad Ed. pr. L. 20. Quia arbiter, et si errauerit in sententia dicenda (dum aliter pronunciauit, quam in mente habuit) corrigere eam non potest. *L. 20. b.* Nam euentus litis finitae arbitrium finiuit. (§. 1.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 13. ad Ed. pr. L. 21. 69. Quid tamen, si de pluribus controuersis sumtus est, nihil sibi communibus, et de vna sententiam dixit, de aliis nondum: nunquid desit esse arbiter? Videamus igitur, an in prima controuersia possit mutare sententiam, de qua iam dixerat. Et multum interest: de omnibus simul ut dicat sententiam, compromissum est, an non. Nam si de omnibus, poterit mutare, nondum enim dixit sententiam. Quod si et separatim, quasi plura sunt compromissa, et ideo quantum ad illam controuersiam pertinet, arbiter esse desierat. *L. 21. pr. b. (§. 68.)*

ARGUMENTVM.

§. 1. 70. Si arbiter ita pronunciaisset: nihil videri Titium debere Seio: tamen si Scium non vetuisset petere, tamen si quid petuisset, videri contra sententiam arbitri fecisse, (et ita poenam committi) et id Ofilius et Trebatius responderunt. *L. 21. §. 1. b.* Nam praecudicialiter vetitum est. (*L. 1. tit. 1. §. 242.*)

A R G V M E N T V M.

71. Solutioni diem posse arbitrum statuere puto. (§. 2.) et ita et §. 2.
Trebatius videtur sentire. *L. 21. §. 2. b.* Nam connexum videtur. (*L. 4.*
tit. 4. §. 189.)

A N N O T A T I O.

72. Temporis praefinitione concessa, potestatis et magistratus imago quae-
dam arbitro data esse censebatur: hinc dubitationis ratio.

A R G V M E N T V M.

73. Pomponius ait: inutiliter arbitrum incertam sententiam dice- §. 3.
re, utputa: quantum ei debes, redde, (restat lis, quantum debeat,) Diui-
sioni vestrae stare placet: (Haec ipsa diuisio controuersa est, huiusmodi senten-
tia vero finitur. (§. 2. 65.) Pro ea parte, quam creditoribus tuis soluisti,
accipit. *L. 21. §. 3. b.* Nam haec sententia non est, qua lis non finitur.
(§. 65.)

A R G V M E N T V M.

74. Item, si arbiter poenam ex compromisso peti vetuerit, in li- §. 4.
bro 33. apud Pomponium scriptum habeo, non valere. Et habet rati-
onem: quia non de poena compromissum est. *L. 21. §. 4. b.* Hac
prohibitione arbitrium suum ipse destrueret, contra (§. 30.)

A R G V M E N T V M.

75. Papinianus libro tertio quaestionum ait: Si cum dies compro- §. 5.
missi finiretur, prolato die litigatores denuo in eum compromiserint,
nec secundi compromissi arbitrium receperit, non esse cogendum re-
cipere, (§. 8.) si ipse in mora non fuit, quo minus partibus suis funge-
retur. (Nimirum nec arbiter amplius est, cuius potestatem dies finiuit: nam sic
est compromissum (*L. 2. tit. 6. §. 8.*) nec moram praestat.) Quodsi per eum fa-
ctum est, aequissimum esse cogi eum, a praetore sequens (arbitrium) re-
cipere. (*L. 2. tit. 9. §. 9.*) Quae quaestio ita procedit, si nihil in priore
compromisso de die proferendo caueatur. Caeterum si caueatur, et
ipse protulit, mansit arbiter. *L. 21. §. 5. b.*

D E F I N I T I O.

76. Plenum compromissum appellatur, quod de rebus omni- §. 6.
bus controuersis et compositum est. *L. 21. §. 6. b.* Vide *legem 31. ff.*
b. 1. inf.

A N N O T A T I O.

77. Nam ad omnes controuersias pertinet. *L. 21. §. 6. b.* Alio sen-
su plenum dicitur, quod rite factum est. *d. l. 31.*

A R G V M E N T V M.

78. Sed si forte de vna re sit disputatio, licet pleno compromisso
actum sit, tamen ex caeteris causis actiones superesse. Id enim venit
in compromissum, de quo actum est, (vt) veniret. *L. 21. §. 6. b.* (*L. 2.*
tit. 6. §. 8.)

ANNOTATIO.

79. Sed est tutius, si quis de certa re compromissum facturus sit, de ea sola exprimi re in compromisso. *L. 21. §. 6. b.*

ARGUMENTVM.

§. 7. 80. Non debent autem obtemperare litigatores, si arbiter aliquid non honestum iusserit. *L. 21. §. 7. b.* quia ad impossibile etiam iuris (*L. 1. tit. 7. §. 137.*) nemo obligatur. (*L. 1. tit. 1. §. 204.*)

ARGUMENTVM.

§. 8. 81. Si intra diem compromissi aditus arbiter, post diem compromissi (partes) adesse iusserit: poena non committetur. *L. 21. §. 8. b.* Nam arbitrium eius exitu diei nullum factum fuit. (*§. 75.*)

ARGUMENTVM.

§. 9. 82. Si quis ex litigatoribus ideo non adfuerit, quod valetudine vel reipublicae causa absentia impeditus sit, aut magistratu aut alia iusta (de) causa, poenam committi, (*L. 4. tit. 4. §. 193.*) Proculus et Attilianus aiunt. *L. 21. §. 9. b.* Est enim poenae stipulatio stricti iuris. (*L. 2. tit. 11. §. 49.*)

ARGUMENTVM.

83. Sed si paratus sit, (qui non adfuit) in eundem (arbitrum iterum) compromittere, actionem, (ad poenam ex stipulatu) denegari, (quia nihil aduersario abest. (*L. 1. tit. 1. §. 318.*) aut exceptione (doli vel in factum. (*L. 2. tit. 10. §. 5.*) tutum fore. *L. 21. §. 9. b.*

ANNOTATIO.

84. Sed hoc ita demum verum erit, si arbiter recipere in se arbitrium fuerit paratus. Nam iniutum non esse cogendum, Iulianus Libro 4. Digestorum recte scribit. *L. 21. §. 9. b.* (*§. 56.*)

ARGUMENTVM.

85. Ipse autem (qui abfuit: dum arbiter ulterius arbitrium recipere nolit,) nihilominus poena absoluitur. *L. 21. §. 9. b.* Nam absentiam purgavit consensu in idem arbitrium, et quod arbiter recipere nolit, eius nulla culpa accidit.

ARGUMENTVM.

§. 10. 86. Si arbiter iussit (puta) in prouincia adesse, litigatores, cum Romae esset in eum compromissum, an ei impune non pareatur, quaeritur. Est et verius, quod Iulianus ait libro quarto, eum locum compromisso inesse, de quo actum sit, vt promitteretur: impune igitur ei non parebitur, si alio loci adesse iusserit. *L. 21. §. 10. b.* De alio loco utique minus cogitatum est, quam de eo vbi compromissum fuit. (*L. 1. tit. 1. §. 198.*)

ARGUMENTVM.

87. Quid ergo, si non appareat de quo loco actum sit, melius dicetur, eum locum contineri, vbi compromissum est. *L. 21. §. 10. b.*
quia

quia magis probabile est compromittentes de loco cogitasse, vbi erant, quam de alio quouis. (§. 86.)

A R G V M E N T V M.

88. Quid tamen, si in eo loco, qui sit circa urbem, adesse iusserit, Pegasus admittit valere iussum. *L. 21. §. 20. b.* (*L. 3. tit. 3. §. 10.*) Cohaerentia loci partes esse videntur: quae et eodem nomine appellari consueuerunt.

A N N O T A T I O.

89. Quod puto (ita) verum esse, si (et) eius sit auctoritatis arbiter, (vt) in secessibus soleat agere, et litigatores facile eo loci venire possint. *L. 21. §. 10. b.* In secessibus agere, est in locis a turba remotis rusticis vel maritimis ad tempus commorari. Qui eiusmodi consuetudinis opumque arbitrum elegere, etiam in secessum ipsi solitum consensisse videntur, vt arbitrii causa eo veniant.

A R G V M E N T V M.

90. Sed si in aliquem locum inhonestum adesse iusserit, puta in popinam vel lupanarium, vt Viuianus ait, sine dubio impune ei non parebitur, quam sententiam et Celsus libro 2. Digestorum probat. *L. 21. §. 11. b.* (*L. 1. tit. 7. §. 137.*) §. 11.

A R G V M E N T V M.

91. Vnde eleganter tractat: si is sit locus, in quem alter ex litigatoribus honeste venire non possit, alter possit: et is non venerit, qui sine sua turpitudine eo venire possit, (vt sacerdos *L. 32. §. 4. ff. b. t.*) is venerit, qui inhoneste venerat, an committatur poena compromissi, (an) quasi opera non praebita? Et recte putat, non committi. Absurdum enim esse, iussum in alterius persona ratum esse, in alterius non. *L. 21. §. 11. b.* Alter per impossibile iure excusatur, (§. 90.) nec pro eo habetur, quasi operam non praebuerit, id est: dicto arbitri audiens non fuerit. Nam operam dare, est, rei alicui diligenter, et ex officio vacare, et partibus suis defungi. *L. 3. pr. ff. De vacat. L. 18. pr. De iudic. (§. 181. infr.)* Voculam *an*, a Taurello vel Ruffardo in textum intrusam, iterum eiicio.

A R G V M E N T V M.

92. Intra quantum autem temporis nisi detur, quod arbiter iusserit, committatur stipulatio, videndum est. Et si quidem dies adiectus non sit, Celsus scribit libro 2 Digestorum, inesse quoddam modicum tempus, (ne ad impossibile obligetur: (*L. 1. tit. 1. §. 204.*) quod vbi praeterierit, poena statim peti potest, *L. 21. §. 12. b.* (nam pure consensus est. (*L. 2. tit. 6. §. 8.*)) §. 12.

O B S E R V A T I O.

93. Quia stipulatio Iure Romano inter contractus refertur, nullum dubium est, quin Iureconfulti ipsi causam tribuerint; contractum enim in genere definiunt conuentionem cum causa. Natura sic comparatum est, vt alicuius possit interesse futuro demum tempore, vel vt modo interesse queat, quod tamen adhuc nesciatur: saepissime quoque ab euentu interesse pendet, vti in arbitrio vel

compromisso accidit, omnesque praetoriae stipulationes indicant, quales sunt de dolo, iudicatum solui, rem ratam haberi, rem pupilli saluam fore, damni infecti, cum aliis cautionibus ex circumstantiis accidentibus. Haud raro incerte, illiquide et obscure interest, uti ex damno infecto. Hoc ergo, quod interest vel interesse potest, ipsa causa est, quae stipulationem ingreditur. *e. gr.* in compromisso. Interest utriusque litem componi, aperiuntur omnia eius fundamenta, secuta sententia alter litigantium alterum impune frustrari potest, ergo stipulatio poenae interponitur. Alter tum habebit lucrum frustrationis, recipiet autem alter poenam. Agnoscunt ipsae leges causam stipulationis: *Si quis sine causa ab alio fuerit stipulatus*, ait *l. 2. §. 3. ff. De doli m. except.* cui addatur *L. 6. §. 1. ff. De reb. cred. L. 7. ff. De nouat. §. 2. I. De except.*

P O S I T I O.

94. Et tamen, inquit, (et) si dederit ante acceptum iudicium (stipulationis) agi ex stipulatu (ad poenam) non poterit. *L. 21. §. 12. h.*

P R O B A T I O.

95. Satis apertum est, retardationem satisfactionis non fieri, dum iudicium non est acceptum, nimirum eo casu, quando tempus satisfactionis nullum praestitutum est, neque compromisso, neque a praetore, quare eoque mora liquido demonstrari nequit. (*L. 2. tit. 14. §. 248.*) cumque ad poenam nondum liquido commissam agi non possit, dum laesio nulla est, (*L. 1. tit. 1. §. 318.*) ergo, si dederit ante acceptum iudicium, agi ad poenam ex stipulatu non poterit, sed mora illiquidior purgatur.

A N N O T A T I O.

*Paul. L. 13.
ad Ed.
L. 22.*

96. Utique, nisi eius interfuerit, tunc solui. *L. 22. h.* ideo, quod valor monetae, quae in specie debebatur, minutus est, vel alia ex causa. Nam poena in locum eius quod interest succedit (§. 93.)

A R G V M E N T V M.

*Vlp. L. 13. ad
Ed.
L. 23. pr.*

97. Celsus ait: Si arbiter intra Kalendas Septembres dari iusserit, nec datum erit: licet postea offeratur, attamen semel commissam poenam compromissi non euanesce, quoniam semper verum est, intra Kalendas datum non esse. *L. 23. pr. h.* Liqueat enim ipsum punctum temporis, quo mora commissam est.

A R G V M E N T V M.

98. Sin autem oblatum recepit, poenam petere non potest: *L. 23. pr. h.* quia tacite et praesudicialiter poena remissa est. (*L. 1. tit. 1. §. 241.*)

A R G V M E N T V M.

99. Doli exceptione remouendus. *L. 23. pr. h.* quoniam lucrum iniquum sibi petit, qui rem recipit, et insuper poenam cupit. (*L. 2. tit. 10. §. 5.*)

A N N O T A T I O.

100. Contra, ubi duntaxat dare iussus est, *L. 23. pr. h.* sine temporis certi praesumptione. (§. 92.)

ARGUMENTVM.

101. Idem ait, si iusserit me tibi dare, et valetudine sis impeditus, (accipere) aut alia iusta (ex) causa, Proculum existimare, poenam non committi, nec si post Kalendas te parato accipere, non dem. *L. 23. §. 1. b.* Poena sua die non commissa, postea non committitur: nam dies non redit. (L. 2. tit. 6. §. 8.) §. 1.

ARGUMENTVM.

102. Sed ipse recte putat, duo esse arbitri praecepta, vnum, pecuniam dari, aliud, intra Kalendas dari. Licet igitur tu poenam non committas, quod intra Kalendas non dederis, quoniam per te non stetit. (L. 1. tit. 1. §. 53.) tamen committis in eam partem, quod non das. *L. 23. §. 1. b.*

ANNOTATIO.

103. Iterum uti (§. 51.) cauit ICTus, ne contra iuris artem impingeret. Ideo compromissi verba duplicia esse maluit, quam ex aequo et bono eadem interpretari, et ita officium iudicis contra principia in stricti iuris negotio dilatare.

DEFINITIO.

104. Idem ait: nihil aliud esse, sententiae stare, (posse) quam id agere, quantum in ipso sit, ut arbitri pareatur sententiae. *L. 23. §. 2. b.* §. 2.

ARGUMENTVM.

105. Idem Celsus ait: si arbiter me tibi certa die pecuniam dare iusserit, tu accipere noluisti, posse defendi, ipso iure poenam non committi. *L. 23. §. 3. b.* quia quantum in ipso fuit, sententiae paruit. (§. 83.) §. 3.

ANNOTATIO.

106. Ipso iure committi dicitur, quod prouisione iuris, et natura ipsius gestio- nis absoluitur et consummatur, nullo hominis facto adoperante.

ARGUMENTVM.

107. Sed si postea ille paratus sit accipere, non impune me non daturum: (quia arbiter dare praeceperat. (§. 102.) non enim ante feceram. *L. 24. h.* obtuleram quidem, sed non dederam, noluit illo tempore accipere, non tamen praesumitur, nunquam recipere voluisse. (L. 1. tit. 1. §. 225.) *Paul. L. 13. ad Ed. L. 24.*

ARGUMENTVM.

108. Labeo ait: si arbiter, cum in compromisso cautum esset, ut eadem die de omnibus sententiam diceret, et ut posset diem proferre: de quibusdam rebus dicta sententia, de quibusdam non dicta, diem protulit, valere prolationem, (atque arbitrum alia die posse sententiam dicere, sed de omnibus) sententiaeque eius (quam de aliquibus iam dixerat) posse impune non pareri. (nam interpretatio sic fieri debet, ut congruat dictis coniunctis. Diem potest arbiter proferre, sed illa die de omnibus sententiam dicere debet. (L. 1. tit. 1. §. 237.) et Pomponius probat Labeonis sententiam, quod et mihi videtur: quia officio in sententia (priori die dicta) functus non est. *L. 25. pr. b.* Haec autem clausula: Diem compromissi proferre: nullam aliam dat arbitro facultatem, quam diem prorogandi, et *Vlp. L. 13. ad Ed. L. 25. pr.* §. 1.

ideo conditionem primi compromissi neque minuere, neque immutare potest. *L. 25. §. 1. b.*

A R G V M E N T V M.

- §. 2. 109. Si per fideiussorem fuerit cautum (si fideiussor cauit, compromittentem statuum sententiae. *L. 29. ff. b. t.*) in primo compromisso et sequens (compromissum prolato die secutum) similiter proferendum, (nempe ut fideiussor caueat, (Labeo dicit. (*L. 4. tit. 4. §. 189.*) Sed Pomponius dubitat, utrum iisdem, an et aliis tam idoneis. Quid enim, inquit, si iisdem fidei iubere noluerint? Sed puto, si noluerint fideiubere, tunc alios non ab similes (aeque idoneos) adhibendos. *L. 25. §. 2. b.* (*L. 4. tit. 2. §. 53.*) *L. 2. tit. 8. §. 20.*) Ne in potestate sit fideiussorum postea se non obligantium, ut poena committatur. (*L. 3. tit. 1. §. 66.*) Idem et si decesserint. *L. 26. b.*

Paul. L. 13. ad Ed. L. 26.

A N N O T A T I O.

- Vlp. L. 13. ad Ed. L. 27. pr.* 110. Diem proferre vel praefens, vel per nuncium, vel per epistolam potest. *L. 27. pr. b.*

A R G V M E N T V M.

- §. 1. 111. Si haeredis mentio vel caeterorum facta in compromisso non fuerit, morte soluetur compromissum. *L. 27. §. 1. b.* Quoniam in stricti iuris negotiis verbis insistendum est. (*L. 2. tit. 6. §. 8.*)

A R G V M E N T V M.

112. Nec utimur Labeonis sententiam, qui (secundum iuris stricti rigorem) existimauit, si arbiter aliquem pecuniam dare iusserit, et is (qui iussus est) decesserit, antequam daret, poenam committi, (§. 82.) licet haeres eius paratus sit offerre. *L. 27. §. 1. b.* quia casus mortis excusat. (§. 83.)

A R G V M E N T V M.

- §. 2. 113. Stari autem debet sententiae arbitri, quam de re dixerit, siue aequa siue iniqua sit, et sibi imputet, qui compromisit. *L. 27. §. 2. b.* (*L. 2. tit. 8. §. 62.*)

A N N O T A T I O.

114. Nam et Diui Pii rescripto adiicitur: Vel minus probabilem (adprobendam) sententiam aequo animo ferre debet. *L. 27. §. 2. b.*

A R G V M E N T V M.

- §. 3. 115. Si plures arbitri fuerint, et diuersas sententias dixerint, licet sententiae eorum non stari. (*L. 4. tit. 4. §. 100.*) Sed si maior pars consentiat, ei stabitur. (§. 60.) alioquin poena committetur. *L. 27. §. 3. b.*

A R G V M E N T V M.

116. Inde quaeritur apud Iulianum, si ex tribus arbitris vnus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnent, qua sententia stetur? Et Iulianus scribit, quinque debere praestari, quia in hanc summam omnes consenserunt. *L. 27. §. 3. b.* Etenim hoc actum fuit. (*L. 2. tit. 6. §. 8.*)

A R G V -

ARGUMENTVM.

117. Si quis litigantium defuerit, quia per eum factum est, quo minus arbitretur, poena committetur. *L. 27. §. 4. b.* Nam ad similitudinem iudicii praesentibus partibus pronunciari debet. (*L. 2. tit. 12. §. 6.) §. 82.)* §. 4.

ARGUMENTVM.

118. Proinde sententia quidem dicta non coram litigatoribus, non valebit. *L. 27. §. 4. b. (L. 4. tit. 4. §. 193.)*

ANNOTATIO.

119. Ideo etiam non valet eiusmodi sententia, quia officii iudicis et arbitri est, actus frustraneos non admittere, quod grauitati iudicis aduersatur. (*L. 4. tit. 4. §. 193.)*

ARGUMENTVM.

120. Nisi in compromisso hoc specialiter expressum sit, vt vel vno vel vtroque absente sententia promatur. *L. 27. §. 4. (L. 2. tit. 6. §. 8.) L. 1. tit. 1. §. 199.)*

ANNOTATIO.

121. Poenam autem is, qui defuit, committit, quia per eum factum est, quo minus arbitretur. *L. 27. §. 4. b. (L. 1. tit. 1. §. 85.) §. 117.)*

ANNOTATIO.

122. Coram autem dicere sententiam videtur, qui sapientibus (intelligentibus) dicit. Caeterum coram furioso vel demente non videtur dici. Item coram pupillo non videri sententiam dictam, nisi tutor praesens fuit, et ita de his omnibus Iulianus libro 4. Digestorum scribit. *L. 27. §. 5. b. (L. 2. tit. 14. §. 183.)* §. 5.

ARGUMENTVM.

123. Et si quis praesens arbitrum sententiam dicere prohibuit, poena committetur. *L. 27. §. 6. b. (L. 2. tit. 9. §. 9.)* §. 6.

ARGUMENTVM.

124. Sed si poena non fuisset adiecta compromisso, sed simpliciter sententia stari quis promiserit: incerti aduersus eum foret actio. *L. 27. §. 7. b. (L. 2. tit. 3. §. 17.)* §. 7.

ANNOTATIO.

125. Non autem interest, certa an incerta summa (quae tamen certa fieri possit) compromissa sit, vt puta: Quanti ea res erit. *L. 28. b.* *Paul. L. 13. ad Ed. L. 29.*

ANNOTATIO.

126. Aduersus sententiam arbitri fit, si petatur ab eo a quo arbiter peti vetuit. *L. 29. b.* *Vlp. L. 13. ad Ed. L. 29.*

ARGUMENTVM.

127. Quid ergo: si a fideiussore eius petatur, an poena committatur? et puto committi, et ita Sabinus scribit; Nam τῆ δουράμετ, id est: potestate, a reo petit. *L. 29. b.* Informat enim actionem mandati contra reum. (*L. 3. tit. 2. §. 59.)*

ARGUMENTVM.

128. Sed si cum fideiussore compromisi, et a reo petatur, nisi interfit fideiussoris non committetur. *L. 29. b.* quia reus in fideiussoris debitum non succedit, ut hic in illius (L. 2. tit. 2. §. 16.) Interest v. gr. fideiussoris, qui in rem suam fideiussit. (L. 2. tit. 8. §. 42.)

ARGUMENTVM.

Paul. L. 13. ad Ed. L. 30. 129. Si quis rem, de qua compromissum sit, in iudicium deducat, (deserto arbitro) quidam dicunt, praetorem non interuenire ad cogendum arbitrum sententiam dicere: quia iam poena non potest esse, atque si solutum est compromissum. Sed si hoc obtinerit, futurum est, ut in potestate eius, quem poenitet compromisisse, sit, compromissum eludere. Ergo aduersus eum poena committenda est: lite apud iudicem suo ordine peragenda. *L. 30. b.* (L. 1. tit. 7. §. 56.) §. 109.)

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 13. ad Ed. L. 31. 130. Ita demum autem committitur stipulatio, cum aduersus eam quid sit, si sine dolo malo stipulantis factum est. Sub hac enim conditione committitur stipulatio; ne quis doli (sui) praemium ferat. *L. 31. b.* (L. 1. tit. 7. §. 136.)

ARGUMENTVM.

131. Sed siquidem compromisso adiiciatur, (ut) si quid dolo in re factum sit: ex stipulatu conueniri, qui dolo fecit potest. Et ideo, si arbitrum quis corrumpit, vel pecunia, vel ambitione, vel aduocatum aduersae partis: vel aliquem ex his, quibus causam suam commiserat, (ex doli clausula poterit conueniri:) vel si aduersarium callide circumvenit. Et omnino, si in hac lite dolose versatus est, locum habebit ex stipulatu actio. *L. 31. b.* Compromissum est stricti iuris et stipulatio quoque (L. 2. tit. 11. §. 49.) neque ultra casum extenditur, si compromittens alter sententiae non steterit. Si dolum commiserit, ex stipulatu non esset actio: sed adiecta doli clausula, datur, quia dolus stipulatione expresse comprehensus est, ut etiam ex hoc poena committatur.

ARGUMENTVM.

132. Et ideo, si velit de dolo actionem exercere aduersarius, non debet, cum habeat ex stipulatu actionem. (L. 2. tit. 10. §. 16.) *L. 31. h.* (L. 4. tit. 3. §. 9.) Adeoque clausula bonae fidei contractum stricti iuris nec ampliat, nec arctat, et contractui formam non praebet: proindeque contractui ita inest, uti pacta bonae fidei contractibus insunt. (L. 2. tit. 14. §. 39.) Quod si huiusmodi clausula in compromisso adscripta non est, tunc de dolo actio vel exceptio locum habebit. *L. 31. b.* (L. 4. tit. 3. §. 9.)

ANNOTATIO.

133. Hoc autem compromissum plenum est, quod et doli clausulae habet mentionem. *L. 31. b.*

ARGVMENTVM.

134. Non distinguendum in compromisso, minor an maior sit poena, quam res de qua agitur. *L. 32. pr. b.* Nam stipulatio aequitatem non seruat, sed quod expresse actum est, (*L. 2. tit. 6. §. 8.*) *L. 2. tit. 14. §. 39.* *Paul. L. 13. ad Ed. L. 32. pr.*

ARGVMENTVM.

135. Non cogetur arbiter sententiam dicere, si poena commissa sit. *L. 32. §. 1. b.* e. gr. ex clausula doli. (*§. 131.*) quia foret inefficax et frustranea. (*§. 30. 31.*) §. 1.

ARGVMENTVM.

136. Si mulier alieno nomine compromittat, non erit pecunia compromissa, propter intercessionem. *L. 32. §. 2. b.* (*L. 4. tit. 4. §. 109.*) §. 2.

ARGVMENTVM.

137. Summa rei est, vt praetor se non interponat, (vt non cogat arbitrum sententiam dicere,) siue initio nullum sit compromissum, siue sit (subsistat:) sed pendeat an ex eo poena exigi potest, (*§. 33.*) siue postea deficiat poena, compromisso soluto, die, morte, acceptilatione, iudicio, pacto. *L. 32. §. 3. b.* (*§. 30.*) §. 3.

ARGVMENTVM.

138. Sacerdotio obueniēte videbimus, an cogatur arbiter sententiam dicere: id enim (ne cogatur) non tantum honori personarum, (*§. 9.*) sed et maiestati Dei indulgetur, cuius sacris vacare sacerdotes oportet. *L. 32. §. 4. b.* §. 4.

ANNOTATIO.

139. Caeterum, si postea (post sacerdotum non depositum) susceperit, iste quoque omnimodo sententiam ferre debet. *L. 32. §. 4. b.* Hinc sacerdotium ethnicorum non fuit character indelebilis.

ARGVMENTVM.

140. Item, non est cogendus, si de negotio transactum est, vel homo mortuus est, de quo erat compromissum, (nam sententia frustra pronunciaretur. (*§. 31.*) nisi si posteriori casu aliquid litigantium interfit. *L. 32. §. 5. b.* puta, propter acquisitionem ex serui persona. (*L. 1. tit. 6. §. 4.*) §. 5.

ARGVMENTVM.

141. Iulianus indistincte scribit: si per errorem de famoso delicto ad arbitrum itum est, vel de ea (re) de qua publicum iudicium sit constitutum, veluti de adulteriis, sicariis et similibus: vetare debet praetor sententiam dicere, nec dare dictae executionem. *L. 32. §. 6. b.* Tales enim causae extra ius et facultatem priuatorum sunt. (*L. 1. tit. 1. §. 200.*) §. 6.

ARGVMENTVM.

142. De liberali causa compromisso facto recte non compellitur arbiter sententiam dicere, quia fauor libertatis est, vt maiores iudices habere debeat, (*L. 2. tit. 12. §. 14.*) Eadem dicenda sunt, siue de ingenuitate, siue de libertinitate quaestio sit, et si ex fideicommissi causa liber- §. 7.

libertas deberi dicatur. (L. 2. tit. 4. §. 46.) Idem dicendum est in populari actione. L. 32. §. 7. b. quae extra facultatem priuatorum est. (L. 2. tit. 1. §. 15.) actore saltem ministro populi existente: Idem de statu obtinet. Libertas autem maioribus iudicibus opus habet, quia ciuis reipublicae datur, seruo libero pronunciato.

ARGUMENTVM.

§. 8. 143. Si seruus compromiserit, non cogendum dicere sententiam arbitrum, nec si dixerit, poenae executionem dandam, de peculio, putat Octauenus. (Seruus, iure ciuili nullus, personam standi in iudicio non habet, neque poenam suo nomine potest stipulari. (L. 2. tit. 7. §. 10.) Quare ob similitudinem iudicii (§. 2.) serui compromissum nullum est, qui sibi iudicem constituere nequit.) Sed an, si liber cum eo compromiserit, executio aduersus liberum detur, videamus: sed magis est, vt non detur. L. 32. §. 8. b. non enim minus iudicii imago consensu serui fieret, quod non procedit.

ARGUMENTVM.

§. 9. 144. Item, si qui (cui) Romae compromiserit, mox Romam in legationem venerit, non est cogendus arbiter sententiam dicere, non magis quam cogere, si litem ante contestatus esset, nunc eam exercere; nec interest, tunc (cum promitteret) quoque in legatione fuerit, an non. L. 32. §. 9. b. Legatus non magis tenetur compromisso vacare quam liti et iudicio, ob vtriusque similitudinem (§. 2.) sed publico officio districtus, quasi a suis priuatis effectu abesse censetur. (L. 4. tit. 6. §. 14.)

ARGUMENTVM.

145. Sed si (nunc) in legatione compromittat, (quo ipso testatur se nunc posse negotio suo superesse) puto cogendum arbitrum sententiam dicere, quia et si iudicium sponte accepisset, cogere, peragere. L. 32. §. 9. b. nam impedimentum legationis allegans contra factum proprium veniret. (L. 1. tit. 7. §. 92.)

ANNOTATIO.

146. Sunt tamen, qui de isto non recte dubitant, qui vtique nullo modo dubitabunt, si de ea re in legatione compromisit, quam in legatione contraxit, quia et iudicium eo nomine accipere, cogere. L. 32. §. 9. b. (§. 86.)

ARGUMENTVM.

147. Illud in prima specie potest dispici: an si ante compromisit legatus, cogendus sit arbiter sententiam dicere, si ipse legatus postulet: quod prima ratione poterit videri iniquum, vt in ipsius potestate sit. (§. 129.) Sed hoc tale erit, quale, si actionem velit dictare, quod facere ei licet. (Si ipse legatus petitor est, si posset velle arbitrum sententiam dicere, in ipsius potestate situm esset arbitrium, quod sane non licet, cum tantum excusare se possit, occasione legationis. Actionem dictare siue instituere potest, hoc ipsi licet, sed sententiae potestatem non habet.) Sed compromissum istud comparabimus ordinariae actioni, vt non alius audiatur desiderans (legatus) vt arbiter

arbiter sententiam dicat, quam si se defendat. *L. 32. §. 9. b.* Nam legatus iure domum reuocandi non vitur, nisi conuentus. (*L. 4. tit. 6. §. 91.*)

POSITIO.

148. Si is faciat controuersiam haereditati, qui cum defuncto compromiserat, (plene §. 76.) futurum est praeiudicium haereditati, si arbiter sententiam dicat. *L. 32. §. 10. b.*

§. 10.

PROBATIO.

Haereditas defuncti personam sustinet, (*L. 3. tit. 5. §. 14.*) si arbiter pronunciet: defunctum dare debere: idem est, ac si pronunciaffet: Haereditatem dare debere; Ergo, si arbiter sententiam huius tenoris dixerit, praeiudicium fieret haereditati.

OBSERVATIO.

149. Haereditati praeiudicium fieri non debet. *L. 5. §. 2. ff. de haered. petit.*

ARGUMENTVM.

150. Ergo interea (dum haereditatis petitio apud iudicem ordinarium agitur) inhibendus est arbiter, *L. 32. §. 10. b.* ne sententiam dicat, qua haereditati praeiudicaret. (§. 149.)

ARGUMENTVM.

151. Dies compromissi proferri potest, non (cum) ex conuentione (partium, post compromissum) sed cum iussu arbitri eam proferre necesse est, ne poena committatur. *L. 32. §. 11. b.* Nam potestas haec arbitri est. (§. 1. 2.)

§. 11.

ANNOTATIO.

152. Si arbiter sese celare tentauerit, praetor eum inuestigare debet, et si diu non prouerit, multa aduersus eum dicenda est. *L. 32. §. 12. b.* (*L. 1. tit. 21. §. 11.*)

§. 12.

ARGUMENTVM.

153. Cum in plures compromissum est ea conditione: Vt quam quilibet, vel vnus dixisset sententiam, ei staretur: (§. 120.) absentibus caeteris, nihilominus qui praesens est, cogetur. At, si ea conditione, vt omnes dicant, vel quod de maioris partis sententia placuerit, non debet singulos separatim cogere, quia singulorum sententia ad poenam non facit. *L. 32. §. 13. b.* (*L. 2. tit. 6. §. 8.*) §. 61.)

§. 13.

ARGUMENTVM.

154. Cum quidam arbiter ex aliis causis inimicus manifeste apparuisset testationibus etiam conuentus, ne sententiam diceret: nihilominus, nullo cogente, dicere perseuerasset, libello cuiusdam id querentis, Imperator Antoninus subscripsit, posse eum vti doli exceptione. (Ad instar iudicis arbiter quoque nec odio, nec studio partium corrumpi debet. (*L. 1. tit. 9. §. 7.*) Et idem, cum a iudice consuleretur, apud quem poena petebatur, rescripsit: Etiam si appellari non potest, (quia a iudicis sententia appellatur. (*L. 2. tit. 8. §. 58.*) doli mali exceptionem in poenae petitione obstaturum. *L. 32. §. 14. b.* (*L. 2. tit. 10. §. 5.*)

§. 14.

ANNO TATIO.

155. Per hanc ergo exceptionem quaedam appellandi species est, cum liceat retractare de sententia arbitri. *L. 32. §. 14. b.* (*L. 2. tit. 8. §. 58.*)

ARGVMENTVM.

§. 15. 156. De officio arbitri tractantibus sciendum est, omnem tractatum ex (ipso) compromisso sumendum: nec enim aliud illi licebit, quam quod ibi, vt efficere possit, cautum est. (Compromissum est pactum nudum, (§. 6.) hinc stricti iuris (*L. 2. tit. 14. §. 35.*) Non ergo quod libet statuere arbiter poterit, nec in qua re libet, nisi de qua re compromissum est, et quatenus compromissum est. *L. 32. §. 15. b.* (*L. 2. tit. 6. §. 8.*)

ARGVMENTVM.

§. 16. 157. Quaesitum est de sententia dicenda, et dictum, non quamlibet sententiam arbitro liberam esse, quia litem finire debet, (§. 8. 65.) licet de quibusdam variatum sit. Et puto, vere non committi (absolui) si dicat, ad iudicem de hoc eundem, vel se, vel alium: (in se) vel in alium compromittendum. Nam et Iulianus impune non pareri, si iubeat ad alium arbitrum ire, ne finis non sit. *L. 32. §. 16. b.* Sed hac sententia finis non imponeretur, liti.

ARGVMENTVM.

158. Rem tradere significat corpus rei transferre. *L. 28. ff. De V. O.* Ergo, qui rem tradere iubet, definitiue de lite pronunciat. (§. 157.)

ANNO TATIO.

159. Aliud autem est, de modo traditionis discernere; hoc nisi expresse in compromisso contineatur, ad arbitrum non spectat. (§. 156.)

ARGVMENTVM.

160. Quod si hoc modo dixerit: (arbiter) vt arbitrio Publii Maevii fundus traderetur, (§. 158.) aut satisfactio detur, parendum esse sententiae. *L. 32. §. 16. b.*

ANNO TATIO.

161. Per hanc explicationem liberamur emendatione Prateii, quam notat GOTHOFREDVS ad hanc legem. Nam cum dixit: fundum tradi debere litem finiuit arbiter. Sed vt arbitrio Maevii tradatur, ad modum et circumstantias traditionis pertinet. (Vid. 167. infra.)

ANNO TATIO.

162. Idem Pedius probat, ne propagentur arbitria, aut in alijs, interdum inimicos agentium transferantur, sua sententia finem controversiae eum imponere oportet: non autem finiri controversiam, cum aut differatur arbitrium, aut in alium transferatur, partemque sententiae esse, quemadmodum satisfactio, quibus fideiussoribus idque delegari non posse, nisi ad hoc compromissum sit, vt arbiter statueret, cuius arbitratu satisfactio daretur. *L. 32. §. 16. b.*

ANNO TATIO.

163. Non est particula sententiae iubere, vt satisfactio, quia integrum est arbitrio

bitrio mutare sententiam praeparatoriam delegati, dum adhuc arbiter est (§. 67.) quodsi vero fideiussores minus idonei dati sint, aut alias non sufficienter cautum, sententia redderetur inanis, unde pars sententiae dicitur modus satisfactionis, et fideiussorum qualitas, quae ad officium arbitri pertinent.

ARGUMENTVM.

164. Idem, si iubeat sibi alium coniungi, cum id in compromisso non sit, non dicit sententiam: (ex qua poena committatur, si non pareatur,) nam sententia esse debet, de re compromissa: de hoc autem compromissum non est. *L. 32. §. 27. b. (§. 156.)* §. 17.

ARGUMENTVM.

165. Si domini, qui inuicem stipulati sint, (poenam) procuratores suos agere apud arbitrum velint, potest iubere ipsos etiam (procuratores) adesse. *L. 32. §. 18. b.* Compromissum quidem stricti iuris est: (§. 156.) per similitudinem tamen cum iudicio translationes admittit. (*L. 3. tit. 3. §. 64.*) §. 18.

ARGUMENTVM.

166. Sed et si haeredis in compromisso mentio fit, potest iubere etiam haereditatem eorum adesse. *L. 32. §. 19. b.* nam sic conuenit. (*L. 2. tit. 6. §. 8.*) §. 19.

ARGUMENTVM.

167. Arbitri officio continetur, et quemadmodum detur vacua possessio. *L. 32. §. 20. b.* non quomodo detur vacua possessio, sed ut detur. (§. 161.) §. 20.

ANNOTATIO.

168. An et satis, ratam rem habiturum? (an cautionem de rato exigere debet?) Sextus Pedius putat: quod nullam rationem habet. Nam si ratum non habeat dominus, committetur stipulatio. *L. 32. §. 20. b.* dum eo ipso non parat sententiae.

ANNOTATIO.

169. Arbitrarius nihil extra compromissum facere potest: (§. 156.) et ideo necessarium est, adiacere de die compromissi proferenda: caeterum impune iubenti non parebitur. *L. 32. §. 21. b. (§. 30.)* §. 21.

ARGUMENTVM.

170. Arbitrarius ita sumtus ex compromisso: ut et diem proferre possit, hoc quidem facere potest, (quia sic conuentum) referre (diem committendae poenae propiore statuere. (§. 151.) autem contradicentibus litigatoribus non potest. *L. 33. b.* Nam compromissum stricti iuris est, (§. 169.)

Papin. L. 1. Quaes. L. 33.

OBSERVATIO.

171. Rei credendi vel debendi, si focii sunt, quod vnus petierit, socius petisse virtualiter videtur: non enim sibi soli, sed socio quoque petit. (*L. 2. tit. 14. §. 140.*)

ARGUMENTVM.

172. Si duo rei sunt, aut credendi aut debendi, et vnus compromiserit, isque vetitus sit petere, aut ne ab eo petatur, videndum est, an si alius petat, vel ab alio petatur, poena committatur: idem in duobus argentariis, quorum nomina simul eunt, (communi periculo et lucro) et fortasse

Paul. L. 3. ad Ed. L. 34.

fortasse poterimus ita (hos compromittentes) fideiussoribus coniungere. (L. 2. tit. 14. §. 140.) si focii sunt. *L. 34. pr. b.* (§. 127.) Nam a focio petente, ille focius qui petere vetitus est, actione pro locio. (L. 2. tit. 13. §. 78.) peteret.

ARGUMENTVM.

173. Alias, (si focii non sumus) nec a te petitur, (quando tu compromifisti, et pronunciatum est, ne a te petatur) nec ego peto, (petere vetitus) nec meo nomine petitur, licet (ab alio correo) a te petatur. *L. 34. pr. b.* quia nec potentia vel virtualiter peto. (§. 127.)

POSITIO.

§. 1. 174. Semel commissa poena solui compromissum rectius puto dici, nec amplius posse committi. *L. 34. §. 1. b.*

PROBATIO.

Poenam bis deberi, vel poenam et rem deberi, non continetur regulariter verbis compromissi, nec hic supponitur. Quod autem verbis compromissi non continetur ex compromisso non debetur, (§. 156.) Veruntamen vel poena bis deberetur, vel poena et res simul, nisi poena semel commissa compromissum soluere- tur; Ergo rectius dicitur, poena semel commissa, compromissum solui. (§. 135.)

ANNOTATIO.

175. Nisi id actum sit, vt in singulis (si de pluribus compromissum) causis toties committatur. *L. 34. §. 1. b.* (L. 2. tit. 6. §. 8.)

ARGUMENTVM.

Cai. L. 5. ad Ed. pr. L. 35. 176. Si pupillus sine tutoris auctoritate compromiserit, non est arbiter cogendus pronunciare: quia si contra eum pronunciatur, poena non tenetur, praeterquam si fideiussorem dederit, a quo poena peti possit. (L. 4. tit. 4. §. 112.) idque et Iulianus sentit. *L. 35. b.*

ARGUMENTVM.

Vlp. L. 77. ad Ed. L. 36. 177. Arbitri sententia fori frequentiam non poscebat, et tempus priuatarum feriarum, messis, vindemiarum, nundinarum fauor compromittentium erat: (L. 2. tit. 12. §. 1.) hinc si feriatis diebus, cogente praetore, arbiter dicat sententiam, et petatur ex compromisso poena, exceptionem (feriarum) locum non habere constat: nisi alia lege (publica) eadem (dies) feriata, in qua sententia dicta, est excepta. *L. 36. b.* (L. 2. tit. 12. §. 20.)

ARGUMENTVM.

Cels. Lib. 2. Dig. L. 37. 178. Quamuis arbiter alterum ab altero petere vetuit: si tamen haeres petit, poenam committit. Non enim differendarum litium causa, sed tollendarum ad arbitrum itur. *L. 37. b.* (§. 2.) L. 1. tit. 7. §. 75.)

ANNOTATIO.

179. Oportet haeredum mentionem factam esse, ad eosque extensum fuisse compromissum. (§. III.)

ARGUMENTVM.

Mod. L. 6. Resp. L. 38. 180. Cum poena ex compromisso petitur, is, qui commisit, damnandus est: nec interest, aduersarii eius interfuit, arbitri sententia stare,

re, nec ne. *L. 38. b.* Nec quicquam ex aequitatis ratione hic potest officium iudicis, uti in bonae fidei negotiis, sed alligatum est verbis compromissi. (§. 156.)

ARGUMENTVM.

181. Non ex omnibus causis, ex quibus arbitri paritum sententiae non est, poena ex compromisso committitur, sed ex his duntaxat, quae ad solutionem pecuniae (§. 24.) aut operam praebendam (§. 91.) pertinent. *L. 39. pr. b.* Poena omnem sententiam respicit, ex qua litis terminatio pendet, quodsi tali minus pareatur, poena committitur.

*laeol. L. 11.
ex Cass.
L. 39. pr.*

ARGUMENTVM.

182. Idem contumaciam litigatoris arbiter punire poterit, pecuniam eum aduersario dari iubendo. *L. 39. pr. b.* Nam operam controuersiae non praebuit. (§. 91.) 181.)

ARGUMENTVM.

183. Quo in numero haberi non oportet, si testium nomina ex sententia arbitri exhibita non sunt. *L. 39. pr. b.* Saepissime enim statim tempore reperiri non possunt, qui testimonium sponte perhibere velint: nam arbiter testes cogere nequit: et per hoc sententiam non frustratur. (L. 1. tit. 1. §. 73.)

ARGUMENTVM.

184. Cum arbiter diem compromissi proferre iussit, cum hoc ei permissum est: (§. 170.) (alterius) mora alterius ad poenam committendam prodest. *L. 39. §. 1. b.* Ea die, qua arbiter diem protulit, abfuit alter litigatorum: huius mora ad poenam committendam ulterius prodest. Nam puto legi debere: *alterius mora ulterius etc.*

§. 1.

ARGUMENTVM.

185. Arbiter Calendis Ianuariis adesse iussit, et ante eum diem descessit, alter ex litigatoribus non adfuit, procul dubio poena minime commissa est. *L. 40. b.* sententia sperari non potuit, mortuo arbitro: ergo non comparando nihil actum, quod sententiam moraretur. (§. 181.) L. 2. tit. 11. §. 6.)

*Pomp. L. 11.
ex var. loc.
L. 40.*

ARGUMENTVM.

186. Nam et Cassium audisse se dicentem Aristo ait, in eo arbitro, qui ipse non venisset, non esse commissam. (si litigator quoque non adfuit) Quemadmodum Seruius ait: Si per stipulatorem stet, quo minus accipiat, non committi poenam. *L. 40. b.* Quantum in ipso fuit, sententiae paruit. (§. 104.)

ANNOTATIO.

187. Leges Iuliae Augusti Imp. sunt, altera publicorum, altera priuatorum iudiciorum: Hac quidem cautum: ne minor 25 annis iudicare cogatur: ne iudex eius causae arbiter sit, cui iudex datus erat: ut solo consensu partium iurisdictio prorogetur. Illa iussit, ne eodem tempore quis duos reos accuset, ut circumstantiae delicti designentur: neminem cogi contra coniunctos testimonium dicere, ut absoluto reo, prius de praeuacuatione prioris accusatoris pronuncietur, quam novus accusator admittatur, ut seruus criminis capitalis postulatus, indefensus e vinculis respondeat: ne reus vel accusator donum iudicis ingrediatur. BRISSONIVS *Antiquit. L. 4. c. 7.*

ARGUMENTVM.

Callistr. L. 1.
Ed. mon.
L. 41.

188. Cum Lege Iulia cautum sit, ne minor viginti annis iudicare cogatur: nemini licere minorem viginti annis compromissarium iudicem eligere. L. 41. b. Ob similitudinem iudicii et arbitrii. (§. 2.)

ARGUMENTVM.

189. Ideoque poena ex sententia eius nullo modo committitur. L. 41. b. quia contra legem dicitur, et pro nulla et impossibili habetur. (L. 1. tit. 7. §. 137.) L. 2. tit. 12. §. 12.)

ANNOTATIO.

190. Maiori tamen viginti annis, si minor 25. (annis) sit, ex hac causa succurrendum, si temere auditorium receperit, multi dixerunt. L. 41. b. Cur ipsi succurrendum? an litem suam fecit? an ipsi ignoscendum, quia pauci anni ad iustam aetatem defuerunt?

ARGUMENTVM.

191. Stipulatio stricti iuris est (L. 2. tit. II. §. 49.) ergo extra contrahentes non extenditur, et inde tertio nihil acquiritur. (Ib. §. 50.)

ARGUMENTVM.

Pomp. L. 2.
Resp.
L. 42.

192. Arbitrarius intra certum diem seruos restitui iussit, quibus non restitutis, poenae causa fisco secundum formam compromissi condemnauit, ob eam sententiam fisco nihil acquiritur. L. 42. b. (§. 190.)

ARGUMENTVM.

193. Sed nihilominus stipulationis poena committitur, quod ab arbitro statuto non sit obtemperatum. L. 42. b. (§. 182.)

ARGUMENTVM.

Scaeu. L. 1.
Resp.
L. 43.

194. De rebus controuersisque omnibus compromissum (in arbitrum) a Lucio Titio et Maeuio Sempronio factum est; sed errore quaedam species in petitionem a Lucio Titio deductae non sunt, nec arbiter de his quicquam pronunciauit. Quaesitum est, an species omisssae peti possint? Respondit: peti posse: nec poenam ex compromisso committi. L. 43. b. Quasi contra enunciata petatur: nam species omisssae comprehenduntur compromisso, (§. 126.) quod de omnibus rebus controuersisque initum est. Nec arbiter non pronunciando vetuit.

ARGUMENTVM.

195. Quodsi maligne hoc fecit, (omittendo species) petere quidem potest, (quia vetitum non fuit, (§. 194.) sed poenae (coercitioni extraordinariae) subiugabitur. L. 43. b. Nam dissimulatio dolosa in crimen Stellionatus incidit. L. 3. §. 1. ff. Stellion.

ARGUMENTVM.

Id. L. 2. Dig.
L. 44.

196. Inter Castellianum et Seium controuersia de finibus orta est, et arbiter electus est, ut arbitrato eius res terminetur: ipse sententiam dixit, praesentibus partibus et terminos posuit. Quaesitum est, an si ex parte Castelliani arbitro paritum non esset, poena ex compromisso commissa est? Respondi si arbitro paritum non esset in eo, quod utroque praesente arbitratus esset, poenam commissam. L. 44. b. (§. 117. 181.)

ARGV-

ARGUMENTVM.

197. In compromissis arbitrium personae insertum, personam non egreditur. *L. 45. b. (§. 162. 164. seq.)* *Vlp. L. 28. ad Sub. L. 45.*

ARGUMENTVM.

198. De his rebus et rationibus et controuersis iudicare arbiter potest, quae ab initio fuissent inter eos, qui compromiserunt, non quae postea superuenerunt. *L. 46. b. (§. 156.)* *Paul. L. 12. ad Sub. L. 46.*

ARGUMENTVM.

199. Si compromissum ita factum est, ut praesente utroque aut haeredibus eorum arbiter sententiam dicat: et alter ex litigatoribus decesserit, pupillo haerede relicto, non aliter videtur sententia dicta esse, nisi tutoris auctoritas interposita fuerit. *L. 47. pr. b.* Nam pupillus non intelligit nec praesens est (§. 122.) nisi ex auctoritate tutoris. (*L. 1. tit. 7. §. 53.*) *Iul. L. 4. Dig. L. 47. pr.*

ANNOTATIO.

200. Item, si alter ex compromittentibus furere coeperit, *L. 47. §. 1. b.* Arbiter ad ferendam sententiam non compellitur. *L. 48. b.* (si pupillus sine tutore, aut qui furit, compareat.) Sed (et) interpellatur (interpellari licite potest,) quo minus sententiam dicat, quia nihil coram furioso fieri intelligitur. Quod si furiosus curatorem habet, vel habuerit, adhuc litigio pendente potest praesente curatore sententia dici. *L. 49. pr. b. (L. 2. tit. 2. §. 10.)* *§. 1. Modest. L. 4. Reg. L. 43. Iul. L. 4. Dig. L. 49. pr.*

ANNOTATIO.

201. Arbiter adesse litigatores vel per nuncium vel epistolam iubere potest. *L. 49. §. 1. b. (§. 110.)* *§. 1.*

OBSERVATIO.

202. Quando alter compromittentium tantum haeredis mentionem fecit, pactio magis in personam haeredis concepta est; Sin utriusque haeredum, in rem et haereditatem ipsam pactum videtur, mentione haeredum saltem demonstrandi gratia facta. (*L. 2. tit. 14. §. 54.*)

POSITIO.

203. Si ab altera duntaxat parte haeredis mentio comprehensa fuerit, compromissum soluetur morte cuiusque ex litigatoribus, sicut solueretur altero mortuo, si neutrius haeredis persona comprehenderetur. *L. 49. §. 2. b.* *§. 2.*

PROBATIO.

Quando ab altera duntaxat parte haeredis mentio comprehensa est a compromisso, poenae stipulatio non in rem, sed in personam haeredis adiecti concepta est. (§. 201.) quae persona stipulationem minime ingreditur: (*L. 2. tit. 11. §. 50.*) Vnde adiectio vitiatur. (*L. 2. tit. 11. §. 42.*) et haeres pro non adiecto est. Quia vero vno compromissorum mortuo, compromissum soluitur. (§. 111.) ergo etiam, si alterutrius haeredis duntaxat mentio facta est in compromisso, alterutro compromittente mortuo, compromissum soluitur.

ARGUMENTVM.

204. Arbiter ex compromisso sumtus, cum ante eum diem, qui con-

Aff. L. 7. Dig. L. 50.

constitutus compromisso erat, sententiam dicere non posset: diem compromissi proferri iusserat: (cum proferendi potestatem non haberet) alter ex litigatoribus dicto audiens non fuerat. Consulebatur, possetne ab eo pecunia ex compromisso peti? Respondi, non posse: ideo quod non esset arbitro compromissum, ut id haberet. *L. 50. b. (§. 156.)*

A R G V M E N T V M.

*Marc. L. 2.
Reg.
L. 51.*

205. Si de re sua quis arbiter factus sit, sententiam dicere non potest, quia se facere iubeat, aut petere prohibeat. *L. 51. b. (L. 1. tit. 1. §. 202.)*

R E G V L A.

206. Neque autem imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest. *L. 51. b.*

A R G V M E N T V M.

*Id. L. 4.
Reg.
L. 52.*

207. Si quis iussus (est) arbitro ex compromisso soluere pecuniam, (die non praestituta) moram fecerit, poenam ex compromisso debet, sed postea (tamen ante acceptum iudicium) soluendo, poena liberatur. *L. 52. b. (§. 94.)*

NAVTAE, CAUPONES, STABVLARII, VT RECEPTA RESTITVANT.

TIT. IX.

O B S E R V A T I O.

1. Necessitati peregrinationum et vtilitati reipublicae prospiciendum fuit. Fidem ignoto nemo facile habere solet. Verum alia ratio est viatorum et vectorum, qui nautis, cauponibus et stabulariis fidem habere coguntur, etiam maxime ignotis. Iure gentium et ciuili dicti homines non obligantur diuertentibus apud se, nec ex receptione nuda: aequum tamen erat, ob peregrinantium necessitatem et reipublicae vtilitatem eis succurri. Labi autem videntur in captionem et damnum necessitate quadam, quae praetori iusta visa fuit, ut data actione eos restitueret, quae connexio huius tituli est cum praecedentibus. Nam et absentes necessitate circumscriptos ex eadem ratione restituit.

O B S E R V A T I O.

*Vlp. L. 14.
ad Ed.
L. 1. pr.*

2. Ait Praetor: nautae, caupones, stabularii, quod cuiusque saluum fore receperint, nisi restituant, in eos iudicium dabo. *L. 1. pr. b.*

A N N O T A T I O.

§. 1.

3. Maxima vtilitas est huius edicti, quia necesse est plerumque eorum fidem sequi, et res custodiae eorum committere. Ne quisquam putet grauius hoc aduersus eos constitutum; nam est in ipsorum arbitrio, ne quem recipiant, et nisi hoc esset statutum, materia daretur cum furibus aduersus eos, quos recipiunt, coeundi: cum ne nunc quidem abstineant huiusmodi fraudibus. *L. 1. §. 1. b.*

ANNO-

ANNOTATIO.

4. Propter solitam hominum istorum nequitiam praetor praesumere potuit, quod sine collusione eorum, vel etiam sine furto ipsorum res receptae non perierint. Ad minimum videntur facti, id est, negligentiae ex proposito commissae, lucrum habere.

DEFINITIO.

5. Exercitor est, qui rem negotii quaesitiosi exercet, tractat, suo periculo et lucro.

ANNOTATIO.

6. Qui sunt igitur, qui teneantur, videndum est. Ait praetor: nau-
tae. Nautam accipere debemus eum, qui nauem exercet. *L. 1. §. 2. b.*

ANNOTATIO.

7. Quamuis nautae appellantur omnes, qui nauis nauigandae causa in naue sunt, sed de exercitore solummodo praetor sentit. *L. 1. §. 2. b.*

ARGUMENTVM.

8. Nec enim debet (inquit Pomponius) per remigem aut meso-
nautam obligari: sed per se, vel per nauis magistrum, quamquam si ipse alicui e nautis committi iussit, sine dubio debeat obligari. *L. 1. §. 2. b.* Nam sine mandato, iussu, praepositione et simili facto per alium nemo obligatur. (*L. 3. tit. 1. §. 66.*) Mesonautae idem in nauis esse putant famulitium, quod est mediastini in domo. *BVDAEVVS in ff. b. l. (§. 12. sequ.)*

ANNOTATIO.

9. Et sunt quidam in nauibus, qui custodiae gratia nauibus praep-
ponuntur: vt: *ναυφύλακες*, id est: nauium custodes (et dietarii) *L. 1. §. 3. b.* (annonae curatores.)

ARGUMENTVM.

10. Si quis igitur ex his receperit, puto in exercitorem dandam
actionem, quia is, qui eos eiusmodi officio praeposit, committi eis permittit: quamquam (etiam) ipse nauicularius vel magister id faciat, quod *χειρέμβολον*, id est: manus immiissionem appellant, (quamquam et ipse recipere solet,) sed etsi hoc non extet (si de hoc non constet, vel si ipse actu non recipiat.) tamen de recepto nauicularius tenebitur. *L. 1. §. 3. b.* (§. 6.) Quomodo sensum et verba huius textus vario conatu tentarint eruditi, recenset *BYNKERSHOEK Obs. L. 2. c. 14.* Add. *ALCIATVS Disputat. L. 3. c. 21.*

ARGUMENTVM.

11. De exercitoribus ratium, item lintrariis nihil cauetur, sed idem
constitui oportere, Labeo scribit, et hoc iure utimur. *L. 1. §. 4. b.* ob eandem paritatem facti et rationis identitatem. (*L. 1. tit. 1. §. 246.*)

DEFINITIO.

12. Infitor est administrator negotiationis non peculiaris domini praeposi-
tione factus.

ARGUMENTVM.

13. Quod infitor secundum praepositionem agit, domini factum est. (*L. 1. tit. 1. §. 40.*)

DEFINITIO.

- § 5. 14. **Caupones autem et stabularios aequae eos accipiemus, qui cauponam vel stabulum exercent, infitoresque eorum. L. 1. §. 5. b. (6. 12. 13.)**

ANNOTATIO.

15. **Caeterum, si qui opera mediastini fungitur, non continetur: ut puta, atriarum et focarii et his similes. L. 1. §. 5. b.**

ANNOTATIO.

16. **Atrium culinae regulariter vicinum fuit, ab atro dictum; Ergo atrarius vilioris ministerii fuit, SERVIVS ad L. 9. Aeneid. item Mediastinus: CICERO: L. 5. Parad. In magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, serui, sed tamen serui, ut Atrienfes: alii inferiore loco, ut Mediastini. IDEM in Pisonem: Extructa mensa non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida. Serui forditati ministrant, nonnulli etiam senes: idem coquus, idem Atrienfis.**

ANNOTATIO.

- § 6. 17. **Ait praetor: Quod cuius saluum fore receperint: hoc est quamcunque rem siue mercem receperint. Inde apud Viuiantum relatum est, ad eas quoque res hoc edictum pertinere, quae mercibus accederent: veluti vestimenta, quibus in nauibus vterentur, et caetera, quae ad quotidianum usum habemus. L. 1. §. 6. b. Accedere dicuntur vestimenta mercibus, quia cum mercibus futuri usus gratia in naue deponuntur.**

ARGUMENTVM.

- § 7. 18. **Idem Pomponius libro 34. scribit, parui referre res nostras alienas intulimus, si tamen nostra intersit saluas esse, (si periculo nostro sint.) Etenim nobis magis, quam quorum sunt, debent solui. Et adeo, si pignori merces accepero, (mea tum interest ob securitatem crediti) (ob pecuniam nauticam) mihi magis, quam debitori nauta tenebitur, si ante (quam mihi pignori dentur a debitore) eas suscepit. L. 1. §. 7. b. Quia actionem habet, cuius periculo res perit. (L. 1. tit. 1. §. 318.)**

ANNOTATIO.

- § 8. 19. **Recipit autem saluum fore, vtrum si in nauem res missae ei assignatae sunt, an et si non sint assignatae? hoc tamen ipso quod in nauem missae sunt, receptae videntur. Et puto, omnium eum recipere custodiam, quae in nauem illatae sunt. L. 1. §. 8. b.**

DEFINITIO.

20. **Quasi-delictum est culpa quaeuis, qua quis contra peritiam aut diligentiam debitam facit, ut damnum fieret per alios.**

POSITIO.

21. **Et factum non solum nautarum praestare debere, sed et vectorum. L. 1. §. 8. b.**

PROBATIO.

Euidens est, quod exercitor custodiae artificium profiteatur, atque mercedem suae artis accipere solet, qua de causa ad summam diligentiam obligatur.

(L. 3

(L. 3. tit. 5. §. 25.) quam si omiserit in hoc, quod nautis furibus vtatur, aut vectores recipiat, quorum conditionem non explorauerat, euentum damnosum omissione debitae diligentiae informat, et culpam committit, (L. 1. tit. 1. §. 84.) et quasi-delictum (§. 30.) ergo exercitor factum non solum nautarum praestare debet, sed et vectorum.

ANNO TATIO.

22. Sicut et caupo viatorum. L. 2. b. Et ita de facto vectorum etiam Pomponius libro 34. scribit. L. 3. pr. b. (§. 21.)

Cai. L. 5. ad Ed. pr.

L. 2.

ARGVMENTVM.

23. Idem ait: etiamsi nondum sint res in nauem receptae, sed in littore perierint, quas semel recepit: periculum ad eum pertinere. L. 3. pr. b. Nam receptorum debet custodiam exactissimam. (§. 21.)

Vlp. L. 14.

ad Ed.

L. 3. pr.

ARGVMENTVM.

24. Ait praetor: nisi restituant, in eos iudicium dabo: Ex hoc edicto in factum actio proficiscitur. L. 3. §. 1. b. (L. 2. tit. 7. §. 23.) Id est, secundum facti qualitatem actionem dat praetor, quae pro diuersitate quoque personarum varie competit. (§. 29.) et passim in sequentibus.

§. 11

OBSERVATIO.

25. Sed an sit necessaria, videndum (L. 2. tit. 13. §. 73.) quia agi civili actione ex hac causa poterit: siquidem merces interuenerit, ex locato vel conducto: sed si tota nauis locata sit, qui conduxit, ex conducto etiam de rebus (singularibus) quae desunt, agere potest, si vero res perferendas nauta conduxit, ex locato conuenietur; sed si gratis res susceptae sint, ait Pomponius, depositi agi potuisse. L. 3. §. 1. b.

ARGVMENTVM.

26. Miratur igitur, cur honoraria actio sit inducta, cum sint civiles, (quia praetor iurisdictionem iuris ciuiliis suppletoriam habet. (L. 1. tit. 14. §. 1.) Nisi forte (inquit) ideo, vt innotesceret praetor curam agere reprimendae improbitatis hoc genus hominum: (et) quia in locato conducto culpa (ob damnum, rem improuide tractando ab ipso locatore operarum vel operis redemptore datum (L. 3. tit. 5. §. 25.) in deposito dolus duntaxat praestatur. At hoc edicto omni modo qui recepit, tenetur, etiamsi sine culpa (immediata et efficiente, non autem informante) eius res periit, vel damnum datum est. L. 3. §. 1. b. (§. 21.)

ANNO TATIO.

27. Mouebitur dubium: periculum potius exercitoris esse, et demonstrari debere, cum se periculo rerum receptorum onerasse, quod tamen sequentia textus vetant, quae habent: Nisi si quid damno fatali contingit. Inde Labeo scribit: si quid naufragio, aut per vim piratarum perierit, non esse iniquum, exceptionem ei dari. Idem erit dicendum, et si in stabulo aut in caupona vis maior contigerit. L. 3. §. 1. b.

ARGUMENTVM.

- §. 2. 28. Eodem modo tenentur caupones et stabularii, quo exercentes negotium suum recipiunt, (quia ipsum eorum negotium artem proficitur, ad diligentiam summam obligat. (L. 3. tit. 5. §. 25.) Caeterum, si extra negotium receperint, (vbi peritiam non profitentur, nec mercedem accipiunt) non tenebuntur. L. 3. §. 2. b. ob rationem contrariorum.

ARGUMENTVM.

- §. 3. 29. Si filius familias aut seruus receperit, et voluntas patris, domini, interuenit, in solidum erit conueniendus, (pater, dominus.) L. 3. §. 3. b. (§. 24.) Nam voluntas in his personis iustus est. (L. 1. tit. 6. §. 8.) et dabitur actio, quod iussu L. 2. tit. 13. §. 26.) vel de peculio (Ib. §. 23.) aut institoria. (Ib. §. 25.)

ARGUMENTVM.

30. Item, si seruus exercitoris subripuit vel damnum dedit, noxalis actio (L. 2. tit. 1. §. 39.) cessabit, quia ob receptum suo nomine dominus conuenitur. L. 3. §. 3. b. (§. 29.)

ARGUMENTVM.

31. Sin vero, sine voluntate (iussu vel scientia (L. 1. tit. 1. §. 41.) exercent, de peculio dabitur. L. 3. §. 3. b. (L. 2. tit. 13. §. 23.)

ARGUMENTVM.

- §. 4. 32. Haec autem (actio in factum) rei persecutionem continet, vt Pomponius ait L. 3. §. 4. (L. 4. tit. 2. §. 45.) §. 4.) delictum non punit.

ARGUMENTVM.

33. Et ideo et in haeredem et perpetuo dabitur. L. 3. §. 4. h. (L. 2. tit. 3. §. 26.) L. 3. tit. 5. §. 32.)

ARGUMENTVM.

- §. 5. 34. Nouissime videndum, an eiusdem rei nomine, et de recepto honoraria actione et furti agendum sit: et Pomponius dubitat: sed magis est, vt vel officio iudicis vel doli exceptione, (quam opponeret ille, qui vtraque conueniretur. (L. 2. tit. 10. §. 5.) alterutra esse contentus debeat. L. 3. §. 5. b. (L. 3. tit. 5. §. 31.)

ANNOTATIO.

35. Dictae actiones concurrunt, quia illa in factum rem persequitur (§. 32.) altera furti delictum et factum dolosum. (L. 2. tit. 7. §. 33.) Vid. (§. 47.)

ARGUMENTVM.

- Paul. L. 13. ad Ed. L. 4. pr. 36. Sed et ipsi nautae furti actio competit, cuius sit periculo. (L. 2. tit. 14. §. 101.) nisi (si) ipse subripiat, et postea ab eo subripiatur. L. 4. pr. b. Naturaliter res subrepta esset furis periculo. (L. 2. tit. 13. §. 104.) sed quia ius ciuile acquisitionem vitiosam infirmit, (Ibid.) actio ciuilibus furi non datur.

ARGVMENTVM.

37. Aut alio subripiante, ipse nauta soluendo non fit. *L. 4. pr. b.* Sic res ipso facto eius periculo non est, sed domini, cui inanis est actio, ergo et huic actio furti competit. (*L. 2. tit. 14. §. 101.*)

ARGVMENTVM.

38. Si nauta nautae, stabularius stabularii, caupo cauponis (res) receperit, aequo tenebitur. *L. 4. §. 4. b.* quia eadem manet professio et receptio. §. 1.

ARGVMENTVM.

39. Interpretatio fieri debet in sensum congruentem rebus originarie vel ordinarie coniunctis. (*L. 1. tit. 1. §. 237.*) Ideo Viuianus dixit, etiam ad eas res hoc editum pertinere, quae post impositas merces in nauem, locatasque inferentur, etsi earum vectura non debetur, vt, vestimentorum, penoris quotidiani, quia haec ipsa caeterarum rerum locationi accedunt. *L. 4. §. 2. b.* (§. 17.) §. 2.

ANNOTATIO.

40. Nauta et caupo et stabularius mercedem accipiunt non pro custodia, sed nauta, vt traiciat vectores: caupo, vt viatores manere in caupona patiat, stabularius, vt permittat iumenta apud eum stabulari, et tamen custodiae nomine tenentur. Nam et fullio et sarcinator non pro custodia, sed pro arte mercedem accipiunt, et tamen custodiae nomine ex locato tenentur. *L. 5. pr. b.* Quaecunque de furto diximus, eadem et de damno debent intelligi; non enim dubitari oportet, quin is, qui saluum fore recipit, non solum a furto, sed etiam a damno recedere videtur. *L. 5. §. 1. b.* Cai. *L. 5. ad Ed. pr. L. 5. pr.* §. 1.

ARGVMENTVM.

41. Licet gratis nauigaueris, vel in caupona gratis diuerteris, non tamen in factum actiones tibi denegabuntur, si damnum iniuria passus es. *L. 6. pr. b.* Ob quasi delictum (§. 20.) Paul. *L. 22. ad Ed. L. 6. pr.*

ARGVMENTVM.

42. Si seruo meo in naue vel in caupona vtaris, et damnum mihi det, vel furtum faciat, quamquam et furti actio et damni iniuria (*L. Aquiliae*) mecum sit, (quia noxa caput sequitur. (*L. 2. tit. 9. §. 2.*) haec tamen actio quia in factum est, (negligentiae factum, quod in electione serui commissum est) etiam serui mei nomine aduersus te competit. (ex praepositione tua. (*L. 2. tit. 13. §. 25.*) §. 20.) Idem dicetur, et si communis sit: Tu tamen, quod mihi praestiteris eius nomine (ex noxali causa) vel communi diuidendo vel pro socio actione, (*L. 3. tit. 3. §. 40.*) *L. 2. tit. 13. §. 78.*) aut, (si partem eius vel totum conduxisti) etiam ex conducto habebis me obligatum. *L. 6. §. 1. b.* Ex conducto propter culpam, quia seruum furem vel stupidum &c. locaui, nec monui. (§. 40. sequ.) Caeterum huius textus initium ita accipiendum: Quamquam absolum videtur, cum ob damnum a seruo meo alii datum regulariter ipse actionibus teneatur, mihi actionem dari, quando mihi damnum dedit, haec tamen in factum actio dabitur, quia in eligendo seruo negligentior fuisti. §. 1.

DEFINITIO.

43. Locatio conductio est contractus verus, consensualis nominatus et bonae fidei; quo usus ~~causus~~ rei pro mercede certa conceditur.

ARGUMENTVM.

44. Quoniam locator serui mercedem recipit, ad culpam leuissimam obligatur. (L. 3. tit. 5. §. 25.) proinde certiorare debuit conductorem de moribus et vitiis serui.

ARGUMENTVM.

§. 2. 45. Sed si **damnum in eo (seruo) datum sit, ab alio, qui in eadem naue vel caupona est, (qui propter operas, vel habitandi causa ibi est) cuius factum praetor aestimare solet: (ex lege Aquilia) non putat Pomponius eius nomine hanc actionem (in factum de recepto) vtilem futuram. L. 6. §. 2. b.** quia homo se potius in nauem recipere intelligitur, quam recipi, qui propter operas ibi commoratur.

ARGUMENTVM.

§. 3. 46. In factum actione (L. Aquiliae, quae factum persequitur) (§. 45.) caupo tenetur pro his, qui habitandi causa in caupona sunt: Hoc autem non pertinet ad eum, qui hospitio repentino recipitur, veluti viatoris. L. 6. §. 3. b. qui saltem transit, et hospes est: (ob cuius factum de damno dato non tenetur, sed restituere tenetur, (quod furto abstulit.)

ANNOTATIO.

47. Si casus ita formatur, soluitur antinomia inter textum praesentem et *legem a. b. t.* Censeo in genere: Nautam, &c. eorum, qui in naue, &c. operarum causa commorantur, tam furta, quam damna praestare: eorum, qui hospitio recipiuntur, furta quidem praestare, sed non damna data, quae praetor nocenti aestimat. (§. 45.) Concordat cum dictis textus sequens.

ARGUMENTVM.

48. Possumus autem furti vel damni iniuriae actione, vti cum nautis, vt certi hominis factum arguamus: (Id est: concurrit electione cum actione in factum aduersus exercitorem, actio furti vel legis Aquiliae contra nautam vel vectorem, qui res abstulit, vel qui damnum fecit. Videlicet in actione in factum certi hominis factum, furis vel nocentis non arguimus, sed dicimus saltem rem corruptam, ablatam esse in nauis, &c.) sed vna contenti esse debemus: aut in factum actione in exercitorem, aut furti vel Aquiliae) et si cum exercitore egerimus, praestare ei debemus actiones nostras, (furti vel L. Aquiliae, ne lucrum actionis recepta re apud nos existat, rei damno apud exercitorem permanente (L. 1. tit. 7. §. 138.) quamuis ex conducto actio aduersus eos competat exercitori. L. 6. §. 4. b. ob damnum dolo vel culpa datum. (§. 25. 26.)

ARGUMENTVM.

49. Sed si absolutus sit exercitor hac actione, deinde agatur cum nauta, exceptio dabitur, (doli: quia lucrum iniquum esset actione cessata vti: vel rei iudicatae, quia factio nocentis vel furantis praeiudicium fit per actionem in exercitorem instituta (L. 1. tit. 6. §. 26.) ne saepius de eiusdem hominis admisso quac-

quaeratur. Et contra, si de admisso vnus hominis actum sit, deinde in factum actione agatur, exceptio dabitur. *L. 6. §. 4. b.*

ARGVMENTVM.

50. Debet exercitor omnium nautarum suorum, siue liberi, siue serui, factum praestare: nec immerito factum eorum praestat, cum ipse eos suo periculo adhibuerit. *L. 7. pr. b. (§. 46. 21.)* *Vlp. L. 19. ad Ed. L. 7. pr.*

ARGVMENTVM.

51. Exercitor culpam aliam non praestat, quam quae in receptis hospitibus vectoribusque et adhibitis ministris est. (§. 21.) Nautas ad littus non adhibet: in littore agentes extra ministerium sunt: merces autem et res ad nautas in nauem recipit: praestat ibi damnum per nautas datum, sed non alias praestat, quam si in ipsa naue damnum datum sit: caeterum si extra nauem, licet a nautis non praestabit. *L. 7. pr. b. (§. 21.)*

ANNOTATIO.

52. Factum autem vectorum etiam extra nauem praestat, et ita Antinomias tollenda videtur, quae est inter *legem 3. b. s.* et praesentem. Distinguenda est restitutio receptorum rerum a praestatione facti vectorum et nautarum. (§. 54. 47.)

ARGVMENTVM.

53. Item, si praedixerit, vt vnusquisque vectorum res suas seruet, neque damnum se praestaturum, et consenserint vectores praedictioni, non conuenitur. *L. 7. pr. b. (L. 2. tit. 6. §. 8.)*

ARGVMENTVM.

54. Haec actio in factum in duplum est. *L. 7. §. 1. b.* Est enim ipsa actio furti vel Legis Aquiliae, ea potestate aucta, vt in exercitorem competat, et tum de recepto nominetur. (§. 47.) §. 1.

ARGVMENTVM.

55. Sed si quid nautae inter se damni dederint, hoc ad exercitorem non pertinet, (quia fauore nauigantium vectorum et mercaturae obligatur, qui nautas non norunt, sed nautae se norunt. (§. 1.) sed si quis sit nauta et mercator, debet illi dari. (actio in factum.) Quod si quis quod vulgo: *vavre-πισταρς*, id est: remum pro naulo et vecturae pretio soluentes, (qui pro vecturae pretio remigant) dicunt, et huic tenebitur, (quia vector est) sed huius factum praestat, cum sit et nauta. *L. 7. §. 2. b.* §. 2.

POSITIO.

56. Si seruus nautae damnum dederit, licet seruus nauta non sit, aequissimum erit in exercitorem actionem vtilem dare. *L. 7. §. 3.* §. 3.

PROBATIO.

Quando exercitor aliquem in nauem recipit furem vel alias nocere solitum, debitam diligentiam non adhibet (§. 21.) vnde quasi-delictum committit. (§. 20.) Sed actio in factum datur in quasi-delinquentem (§. 54.) ergo in exercitorem datur actio, si seruus nautae damnum dedit. Datur autem ideo vtilis, quia seruus nauta non est, nec vector, de quibus solis edictum erat: attamen ministerii et habitandi bitandi

bitandi causa cum ipso nauta receptus fuit in nauem. (L. 1. tit. 7. §. 69.)
(§. 46. 47.)

A R G V M E N T V M.

§. 4. 57. Hac autem actione suo nomine exercitor tenetur, culpa scilicet suae, qui tales adhibuit, (§. 21.) et ideo, et si decesserint, non releuabitur. L. 7. §. 7. b. Est enim ipsius delictum (§. 20.)

A R G V M E N T V M.

58. Seruorum autem suorum nomine noxali duntaxat tenetur, (L. 2. tit. 1. §. 35.) nam cum alienos adhibet, explorare eum oportet, cuius fidei, cuius innocentiae sint, in suis venia dignus est, si tales quales ad instruendam nauem adhibuerit. L. 7. §. 4. b.

A R G V M E N T V M.

§. 5. 59. Si plures nauem exercent vnusquisque pro parte, in qua nauem exercet, conuenitur. L. 7. §. 5. b. Quoniam pro partibus aliquotis focii domini sunt. (L. 2. tit. 9. §. 27.)

A R G V M E N T V M.

§. 6. 60. Haec iudicia quamuis honoraria sint, (ex iure praetoris honorario (L. 1. tit. 1. §. 37.) quae alias annales sunt, (L. 4. tit. 4. §. 106.) tamen perpetua sunt. L. 7. §. 6. b. quia reales sunt. (L. 3. tit. 5. §. 82.)

A R G V M E N T V M.

61. In haereditatem autem non dabuntur, L. 7. §. 6. b. est enim ex delicto et facto. (L. 2. tit. 3. §. 25.)

A R G V M E N T V M.

62. Proinde, et si seruus nauem (quae non in peculio erat) exercuit, et mortuus est, de peculio non dabitur actio in dominum, nec intra annum. L. 7. §. 6. b. Quia physicum cum homine perit. (L. 2. tit. 3. §. 25.)

A R G V M E N T V M.

63. Sed cum voluntate patris vel domini seruus vel filius exercent nauem, vel cauponam, vel stabulum, puto etiam hanc actionem in solidum eos pati debere. (L. 1. tit. 1. §. 41.) quasi omnia, quae ibi contingunt, in solidum receperint. L. 7. §. 6. b.

(L. 2. tit. 13. §. 30.)



INDEX TITVLORVM

LIBRI III.

PANDECTARVM.

Tit. I. <i>De Postulando</i>	pag. 13
II. <i>De His, qui notantur infamia</i>	22
III. <i>De Procuratoribus et Defensoribus</i>	38
IV. <i>Quod cuiuscunque Vniuersitatis nomine, vel contra eam agatur</i>	70
V. <i>De Negotiis gestis</i>	75
VI. <i>De Calumniatoribus</i>	114

INDEX TITVLORVM

LIBRI IIII.

PANDECTARVM.

Tit. I. <i>De in integrum restitutionibus</i>	126
II. <i>Quod metus causa gestum erit</i>	129
III. <i>De dolo malo</i>	151
IV. <i>De minoribus XXV annis</i>	168
V. <i>De capite minutis</i>	206
VI. <i>Ex quibus causis maiores XXV annis in integrum restituantur</i>	211
VII. <i>De alienatione iudicii mutandi causa facta</i>	231
VIII. <i>De receptis, qui arbitrium receperunt, ut sententiam dicant</i>	237
IX. <i>Nautae, caupones, stabularii, ut recepta restituant.</i>	264



INDEX RERVM.

A besse reipublicae causa quinam dicantur	226	Adminiculum quid sit	63
Actio , verbi huius explicatio 50. si quis agit nomine suo, ad commodum alienum cogitur cauere de rato 52. in actionibus ad vindictam pertinentibus potest constitui procurator	56	Adulterium inter crimina publica referebatur	25
- - aquae pluviae arcendae, quid sit	232	Aetas . Certis aetatis annis certi honores additi erant	169
- - arbitraria	140	Afrania ad lites contrahendas valde erat prompta	14
- - bonae fidei	60	Alienare . Qui rem alienat mutandi iudicii causa, actori ad interesse tenetur 231. qui alienando facit causam favorabiliorem ex parte sua, tenetur hoc edicto 232. si alienatio, obligatio, vel actio extinguitur, alienator hoc edicto tenetur ib. datur haec actio ad interesse expensarum, vel alterius incommoditatis 233. si alienans paratus est defendere, ac si possideret, hac actione non tenetur 233. si alienetur causa mutandi iudicium, et cesset dolus, non habet locum haec actio 233. 234. contra transferentem possessionem haec actio utilis locum habet 234 qui alienavit ex iusta causa, non tenetur hac actione 134. quatenus ad iura praediorum hoc edictum pertineat 234. 235. non sufficit rem exhibere causa mutata 235. alienatio intelligitur facta causa mutandi iudicium de futuro 235. 236. actor, in quem facta est alienatio causa mutandi iudicium, exceptione repellitur, et primus agens cedere compellitur 236. qui partem rei suae alienat causa evitandi iudicium divisorium, ipsum iudicium non poterit evitare pro fructibus vel pro re; nec ille, in quem facta est alienatio	236
- - communi dividundo	42	Alienatio , definitio eius	235
- - condictitia, in ea tripli poena venit aduersus calumniosum actorem	117	Annus quomodo apud Romanos computatus fuerit	170
- - de dolo quale remedium sit	144	Anti-	
- - depositi sequestraria quid sit	157		
- - emta, quomodo sit accipienda	221		
- - emti quid sit	56		
- - expilatae haereditatis quid sit	106		
an haeres viri defuncti hanc actionem contra eius uxorem habeat	106		
- - ex testamento quid sit	155		
- - in rem scripta quae dicatur	136		
- - legis Aquiliae directa quid sit	120		
- - perpetua quid sit	89		
- - personalis, definitio eius	136		
- - realis quid sit	135		
- - rescissoria non potest iterari, nisi restitutione prohibita 224. in actione rescissoria veniunt fructus	425		
- - temporalis quid sit	89		
- - venditi quid sit	56		
- - utilis praefertur directae	63		
Actiones . In actionibus ex contractu, licet famosis, pactus non notatur	30		
Actiones utiles quibus competant	76		
Actor ciuitatis negotium publicum per procuratorem agere non potest	69		
Actor Vniuersitatis in quibus recte constituatuf 74. Reliqua vid. sub tit. Vniuersitas.			

I N D E X R E R V M.

Antinomia Legis 2. et leg. 6. tit. 9. libr. 4. ff. de Nautis, caupon. et stabul. soluitur 270. item legis 3. et 7. eiusdem tituli 271

Arbiter quis dicatur 242. si errauerit in sententia dicenda, corrigere eam non potest 246. arbiter se occultans per iudicem potest citari et mulctari 257. si arbiter fiat inimicus partis contra petitorum poenae obstat exceptio doli 257. 258. nihil potest ultra illud, quod est sibi in compromisso concessum 258. debet dicere sententiam, per quam lis finiatur: nec potest per alium delegare, nisi hoc sibi commissum fuerit 258. 259. si sententia per arbitrum fertur pro vel contra unum ex duobus reis: si ab altero petitur, vel contra alterum, poena committitur, si focii sunt, alias secus 259. 260. si sententiam feriat die dixerit, an valeat 259. effectus sententiae arbitri transit ad haeredes, licet de eis mentio facta non sit 260 an arbiter possit punire contumaciam litigatoris 261. minor viginti annis non potest esse arbiter 262. sententia arbitri super poena non valet 262 si arbitro paritum non sit, an poena committatur 262. si arbiter iubet ultra quam possit, impune sibi non paretur 263. 264. in re sua nemo potest esse arbiter 264

• *Arbitrium*. Eo casu, quo iudicis sententia non tenet, illo si arbitri sententia non paretur, poena cum effectu non petitur 238. nemo cogitur arbitrium suscipere, sed semel suscepto cogitur explicare 238. maior autem iudex cogit minorem, non maiorem vel parem 238. potest compromitti in libertum, et etiam in infamem 239 si compromittatur in duos, quorum

vnus non potest esse arbiter, alter sententiam dicere non cogetur, nec sententia valet, nisi esset adiectum in solidum 239. conditio arbitri inspicitur tempore compromissi 240. in iudicem ordinarium illius causa non potest compromitti, etiam eo iubente 240. 241. quando arbiter non teneatur sententiam dicere 242. 243. 244. 245. 254. 255. 256. 260. non potest vnus arbiter sine alio sententiam ferre 244. 245. sententia arbitri incerta, est nulla 247. arbiter non potest pronuntiare super poena 247. si per arbitrum stet, quo minus daretur sententia, cogitur pati de nouo in se compromitti 247. an arbiter diem sententiae proferre possit 251. 261. in prorogatione termini debent fideiussores iterum promittere: vel alii similes adhiberi 252. sententiae arbitri, etiam iniquae est parendum metu poenae 252. si arbitri pares numero discordant, non valet sententia: alias statur dicto maioris partis 252. arbiter non potest ferre sententiam parte absente, etiam per absentiam, nisi sit actum 253. de causa meri et mixti imperii, vel de causa status non potest compromitti 255. quando legatus coram arbitro litigare cogatur 256. 257

Arena. In arenam dare, quid significet 16

Arenarii quinam dicti sint 16

Athletae ludicrum non faciebant 26

Auctorati quinam dicti fuerint 16

B.

Beneficium competentiae quid sit 62

Bestiarii quinam dicti sint 16

Bissextilis quinam dies dicatur 171

Bonorum possessio contra tabulas quid sit

198

INDEX RERVM.

<p style="text-align: center;">C.</p> <p><i>Calare</i>, quid sit 118. quid Comitia calata 178</p> <p><i>Caligati milites</i> vnde dicti 23</p> <p><i>Calumniator</i>, quando infamia notatus fuerit 27. qui calumniae causa pecuniam acceperit, qualis in eum detur actio 114. quis pecuniam talem accepisse dicatur 115. qui corrumpit iudicem vel aduersarium, litem perdere debet 115. si turpitudine versatur etiam ex parte dantis, ei non competit repetitio, sed solum ei, in cuius praediuicium datum est 116. haec actio non datur haeredi nisi ad simplum 116. datur autem contra haeredem, quatenus ad eum peruenit 117. annus in hac actione computatur a tempore scientiae 117. competit haec actio danti non turpiter, et ei etiam, ob cuius negotium datum est, licet ipse non dederit 118. qui accipit pecuniam, vt desistat ab accusatione calumniofa, crimine non probato hac actione tenetur 106. si calumniator seruum domini per calumniam accusati postulauerit, qualis in eum detur actio 120. calumniatoribus per legem Remmianam littera K in fronte inurebatur. 119</p> <p><i>Capitis minutio</i>, definitio eius 206. Edictum de capitis minutione locum habet in minima tantum capitis deminutione 206. Capitis deminutio non liberat quem a naturali obligatione, nec eum impedit postea ciuilitur obligari 206. non tollit actiones ex delicto descendentes 207. quibus modis minutio capitis fiat 207. capitis deminutione nomina iuris pereunt, non nomina naturalia 208. Actiones ex delicto cum capitis deminutione ambulant 209. si libertate adem-</p>	<p>ta capitis deminutio subsecuta fit, restitutio non datur 209. item si ciuitas amissa est 209. obligationes quae causam naturalem respiciunt, capitis deminutione non pereunt 209. 210 quot genera capitis deminutionis sint 211</p> <p><i>Capiti</i>, eorum conditio circa restitutionem in integrum 218. 219</p> <p><i>Casus militiae</i> quid vocatum fuerit 173</p> <p><i>Caupones</i> mercedem accipiunt non pro custodia, sed vt viatores in caupona manere patiantur, et tamen custodiae nomine tenentur 269. Conf. art.</p> <p><i>Nautae.</i></p> <p><i>Cautio</i>, quae non potest committi, non debet interponi 59</p> <p>- - <i>de damno infecto</i> quid sit 111</p> <p>- - <i>de rato</i> ab eo peti potest, qui protestatur aliquid alieno nomine 69</p> <p><i>Centesimae</i>, quatenus vsurae sic dicantur, et cur 110</p> <p><i>Ciuitas</i>. Contra Ciuitatem vel Municipium potest agi diuisorio iudicio 74</p> <p><i>Coecus</i> an postulare possit 15. an senatorium ordinem retinere, et iudicandi officio fungi possit 15</p> <p><i>Cognitores</i>, quinam dicti fuerint 149</p> <p><i>Collegium</i> omne est improbatum, nisi appareat specialiter approbatum 70 Collegia licita possunt habere bona, et agere et conuenire per suos Syndicos et actores 71</p> <p><i>Comitia calata</i>, quae dicta fuerint 178</p> <p><i>Commodatum</i> qualis contractus sit 7</p> <p><i>Compromissum</i>, definitio eius 237. pertinet ad similitudinem iudiciorum, et ad finiendas lites 237. si arbiter liberam potestatem sententiandi non habet, compromissum non valet 244 quando porro non valeat 245. quando e contra valeat 245. plenum compromissum quale sit 247</p> <p style="text-align: right;"><i>Com-</i></p>
--	--

I N D E X R E R V M.

<i>Compromissum</i> , in ea ciuitate ferenda est sententia in dubio, in qua factum est compromissum 248. 249. quando poena compromisso non euanescat 250. compromissum non transit ad haeredem, nisi sit actum 252. si compromissum est stipulatione vallatum absque adiectione poenae, arbiter cogetur sententiam dicere 253. in cuius facto soluitur compromissum, incidit in poenam 254. qualis conditio tacita poenae compromissi inhaereat 254. 255. compromissum a seruo factum non valet 256. quando dies compromissi proferri possit 257. ex quibus causis poena compromissi committatur 261. an species in compromisso omissae peti possint 262. compromissum factum simpliciter, non porrigitur ad lites futuras 263. si compromissum transeat in pupillum vel furiosum, praesentia tutoris vel curatoris requiritur 236. quando morte soluatur compromissum 263	<i>Conuenire</i> , qui est in loco ubi conueniri potest, praesens esse videtur; nisi habeat exceptionem fori 224
<i>Conciliatio Legis</i> 67. <i>Lib. III. tit. 3. ff. cum Lege 3. §. 2. ff. de admin. rer. ad ciuit. pertin.</i> 66. 67	<i>Conuentio</i> diuiditur in pacta et contractus 3
<i>Condemnatio</i> . Quid iuris sit, si condemnatio lege durior facta fuerit 35	<i>Corpus</i> est persona symbolica collectiua 70. Corpora non specialiter concessa, illicita sunt 70. licita autem favorabilia sunt 72
<i>Contractus</i> , differentia eorum a Pactis 3. alii dicuntur Contractus Iuris Gentium 4. alii reales et consensuales 5. alii nominati et innominati 7. species Contractuum recensentur 7. sqq. si per restitutionem a parte contractus receditur, potest ille, contra quem agitur, a toto recedere 204	<i>Creditor</i> . Qui soluit creditori creditoris sui, liberatur ipso iure 108. 109
<i>Contractus aestimatorius</i> qui dicitur 10	CVIACIUS notatur 144. 148. 158
- - <i>bonae fidei</i> respuit damnum omne et lucrum inter contrahentes 88	<i>Culpa ciuilis</i> quid sit 79
<i>Contradictorium</i> quid inuoluat 188	- - <i>in concreto</i> quae dicatur 80
<i>Contumacia</i> quid sit 180	- - <i>lata</i> equiparatur dolo 80
	- - <i>leuis</i> quaenam sit 79
	- - <i>leuissima</i> , quae dicatur 79
	<i>Curator</i> , definitio eius 68
	D.
	<i>Dammum</i> , in quo quis patitur, quadruplabitur 144
	<i>Dammum infectum</i> definitio eius 215
	<i>Debitum implicitum</i> quid sit 79. si pronunciatum sit, nihil debitum videri, debitor absoluitur 246
	<i>Decurio</i> , definitio eius 21. contra patriam causam agere prohibetur 21
	<i>Decuriones</i> possunt eligere actores universitatis, vel collegii, et alii electionem committere 72
	<i>Defendere</i> quid sit 50. qui sponte defendit, potest vnam tantum causam defendere 60. nemo est idoneus defensor alterius sine satisfatione 60. qui defendit in procuratorio, cogitur defendere in procuratorio 60. qui potest in integrum restitui, non est idoneus defensor, et restitutio principalis prodest fideiussori 62. qui suscepit defensionem, nisi satisfacere fuerit paratus, non videtur defendere 62. a persona defensoris in dominum 3

INDEX R E R V M.

- num fit translatio caussa cognita 64
 inopia rei non excusat defensorem,
 qui satisdedit: ideo si non defendit,
 stipulatio committitur 69. qui ex-
 ceptiones calumniosas opponit, non
 videtur boni viri arbitratu defen-
 dere, et ideo stipulatio committitur 69
- Defensor, vide Procurator.*
- Deficere* quoniam dicantur 208
- Depectus* qui dicatur 116
- Depositum* qualis contractus sit 7
- De rato cauere* quando procurator tenea-
 tur 51. 52. 53. 54. 55
- Deseruire* quid veteres hac voce indigi-
 tauerint 152
- Designatores,* num artem ludicram fece-
 rint 27
- Dimissus ab exercitu* infamis erat 23
 non tamen omnis 24
- Do ut des vel facias: facio ut facias*
 vel des, sunt Contractus stricti iuris 9
- Dolus malus,* definitio eius 151. item
 doli ex re 151. dolus bonus, qualis
 dicatur 151. qui stipulatione tutus
 est, actionem de dolo malo habere
 non potest 152. actio de dolo malo
 est remedium restitutionis in inte-
 grum 152. quando haec actio locum
 non habeat 152. dolus tertii contra-
 ctum non vitiat, sed dolus contrahen-
 tium 153. si res debita soluatur de-
 teriorata, agitur ex stipulatione doli,
 si est interposita 154. actio legis
 Aquiliae, et ad exhibendum, item actio
 ex testamento actionem de dolo ex-
 cludunt 155. qui non obseruat pa-
 ctum, ad quod naturaliter, non ciuili-
 ter est obligatus, tenetur laeso de do-
 lo, si aliud remedium deficit 155. 156
 si procuratoris reus dolo malo absol-
 uitur, an actio de dolo malo mihi
 competat 156. quando simplex man-
 datum hanc actionem inuoluat 156
- quando de peculio competat 158. non
 datur haec actio pro modica quanti-
 tate, nec contra parentes, vel patro-
 nos etc. 158. contra haeredes tamen
 eorum 159. quando in pupillum de-
 tur haec actio 159. an detur in mu-
 nicipes 159. in dominum 160. si
 plures dolo fecerint, et vnus restitu-
 rit, omnes liberantur 160. quale sit
 iudicis in hac actione officium 160. 161
 fructuario contra dominum non da-
 tur haec actio 161. quando contra
 commodantem falsa pondera compe-
 tat 161. ad causam seu litis instan-
 tiam pereintam non datur restitutio,
 sed per actionem de dolo succurritur
 contra eum, cuius dolo factum fue-
 rit 161. si speciem debitam tertius
 interimit, datur haec actio contra in-
 terimentem 162. quando dolus fide-
 iussoris hanc actionem pariat 162
 dominus, cuius hortatu seruus acce-
 pit pecuniam, vt sibi soluatur, de do-
 lo tenetur 162. si dolus rei dedit
 causam absolutioni, de dolo tenetur
 162. 163. contra eum cuius persua-
 sione indebitum soluitur, actione hac
 succurritur 163. item contra eum,
 cuius dolo sententia pro libertate in
 absentem profertur 163. quando et
 quatenus in haerodem detur 164
 quando haec actio finiatur 164. qui
 seruum in perniciem haeredum ante
 tempus manumittit, actione de dolo
 tenetur 166. qui rei venditionem
 impedit, tenetur de dolo, vel actione in
 factum 166. qui opus in suo ad mei
 vtilitatem non permittit perficere,
 actione de dolo tenetur 166. qui
 testamentum deleuit, tenetur le-
 gatario et haeredi de dolo 166. do-
 lus cum dolo compensatur 166. si
 quid decipiendi emtoris caussa dictum
 est,

INDEX RERVM.

est, actionem de dolo parit 167. qui praetextu falsarum litterarum est liberatus, actione de dolo tenetur 167 quando quis ob fictam possessionem hac actione teneatur 167. is, qui decepit aliquem, vt haereditatem non idoneam adiret, de dolo tenebitur 167
Duumviri, eorum officium erat in municipiis, quod Consulium in vrbe 72
Dos si a marito, post solutum matrimonium, repetatur, quale ei beneficium competat 107

E.

Emtio venditio quid dicatur 4. qualis sit contractus 8
Eremodicium definitio eius 180
Error voluntarius qui dicatur 32
Euictio quid sit 65
Exauctoratio inissionis ignominiosae species erat 24
Exercitor, qualis persona sit 265
Exul, definitio eius 191

F.

Fas et Ius quomodo differant 34
Fideicommissum particulare quid sit 104
 - - vniuersale, quid sit 126
Filiafamilias an procuratorem dare possit 40
Filiusfamilias procuratorem constituere potest in his, quae ipse facere potest 39. 48
Forum contractus quid sit 62
Fur diurnus, quando occidi poterat 130
Furiosus, an ei Procurator dari possit 38. 39
Furtum. Si furti quis damnatus fuerit, infamis erat 28

G.

Gestio quid sit 75
Gestum cum minoribus quid dicatur 174. 175

H.

Habitatio, definitio eius 210. in quo consistat 210
Haereditas, definitio eius, 78. Haereditati praerudicium fieri non debet 257
Haereditatis aditio est quasi - contractus 10. 21
Haeres quando infamis fiat 30
Hostium potiri, quid significet 215

I.

Ictus fustium, quando infamiam importent 36
Idoneum quid dicatur 62
Infames qui dicantur 16. 17. 22. sqq.
Infamia, definitio eius 22. casus, in quibus infamatur quis ipso facto ibid. alii casus, in quibus infamatur quis per sententiam ib. expositio edicti, de his qui infamia notantur 23. sqq. si quis alieno nomine damnatus fuerit, non laborat infamia 28
In integrum restituere qui possint 189
 190. an Praetor possit 19. an in integrum restitutus infamia eximatur ib. an postulare possit ibid.
Insignia Magistratus apud Romanos cui fini iis data 15. qualia fuerint ibid.
Institor qualis persona sit 265
Interdictum de tabulis exhibendis, quid sit 64
 - - praetoris, quale dicatur ibid.
 - - quod vi aut clam, definitio eius 68
 - - vnde vi, quomodo definiatur 131
Interponere. Pater pro filio, et frater pro fratre potest vocem interponere, quia in his non attenditur patria potestas 72
Iudicia apud Rom. erant vel publica vel priuata 113
Iudicium bonae fidei quid sit 60
Iuramentum militum, quale olim fuerit 25
Ius et Fas quomodo differant 34
Iuriu-

INDEX R E R V M.

<i>Iusiurandum.</i> Si quis iure iurando fe- purgauerit, non erit notatus 29	<i>Locatio conductio</i> quid dicatur 4. qua- lis sit contractus 8. 270
<i>Ius publicum inuocare</i> quid sit 149. quid in huius locum successerit ibid.	<i>Lugere</i> quam diu viduae maritos tenean- tur, et contra 31. quam diu parentes, filii maiores et minores, maritus et cognati proximioris gradus lugeri pos- sint 31. Sponsi nullus luctus est 31. quinam porro lugeri non soleant 32. qui non eluget non notatur 37
<i>Ius reuocandi domum</i> quid sit 224	
<i>Ius retentionis</i> quid sit 44	
<i>Instus titulus</i> quid sit 219	
L.	
<i>Lautumiae</i> quid fuerint 213	
<i>Lectio</i> L.6. §.2. tit. 2. Lib.3. ff. asseritur 28	
L. 20. tit. 2. Lib. 3. ff. defenditur contra Ant. Fabrum 56	
L. 35. tit. 3. Lib. 3. ff. vindicatur contra Noodtium 49. 50.	
L. 39. §. 7. tit. 3. Lib. 3. ff. corre- ctione opus non habet 54	
L. 71. tit. 3. Lib. 3. ff. restituitur 67. 68	
L. 72. tit. 3. Lib. 3. ff. corrigitur 68	
L. 6. §. 4. tit. 5. Lib. 3. ff. contra Cu- iacium vindicatur 77	
L. 48. tit. 5. Lib. 3. ff. emendatur 114	
L. 1. §. 3. tit. 6. Lib. 3. ff. asseritur 115	
L. 9. §. 4. tit. 4. L. 4. ff. quodammodo difficilis, clara redditur 134	
L. 11. §. 1. tit. 4. L. 4. ff. defenditur 183	
L. 39. tit. 6. ff. conciliatur cum <i>l. 26</i> §. <i>fin. eiusd. tit.</i> 229	
L. 3. §. 3. tit. 7. conciliatur cum <i>leg. fin.</i> <i>ff. de op. nou. nunc.</i> 232	
<i>Legatum</i> , definitio eius 165. quatuor olim erant eorum genera ibid.	
<i>Legatus</i> tempore legationis cogitur co- ram arbitro litigare illis casibus, qui- bus coram iudice ordinario cogeretur, et non aliter 256	
<i>Lenocinium facere</i> quid sit 27	
<i>Lex Cornelia</i> , eius definitio 94	
<i>Lex Lactoria</i> qualis eius effectus fue- rit 168	
<i>Lis</i> , quando in rem iudicatam abeat 28	
	M.
	<i>Magistratus</i> apud Romanos qualem vsum iis insignia praestiterint 15
	<i>Maior viginti quinque annis</i> , ex qui- bus causis restituantur 211. 212. 213. 214. non negligentibus subuenitur, sed necessitate rerum impeditis 216 miles absens restituatur aduersus pos- sessorem haereditatis, vel emtorem ab eo si adeat, alias secus 216. ab- sens causa reipublicae restituatur, vt perinde percipiat commoda, ac si prae- sens esset 216. vbi aequitas cessat, cessat ibi et restitutio 216. 217. quod quis acquisiuit propter suam absen- tiam, cum non esset defensus, in inte- grum restituatur 217. 218. contra praesentem, qui ex causa secum agen- di potestatem non facit, in integrum restitutio non conceditur 218. captus ab hostibus non potest vsucapere: et rursus ad hoc non restituetur, sed re- stituatur, vt fructus recuperet 218. 219 quando contra captiuos restitutio de- tur 219. qui non patitur secum li- tem contestari ex causa iusta vel in- iusta, contra eum restitutio conceditur, si quid ex hoc quaesierit 220. num re- legato restitutio sit concedenda ibid. contra eum, qui non potest vocari in ius, restitutio conceditur 220. 221. si per negligentiam vel per dolum iu- dicis contingeret, vt pereat ius agendi, restit-

I N D E X R E R V M.

restituatur: secus si culpa actoris 221
 propter ferias repentinas si quis laeditur, datur restitutio 222. vsucapione rescissa tempus absentiae tantum restituatur 222. 223. post completam vsucapionem, item post rem alienatam conceditur restitutio 226. quando restituantur, qui reip. causa absunt 226. sqq. qui accipit vel gerit officium contra ius officialium, privilegio non gaudet 229
 absens causa necessaria tantum restituatur 230. absenti restituatur actio cum honore suo, ib. sicut actio amissa restituatur, ita actio non nota post in integrum restitutionem restituatur, ibid.
 absens contra absentem restituatur 231
Mancipi. Res mancipi quid fuerint 65. 66
Mandator qualis persona sit 80
Mandatum descriptio eius 9. quomodo reuocetur 46
 - vniuersale, generale et speciale, definitio eius 194
Manumissus non tenetur ob ea, quae gessit in seruitute 96
Maritus. quam diu vidua lugere maritum teneatur 31. quam diu maritus uxorem defunctam 31
Matrimonium quale infamiam contrahat 32. 33
Metus, definitio eius 129. quod metus causa gestum erit, ratum non habetur ib. qualis metus hic intelligatur 130. 131. metus periculi instantis, non futuri probari debet. 131
 actio haec concurrat cum interdico, quod vi aut clam 132. siue violentia inferatur a priuato, siue ab vniuersitate vel collegio, locum habet haec actio ibid. licet mihi pecuniam accipere, vt te a violentia illata per alium liberem ibid. in rebus seu negotiis perfectis oritur actio et exceptio ex hoc edicto 133. metum inferens tenetur

restituere et de dolo cauere 134
 quando quis restitutionem in integrum intendit, indemnitas praestari vult 134. per hanc actionem debet res in pristinum statum restitui: alias contumax in quadruplum condemnabitur 135. haec actio est in rem scripta, ideo datur contra omnes, ad quos commodum peruenit ex metu 136
 non tenetur quis ex metu illato per alium, nisi quatenus commodum ad eum peruenit 137. 146. quales accessiones in hac actione veniant 137
 qui per metum reddit, quod reddere debebat hac actione vel alia, non habet actionem, quod metus causa 137
 Creditor, qui per vim pecuniam sibi debitam accipit, ius debiti perdit 138
 si quis non restituit, quod eum restituere oportet, intra tempus quod datur iudicatis, condemnabitur intra annum in quadruplum, post annum in simplex causa cognita 138. 139. qui hac actione agit, metum illatum, et commodum ad metum inferentem peruenisse, probare debet 140. ille, ad quem commodum peruenit, ex metu non tenetur, si rem non possidet 140. sq. tenetur autem metum inferens, et is, ad quem res peruenit ex metu 141. 142. qui culpa vacat, num a restitutione propterea excusetur 143
 si plures metum adhibuerint, quid sit iuris 144. sq. quid si serui metum adhibuerint? 145. quatenus contra haeredes haec actio detur 145. 146. si metus fuerit iustus, haec actio cessat 147. contractus dotis metu factus, ipso iure nullus est, ibid. si metu coactus quis haereditatem adierit? 148
Miles probatae debebat esse fidei 24. qui lege Iulia de adulteriis erat damnatus, infamis erat, ibid. primis temporibus

INDEX RERVM.

poribus sacramento rogabantur 25
 ignominia missorum conditio 25
Milites caligati, unde dicti 23
 - religione a procuratoribus ar-
 centur 43
Militi militanti tempus accusationis non
 currit 230
Minores viginti quinque annis cur edi-
 ctum de iis propositum sit 168. per
 liberos suos a euratoribus rem suam
 non maturius recipiunt 169. prin-
 cept potest minori administrationem
 bonorum concedere, non iudex infe-
 rior 169. si quis maior factus com-
 probauerit, quod minor gesserat, re-
 stitutio cessat, ibid. quid circa diem
 natalem minorum notandum 170
 aduersus arrogationem minor restitui-
 tur 173. item aduersus negligentiam
 in non denunciando adhibitam
 ibid. seruus minor annis XXV. non
 restituitur 174. restituuntur mino-
 res etiam si vexentur litibus 174. quid
 cum minoribus *gestum* dicatur 174.
 175. minori, quasi cum eo *gestum*
 sit, succurritur siue intercedat, siue
 litiget 175. vel haereditatem, vel
 aliam successionem apprehendat 176
 restituitur porro aduersus fideiussio-
 nem ibid. in lucro ipsis etiam suc-
 curritur 176. 177. qui semel est
 haeres, per restitutionem non desinit
 esse haeres directo, sed vtiliter 177.
 180. minor, qui non appellauit, pot-
 est restitui, vt appellet 127. 128. 180
 si per absentiam eius instantia sit per-
 emta, restituitur 128. 180. contu-
 macia eum non priuat beneficio re-
 stitutionis in integrum 180. quid
 circa pignora minorum distracta iu-
 ris sit 180. in delictis minoribus ei
 non subuenitur 181. aduersus com-
 missum vectigal minor debet restitui

182. quando aduersus libertatem fe-
 stituatur 182. 183. aduersus senten-
 tiam ipso iure nullam minor non re-
 stituitur, sed res in pristinum statum
 reducitur per iudicem competentem
 183. 184. contra inconsultam facili-
 tatem etiam restituitur 184. 185. an
 minor aduersus minorem sit resti-
 tuendus 185. minor restituitur, sed
 non fideiussor 186. interdum etiam
 restitutio in rem datur minori 187
 conditio indebiti an restitutionem
 impediatur 188. non solum minori-
 bus sed et successoribus eorum datur
 restitutio 190. quando absens non
 restituitur 191. quando minor est
 restitutus aduersus aditionem, gesta
 per eum non rescinduntur, ibid. in
 his quae minor facit vt procurator,
 non restituitur ad commodum domi-
 ni 192. si aliena negotia absque
 mandato gesserit, restituitur ibid.
 quando contra patrem restituitur 193
 quomodo restitutio facienda sit 193
 194. patri pro filio praestanda resti-
 tutio est 195. quando minor aduer-
 sus creditorem restituitur 195. 196.
 198. restituta actione tutelae, non
 restituitur contraria 197. quinam
 actus restitutionem tollant 198. si
 minor falso probauerit perfectam ae-
 tatem, cuius sit periculum 199. in-
 ter duos minores melior est conditio
 conuenti, si vterque certat: secus de
 damno vitando, si alter certat de lu-
 cro, ibid. propter interesse affectio-
 nis minor restituitur 200. in actio-
 nibus competentibus ad vindictam
 cessat in integrum restitutio ibid.
 item aduersus dolum praesumptum in
 futurum, nec aduersus verum dolum
 praeteritum 200. 201. quando mi-
 nor contra praescriptionem restitui
 possit

INDEX R E R V M

possit 201. si curatores minoris fundum vendiderint, an minor restitui possit 202. si minor rem iudicatam in obligationem mutauerit, in integrum restitui potest, ibid. minores restituuntur, cum laeduntur: alias secus 203. contra bonae fidei contractum minor restituitur 204. aduersus pactum circa dotem oppositum, minor restituitur 205. item aduersus venditionem validam, ibid. minore restituto restituitur actio in pristinum debitorem in eum statum, in quo erat tempore renouationis. ibid.

Missio ignominiosa ab Exercitu quae fit 24

Municeps, qui dicatur 71

Municipium. Contra Municipium vel Ciuitatem potest agi diuisorio iudicio 74

Musus et *Iurdus* quomodo procuratorem dare possint 58

Mutuum et contractus sunt stricti iuris 7

N.

Natura obligari quinam dicantur 97

Nautae, *Caupones*, *Stabularii*, vt recepta restituant 264. quinam nautae appellentur 265. si res in nauem receptae in littore perierint, ad quem periculum pertinent 267. cur honoraria actio aduersus nautas inducta sit, cum sint ciuiles 267. an nauta propter naufragium teneatur 267. nauta mercedem accipit non pro custodia, sed vt traiciat vectores, et tamen custodiae nomine tenetur 269. si seruus nautae damnum dederit, qualis actio detur 271

Necessitas vera vel putatiua impedit actionem mandati, non autem negotiorum gestorum 97

Negotiorum gestorum actio 76. inter gerentem, et eum, cuius negotia gerantur, datur actio negotiorum

gestorum vtrique 76. an ei, qui negotia viuentis gessit, competat actio negotiorum gestorum 76. si pupillus negotia gesserit, quatenus conueniri possit 76. 77. si furiosi negotia gesserint, an mihi competat contra eum actio negotiorum gestorum 77. si quis defuncti negotia gesserit, quid statuendum 78. 79. qui gerit negotia deferta, solum de dolo et lata culpa tenetur 80. falsa opinio domini non impedit hanc actionem contra verum dominum 81. mandatum factum ab alio mei causa, mihi actionem negotiorum gestorum non tollit 82. qui gerit negotia animo depraedandi, actione negotiorum gestorum tenetur: ipse tamen agere non potest, nisi quatenus dominus locupletior factus est 82. 83. quatenus negotium spectat ad gerentem, actio ista non oritur 83. sed in quantum spectat ad alium, oritur 84. error in persona gestoris, non impedit nasci actionem negotiorum gestorum, ib. quoties dubium est, cuius negotium gestum sit, toties voluntas gerentis attenditur, ibid. contra eum, ad quem spectat vere negotium, competit haec actio, non inspecta falsa opinione gerentis 85. expensa facta, ne res pereat, repetitur ab eo, ad quem res spectat, non inspecta falsa opinione gerentis 85. si negotium geritur nomine eius, ad quem non spectat, ex eius ratihabitione negotium dicitur pertinere ad eum, et hac actione tenetur, si sibi aliquid ex ratihabitione quaeritur: alias secus 85. 86. gestor tenetur de neglectis, si alius erat gesturus 87. item si a se non exigit, secus si non exigit ab alio, ib. nisi esset de illis personis, quae possunt agere sine

INDEX RERVM.

mandato 88. 89. negotiorum gestio est contractus bonae fidei 89. gestor tenetur totum reddere, quod ad se peruenit 90. sententia lata super exceptione inducit exceptionem rei iudicatae, si illud postea per modum actionis proponitur ib. prohibitio impedit hanc actionem oriri contra prohibentem socium: non contra alium non prohibentem 90. 91. quod vtiliter gestum semelue probatum est, reprobari non potest 91. post ratihabitionem quoque datur haec actio 92 sufficit negotium vtiliter esse gestum respectu domini: licet effectum vtilem non habuerit 92. gestor tenetur de dolo et culpa 93. qui succedit ex Lege Cornelia, vel per occupationem peculii, habet hanc actionem: in qua veniunt omnia, quae considerantur in gestione bonorum viuentis 94. gestor non tenetur de casu, nisi praecedat culpa 94. 95. datur haec actio de peculio et de in rem verso 95. manumissus non tenetur ob ea, quae gessit in seruitute 96. 97. necessitas vera vel putatiua non impedit actionem negotiorum gestorum 97. 98. gestor negotiorum potest ignoranter rem domini vsucapere, et si ante vsucapionem completam scientia superuenerit, debet facere a se euinci, ne hac actione teneatur 98. 99. in actione negotiorum gestorum directa et contraria habetur ratio vsurarum 99. gerenti negotia captiui competit actio contra eum, si reuertatur, vel contra haeredes eius, ib. quod vnus pro alio redimendo cogitur soluere, recuperat hac actione, ibid. in negotiis haereditariis non inspicitur persona haeredis: sed oritur obligatio, tanquam cuiuslibet esset negotium 100. mors domini est iusta

caussa noua negotia non inchoandi: non autem ab inceptis desistendi 100 qui negotia aliena gerit per alium, hac actione tenetur, ac si ipse gessisset, ib. in negotio gesto necessario, quicumque casus superueniens non nocet gestori, nisi culpa praecedat casum, ib. negotia aliena gerens, si indebitum exegerit, restituere cogitur 101. per solutionem factam gestori, non liberatur soluens, nec dominium adquiretur creditori, nisi ratihabitione secuta ib. officiales publici, licet respectu reipublicae alter pro altero teneatur, non tamen respectu priuati, ad quem negotium in veritate spectat, ib. gestor expensas voluptarias seu voluntarias non repetit 101. 102. expensae causae pietatis factae non repetuntur 102. pro eo, quo quis obligatus est, agit hac actione antequam soluat, ib. gestum nomine ventris deuoluitur in actione tutelae posthumo nato: vel in actione negotiorum gestorum, ibid. sicut inter collegas coequalis potestatis est actio negotiorum gestorum: ita si sunt potestatis inaequalis 102. 103. pupillus non tenetur ad perficienda negotia etiam coepta 104. mater filii negotia gerens ius actoris periculo suo litium causa constituendi non habet 104. in causa seruitutis praedii communis, quod vnus ex sociis expendit, ab alio repetit per actionem negot. gestorum 105. quod quis facit contemplatione mandati per errorem, non venit in illa actione, sed in actione negotiorum gestorum ib. qui ab alio donum recipit meo nomine, negot. gestor. actione mihi tenetur 106. si per ascendentem gerantur negotia descendens, vel fiat protestatio, vt onus alimentandi, ad defendentem non pertineat,

I N D E X R E R V M.

<p>tineat, <i>expensae</i> alimentorum repetuntur 106. sq. si maritus, soluto matrimonio negotia vxoris gesserit? 107. qui negotia debitoris gerit, non tenetur ad pignus reddendum, <i>ibid.</i> redhibitoriae species non venit in negotiorum gestorum actionem 108. si quis pecuniae negotium gerat, <i>vsuras</i> quoque praestare cogitur 109. actio negot. gest. datur inter patrem et filium emancipatum, <i>ibid.</i> in hac actione veniunt <i>vsurae</i> non centesimae sed communes 109. 110. quod in re communi quis facit non ex necessitate communionis, venit in actione negotiorum gestorum 111. mandatum serui non impedit hanc actionem contra dominum: licet etiam ex persona serui conueniri possit <i>ib.</i> qui gerit negotium alterius, ipso gestu habet hanc actionem <i>ibid.</i> <i>expensae</i> in honoribus factae hac actione repetuntur 111. 112. liber factus non tenetur ex ante gesto 112. in negotio, quod non est alterius ipso gestu, tenetur ille, ad quem vere pertinet: licet contemplatione alterius gestum sit, <i>ibid.</i> qui contemplatione procuratoris gerit negotium, quod spectat ad dominum, solum vigore mandati contra dominum actionem non habet: secus si contemplatione domini gesserit, <i>ibid.</i> actio negotiorum gestorum illi datur, cuius interest hoc iudicio experiri <i>ibid.</i> sq. qui habet actionem pro alio, ad eius petitionem debitorem cogitur liberare 114. negotium non meo nomine gestum in subsidium re perempta vel praescripta possum habere ratum, vt mihi haec actio concedatur <i>ibid.</i></p> <p>Notarii, apud Romanos, quales personae fuerint 227</p> <p>Nonuendialis, quales seriae fuerint 31</p>	<p>Nuptiae, Liberorum et parentum luctus impedimento nuptiis non est 32</p> <p style="text-align: center;">O.</p> <p>Obligatio quo sensu in iure dicatur 4. variae eius species 4. 5</p> <p>Operis noui nunciatio 232</p> <p>Opus nouum si procuratori nunciatum sit, quid ei obseruandum 60</p> <p style="text-align: center;">P.</p> <p>Pacta et Contractus in quonam differant 3. quae sint Pacta nuda 14</p> <p>Permutatio qualis contractus sit 8</p> <p>Pignus quid sit 57. ad id reddendum non tenetur, qui negotia debitoris gerit 107</p> <p>Poenae, definitio eius 20</p> <p>Poenitentia tempestiua, definitio eius 26</p> <p>Pollicitatio definitio eius 133</p> <p>Possessio, definitio eius 164. 165</p> <p>Postliminium quid sit 99</p> <p>Postulare quid sit 13. qui postulare prohibeantur 13 - 18. quinam postulare potuerint 17. sqq. tutores, pupilli nomine postulant 18. in integrum restitutus postulare potest 19. sic et de exilio reuersus 20</p> <p>Praeado quis sit 82</p> <p>Praegnans, quando infamia notetur 35. sq.</p> <p>Praescriptio, aduersus completam, dum quis erat in vtero, restituitur 203</p> <p>Praetor an in integrum restituere possit 19. cognitio procuratoris mutandi ipse est 45</p> <p>Praeuaricator, definitio eius, et quando notatus fuerit 27</p> <p>Probatio et Rati habitio sunt valde cognatae 91</p> <p>Procurator quinam dicatur 38. qua ratione constitui possit, <i>ibid.</i> <i>vsus</i> eius <i>ibid.</i> et absens dari potest, <i>ibid.</i> an furioso dari possit 39. num filius familias procuratorem dare possit, <i>ib.</i> itemque filia familias 40. inuitus non solet dari, <i>ibid.</i> an veteranus pro-</p>
--	--

INDEX R E R V M.

procurator fieri possit 40. quando procurator compelli nequeat 41. et contra 41. 42. procurator litis contestatione fit dominus litis 43. in duplicibus iudiciis datus partibus actoris et rei fungi videtur, ideo vtriusque satisfactionem praestabit 42. ante litem contestatam procurator libere a domino reuocari potest: postea vero non nisi causa cognita 43. procurator suspectus ferendus non est 44. quinam suspectus sit, ibid. audiendus est procurator qui suum pudorem purgare vult, ibid. quando stipulatio in personam procuratoris committatur 45. si quis diuersis temporibus procuratores duos dederit 47. num feruus et filiusfamilias procuratorem constituere possint 48. Procurator in rem suam tenetur defendere dominum, si est causa lucratiua 49. item ex non lucratiua, si facta est in fraudem creditorum, ibid. quando causa status agitur in actione ciuili, admittitur procurator, sed non in criminali, ibid. procurator cogitur praecise litem contestari, nisi causa cognita recusauerit 50 in casibus, in quibus dominus non cogeretur praecise se defendere, nec procurator cogitur 50. 51. in communibus actionibus procurator defendere tenetur, et vna actio non debet diuidi in plures defensores: secus si plures mouentur actiones 51. procurator, qui debet defendere, non debet etiam respondere eo casu, quo dominus teneretur; et eius responsio et taciturnitas ei praeiudicat, ibid. procurator actoris cauet de rato, si est dubium de mandato, ibid. quaenam causae procuratori difficulter committantur 53. exceptiones procuratoris debent opponi ante litis contestationem, non

post 55. foeminis regulariter non licet, esse procuratores pro aliis, ibid. pro parentibus tamen causa cognita, agere permittitur, ib. in actionibus popularibus procurator dari non potest: nisi ad vtilitatem priuatam agentis pertineant 55. 56. in actionibus, quae ad vindictam competunt, potest constitui procurator 56. is, cui haereditas ex SCto Trebelliano restituta est, haereditatem iure dabit procuratorem 57. Creditor dominum pignoris etiam recte dabit procuratorem, ib. vnus ex correis potest alium procuratorem constituere actiue et passiuè, ib. in iudiciis diuiforiis plures vnum procuratorem dare non possunt 57. 58. quilibet potest procuratorem constituere, qui non reperitur prohibitus 58 minor ad petendum curatorem potest facere procuratorem, ibid. procurator, qui satisfacit de defendendo, cogitur defendere, si actio est tempore peritura 59. quid procuratori sit obseruandum, si opus nouum ipsi sit nunciatum 60. procurator et dominus inuicem ex bona fide tenentur 60. 61. poenam, quam procurator ex suo delicto praestitit, recipere non debet, litis impendia vero, bona fide facta, ei restituuntur 61. vnus procurator non potest agere contra alium, nisi expresse sit ei mandatum 61 procurator non potest facere conditionem domini deteriorem, sed meliorem 61. 62. procurator ad rem mobilem petendam datus, ad exhibendum recte aget 63. procurator cum libera, potest omnia facere, quae dominus facere posset 63. procurator generalis sine libera non potest transigere 63. 64. procurator generalis sine libera vel sine speciali mandato non potest

INDEX R E R V M.

potest vendere, nisi res tempore perituras 64. procurator de cuius mandato constat, non cauet de rato 65	neficiam restitutionis transit ad haeredes et caeteros successores vniuersales 126. quando citatus, si non responderit, restitui possit 127. minores etiam legitime defensi restituuntur ad totam causam 127
electio facta per procuratorem, ita consumit ius eligendi, ac si facta esset per dominum 65. Procurator, qui pro euictione promisit, tenetur finito officio 66. quod procurator ex re domini stipulatur, inuito procuratore dominus petere potest 67. procurator in rem suam, ex causa lucratiua debet dominum defendere 67. per procuratorem actiones non acquiruntur, sed retinentur 68. ciuitatis actor negotium publicum per procuratorem agere non potest 69	<i>Retentionis Ius</i> quid sit 44
<i>Promissio</i> in carcere facta, nullius momenti est 148	<i>Reus absens</i> , causas absentiae per procuratorem reddere potest 67
<i>Pro possessore possidere</i> , quis dicatur 139	<i>Reus</i> post litem contestatam potest facere procuratorem et pro eo cauere 69
<i>Procurator</i> est gestor negotiorum tutelae 76	S.
<i>Pubertas</i> quomodo diuidatur 183	<i>Satisfactio</i> pro procuratore praesente praestita, facit vt mandatum morte domini non finiatur: secus si pro absente et ignorante 42
<i>Pupillus</i> non tenetur ad perficienda negotia etiam coepta 104. si negotia gesserit, quatenus conueniri possit 76. cuius sine tutoris auctoritate negotia gesta sunt, si locupletior factus sit, contra eum actio negot. gest. instituitur 109	<i>Scutum Macedonianum</i> quid sit 185
Q.	- - <i>Trebellianum</i> - - 56
<i>Quasi-contractus</i> quinam dicatur 10	- - <i>Velleianum</i> - - 185
- - - a quibusdam nouaturientibus gratis reiciuntur 75. eorum ratio et vtilitas 75	<i>Scena</i> . Qui in scenam prodibat, infans erat 25. quid scena fuerit 26
<i>Quasi-delictum</i> definitio eius 266	<i>Sententia</i> dicta videtur, quando per eam a tota lite disceditur 246. quando non dicta videatur 246
R.	<i>Separatio bonorum</i> quid sit 176
<i>Ratihabitio</i> et Probatio sunt valde cognatae 91	<i>Seruus</i> quando ei cauendum, non procuratori 59. procuratorem constituere potest in his, quae ipse facere potest 48 non est in peculio sui ipsius, sed est res domini: et ideo, quod impenditur circa eum, in solidum, non de peculio repetitur 111. mandatum serui non impedit actionem negot. gestor. contra dominum: licet etiam ex persona serui conueniri possit 111. facillime ad quaestionem et tormenta rapiebantur serui 119
<i>Redditio</i> quid sit 108	<i>Societas</i> descriptio eius 9. quomodo ineatur 4. non specialiter concessa, illicita est 70
<i>Repetundarum crimen</i> definitio eius 115	<i>Societates</i> cur homines colant 117
<i>Restitutio in integrum</i> qua minores, vid. <i>Minores</i> .	<i>Soluere</i> . Qui paratus est soluere, non cogitur iudicium suscipere 68
- - - conceditur, quando causa, ex qua petitur, est iusta et vera 126. be-	<i>Spon-</i>

I N D E X R E R V M.

<p><i>Sponsalia</i> bina si quis alieno nomine constituerit, non notatur 33</p> <p><i>Sponsiones</i> vnde ortae 6</p> <p><i>Stabularii</i> quales actiones contra eos institui possint 268. mercedem accipiunt non pro custodia, sed vt permittant, iumenta apud eos stabulari, et tamen custodiam tenentur 269</p> <p><i>Stellionatus crimen</i> quid sit 35. quando famosum sit 35</p> <p><i>Stipulatio iudicatum solui</i> quid sit 45</p> <p><i>Stipulationes praetoriae</i> vnde ortae 6</p> <p><i>Surdus</i> et mutus quomodo procuratorem dare possint 58</p> <p><i>Syndicus</i> quomodo ab Actore differat 73</p> <p style="text-align: center;">T.</p> <p><i>Tempus utile</i> quale dicatur 117</p> <p><i>Testamentum.</i> Varii testamenta condendi apud Romanos fuerunt modi 178 quare septem testes requirantur 178 cur in minus sollempnibus quinque sufficiant 178. quid fuerit testamentum per aes et libram 179</p> <p><i>Testimonium falsum</i>, num quis ob id infamis fiat 36</p> <p><i>Thymelicus</i>, qualis homo fuerit 26</p> <p><i>Tutela legitima</i>, definitio eius 208</p> <p><i>Tutelae administratio</i> quasi- contractus est 10</p> <p style="text-align: center;">V.</p> <p><i>Venatio</i> erat inter spectacula Circensia 16. quid haec Venatio fuerit 16</p>	<p><i>Veteranus</i> quinam dicatur 40. an procurator fieri possit 40</p> <p><i>Vidua</i>, quamdiu maritum lugere teneatur 31. num intra legitimum tempus ei nubere liceat 32. quoniam infamis fiat 32</p> <p><i>Vis</i>, definitio eius 129. item Vis publicae 138</p> <p><i>Vniuersitas</i> si non defendatur, contra eam ad primum et secundum decretum proceditur 71. actor Vniuersitatis non dicitur actor singulorum 71. quis pro Vniuersitate experiri possit 72. actor Vniuersitatis debet defendere, et de rato cauere, si dubitatur de mandato 73. sicut Vniuersitas potest agere, ita potest conueniri 74. licet personae Vniuersitatis mutentur: Vniuersitas tamen eadem remanet 74. et si vnus solus remanet, ius et nomen Vniuersitatis conseruatur in illo 74. si non reperiuntur res mobiles et immobiles Vniuersitatis, peruenitur ad nomina debitorum 74</p> <p><i>Vsura</i> quid sit 110</p> <p><i>Vsurae</i>, earum ratio habetur in actione negotiorum gestorum directa et contraria 99</p> <p><i>Vsurae maximae</i> quid sint 110</p> <p style="text-align: center;">X.</p> <p><i>Xystici</i> erant Gymnasiae vel pugiles 27</p>
---	---

* * * * *

C O R R I G E N D A.

Pag. 72. lin. 1. *mancipio*. lege: municipio. Pag. 76. lin. 24. L. 2. lege: L. 11. Pag. 99. lin. 31. §. 13. lege: §. 3. Pag. 101. lin. 6. *ratihabuerit*. lege: non ratihabuerit.



